This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600107539V

THEOLOGIA

DOGMATICA.

Atrebati. — Excudebat E. Lefranc, via S. Mauritii, 26.

REV. PATR.

THOMÆ EX CHARMES

ORD. CAPUCIN. SS. THEOL. PROFESS.

THEOLOGIA DOGMATICA

CUI SUIS LOCIS INTERJECTÆ ACCESSERUNT ANNOTATIONES ET ADDITIONES ASTERISCIS DISTINCTÆ

NECNON

TRACTATUS DE DIVINA AC SUPERNATURALI REVELATIONE

OPERA F.-A. ALBRAND

Superioris Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros

AD USUM

SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATORUM

TOMUS SECUNDUS

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA CASSETTE, 23.

1857

110. d. 415.

THEOLOGIA
DOGMATICA.

TRACTATUS
DE REGULIS FIDEI.

DISSERTATIO I.

De his quæ fidem præcedere debent.

Nota. Antequam tractatum aggrediamur *De Regulis fidei*, opportunum ducimus quædam prænotare quæ ad analogiam spectant rationis cum fide.

Imprimis vero sciendum est quod, *etsi fides sit supra rationem, nulla tamen dissensio, nullum discrimen inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambæ ab uno eodemque immutabili veritatis fonte oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferunt*, ut in terminis declarat prima ex quatuor propositionibus quas RR. Archiepiscopo Parisiensi notificavit S. Indicis Congregatio [1].

Quod ut probe attingatur, recte utendum est ratione, ne fidei sit repagula, dum ad illam conducere debet; igitur, ut ratio intra suos legitimos contineatur limites, quædam de illa statuemus.

Ratio humana spectari potest ante fidem, cum fide et post fidem. Ex infra dicendis ab auctore, satis perspicitur

[1] Lettre de l'archevêque de Paris à son clergé, du 12 décembre 1855.

quomodo ratione uti debeat Theologus, pauca igitur dicemus de ratione ante fidem, quibus addemus aliquid de methodologia.

CAPUT I.

DE RATIONE ANTE FIDEM SPECTATA.

Nota. Duo sunt consideranda, rectus scilicet usus rationis ante fidem, et ejusdem rationis abusus pariter ante fidem.

* ARTICULUS I.

DE RECTO USU RATIONIS ANTE FIDEM.

Quoad rectum rationis usum ante fidem, aliæ tres ejusdem S. Indicis Congregationis (*ibid.*) propositiones semper ob oculos habeantur, ut hic jacent.

2ª Prop. *Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandum Dei existentiam contra atheum, ad probandum animæ rationalis spiritualitatem, ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem allegari convenienter nequit.*

3ª Prop. *Rationis usus fidem præcedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit.*

4ª Prop. *Methodus qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos scholastici, non ad rationalismum ducit, neque causa fuit cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, præsertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint.*

Ex his quædam manifeste deducuntur, quæ a theologo quasi axiomata retineri debent, ut in rerum ad fidem pertinentium investigatione recto tramite procedat, scilicet:

1º Plures veritates naturalis ordinis, absque supernatu-

ralis revelationis ope, recta ratio omnimoda certitudine cognoscere potest, cum ex una parte, ratiocinatio Dei existentiam ejusque perfectissima attributa, animæ spiritualitatem et immortalitatem *ab intrinseco*, ac hominis libertatem, proindeque legem moralem circa actiones intrinsece bonas vel malas versantem, qua homo ad ultimum finem suum naturaliter dirigi debet, cum certitudine demonstrare possit; cum ex altera parte, fides posterior sit revelatione, rationisque usus fidem præcedat, necesse consequenter est, ut has et alias hujus generis veritates recta ratio comprobare valeat: alias, nec ad probandum Dei existentiam contra atheum, nec ad probandum animæ rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatores, congredi possemus.

Et hoc extra dubium ponendum est a theologo, quæcumque sit sua opinio de idearum nostrarum origine, utrum, scilicet dentur ideæ innatæ, ut minus caute quidam volunt, vel omnes sint adventitiæ et per media externa comparatæ, ut verius alii post D. Thomam, contendunt. Vel enim dantur ideæ innatæ, vel non. Si *prius*, nulla prorsus est difficultas, ut patet; si *posterius*, anima erit sicut *tabula rasa*, ast mirabili certe facultate donata percipiendi veritates traditas, verum a falso secernendi, sicut oculus percipit lumen coloresque distinguit. Media autem idearum transmissionis non sunt sola traditio vocalis, sed omnia visibilia signa quæ mentem loquentis nobis revelant, et sic anima elevatur ad Dei cognitionem, quam ipsa ratio deinde perficit per discursum circa spiritualia naturaliter cognoscibilia. *Invisibilia enim ipsius*, inquit Apostolus [1], *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas; ita ut sint inexcusabiles*, philosophi scilicet.

Neque dicas mentem humanam a visibilibus ad invisi-

[1] Rom. 1, 20.

bilia, a corporeis ad incorporea assurgere non posse, cum experientia contradicat; nam: 1° Cum mentem nostram alteri homini aperimus et cogitationes nostras illi communicamus, verba sola proferimus, quæ mere sunt corporalia, alter tamen percipit quæ dicimus spiritualia. Ergo, ut ita dicam, semino corporale, alter vero colligit spirituale. 2° Mens humana recurrit ab effectu ad causam; irrationale animal vero nunquam, licet causa et effectus sint quid materiale. Quam, obsecro, ob causam, nisi quia relatio seu connexio inter causam et effectum est aliquid morale. Ergo si mens humana valet ad causam per medium morale redire, potest utique disciplinis instructa a creatura ad Creatorem assurgere, a visibili ad invisibile, a physica ad metaphysicam veritatem pervenire.

Ergo in omni philosophorum catholicorum systemate plures veritates naturales et morales, absque supernaturalis revelationis subsidio recta ratio cognoscere potest.

Hæ porro veritates naturalis ordinis tanquam præambula fidei spectari possunt, ut communiter vocantur a sanioribus theologis post D. Thomam, qui ait [1]: *Deum esse et alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur* (Rom. 1), *non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos.*

2° Datur circa quædam pro humana ratione certitudo *absoluta*, quæ scilicet pro omnibus ut talis esse debeat, eademque prorsus *objectiva*, quæ proinde fallibilis esse nequeat.

Si enim omnis certitudo *relativa* seu subjectiva esset, nulla pro omnibus hominibus veritas, in quocumque ordine, certa ac firma daretur; nulla ratiocinatio tute conficeretur; nemo cum certitudine ad proximum convincendum congredi posset, quia, ex S. Thom., *certitudo scientiæ tota oritur ex certitudine principiorum.* Rationis ipsius natura et sensus communis destrueretur, ac latissimo scepticismo, non

[1] 1 part., quæst. 2, art. 1, ad 1.

philosophico tantum, sed etiam religioso via aperiretur. Hinc Malebranchius ipse : *De là il est évident qu'il y a du vrai et du faux... et cela à l'égard de toutes les intelligences ; que ce qui est vrai à l'égard de l'homme, est vrai à l'égard de l'ange et à l'égard de Dieu même* [1].

3° Apprime distinguendum est duplicem ordinem, *essendi* ac *cognoscendi*, seu *ontologicum* et *psychologicum*. In ordine cognitionis seu psychologico *absoluta* certitudo in aliquibus veritatibus esse potest et debet, independenter ac *præcise* etiam ab ipsa Dei cognitione et ejus veracitate, quamvis in ordine *essendi*, seu ontologico, omnia pendeant a Deo tanquam a prima causa necessaria et absoluta. Unde, quamvis humana ratio non existeret, *ontologice*, nisi Deus esset, dum tamen psychologice cognoscit, non posset Deum ipsum ut existentem et veracem certo cognoscere, nisi prius absoluta certitudine seipsam existere sciat.

4° Non de omnibus ratiocinandum est; non omnia sunt demonstranda. Sed, ut ait D. Thom. [2] : *Sicut in demonstrabilibus oportet fieri reductionem in aliqua principia per se intellectui nota, ita in investigando quid est unumquodque ; alias utrobique in infinitum iretur*. Unde sapienter dicit Baldinotti [3] : « *Ratione* quidem semper utendum est, *ratiocinio* non semper : id est impossibile ; basis namque et fundamentum ratiocinium habere opus est, non autem in alio ratiocinio, quod ad progressum in infinitum cogeret. Aliquid igitur est de quo ratiocinandum non est. Id autem *aliquid* sunt primitivæ veritates tum *rationis*, tum *facti* seu experientiæ, quas ut mens perspiciat, rationem non debet exercere [4]. »

5° Scite distinguendum est inter *infallibilitatem* et *cer-*

[1] *Traité de morale*, 1re part., pag. 5, édit. de Lyon, 1707.

[2] *De Veritate*, q. 1, art. 1. — [3] Tentamen metaph., cap. 7, *De Vero*.

[4] Hinc patet dubium methodicum Cartesii aut falsum esse si serio ponitur, quia de omnibus dubitare est impossibile; aut inutile si hypotheticum, cum ex hypothesi impossibili nihil sequi possit, et in utroque casu est pe-

titudinem, non enim eadem utriusque est ratio. Infallibilitas siquidem in suo conceptu plenam ac omnimodam importat immunitatem ab errore, ipsamque errandi possibilitatem. Certitudo autem in suo conceptu non importat nisi rationabilem, plenam ac firmam persuasionem veritatis in re singulari, quamvis sit error aut timor errandi in aliis. Hinc aliquis certus esse potest de aliqua veritate, quin sit per se infallibilis, quamvis non possit esse infallibilis nisi sit certus. Infallibilitas igitur latius patet certitudine. Ut ergo aliquis certus esse possit de aliqua veritate, non est necesse ut nunquam errare possit, sed sufficit ut hic et nunc habeat ex motivis irrefragabilibus plenam ac firmam persuasionem veritatis.

6° Inter veritates aliæ sunt *immediate* evidentes et per se notæ, aliæ *mediate* tantum evidentes. Primæ sunt illæ quæ statim ac termini intelliguntur, mentis extorquent assensum; revocantur enim ad principium contradictionis. Hinc D. Thomas [1] : *Ea quæ naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat in tantum, ut nec falsa esse sit possibile cogitare.* Evidentes *mediate* tantum illæ dicuntur quæ tales per deductionem et ratiocinationem efficiuntur, et illarum demonstratæ evidentiæ non omnes sunt capaces, et quamvis firmissimam ac plenam persuasionem præ se ferant probationes quibus demonstrantur, mentis tamen non extorquent assensum, ideoque potest eis humana voluntas aliquomodo ex perversitate animi refragari, ut sæpe fieri quotidiana constat experientia.

7° Ratio individualis per se et absque consensus generis humani subsidio, ut dicunt, potest sibi in pluribus veritatibus certitudinem comparare. Etenim, dantur prima principia quæ ex ipsorum natura sunt evidentia, seu in quibus intuitiva evidentia conspicitur veritas, ita ut animus nihil

riculosum, non enim impune commoventur prima principia super quibus innituntur humanæ scientiæ ac religio.

[1] *Contra Gentes*, lib. 1, cap. 21.

in ipsis ultra possit requirere : atqui, ex D. Thom.[1], *per lumen naturale intellectus redditur certus de his quæ lumine illo cognoscit, ut in primis principiis*. Ergo.

Insuper, si ratio humana non posset per se et sine consensus hominum subsidio sibi aliquas veritates certo comparare, necessario de quacunque veritate dubitare cogeretur, quia nullum sibi suppeditaret medium ad certitudinem veritatis obtinendam, siquidem id assequi non posset, nec per sensum intimum, nec per sensus externos, nec per immediatam conceptam evidentiam, nec per rationem ex hypothesi, nec a fortiori per auctoritatem vel consensum communem, quia de illo certi esse nunquam possemus. Quot enim præviæ postulentur cognitiones ut de hujus generalis auctoritatis existentia et conditionibus certitudinem habeamus nemo non videt. Igitur de omni veritate dubitare deberemus. Ergo, etc.

8° Potest humana ratio certo per seipsam cognoscere motiva credibilitatis existentiæ divinæ revelationis.

Prob. 1° Potest humana ratio per se certo cognoscere veritates logicas, metaphysicas, psychologicas, morales et physicas, earumque plenam comparare certitudinem, ut patet ex dictis ; atqui credibilitatis motiva divinæ revelationis constant ex veritatibus ab illo multiplici fonte deductis, ut videre est in tractatu *De vera ac supernaturali revelatione*.

Prob. 2° Infidelis positivus, ut dicunt, id est qui negaverit assensum divinæ revelationi sibi rite propositæ, gravis culpæ reus est æternoque addicendus supplicio, ex verbis Christi : *Qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc, 16). Ergo Deus debuit revelationem evidenter credibilem reddere, ut tuto cognosceretur. *Subsumo ;* atqui inutiliter Deus effecisset revelationem suam manifestam, si ratio humana illa motiva certo cognoscere, ac per ea sibi comparare certitudinem existentiæ divinæ revelationis nequiret, nec posi-

[1] *Contra Gentes*, lib. 1, cap. 21.

tivus infidelis reus esset, nec supplicio damnandus. Ergo, etc.

PROB. 3° Obsequium nostrum fidei præstitum debet esse rationabile et prudens; atqui, si firma atque indubia non essent motiva credendi, imprudens omnino foret illud obsequium, quia certitudo fidei, inquit Suarezius [1], *non est tantum* PRACTICA SED SPECULATIVA, *et ideo requirit etiam certitudinem speculativam de credibilitate sui objecti : nam impossibile videtur hominem determinari ad credendum aliquid firmiter et certo, si cum formidine tantum et non certo judicet esse credibile.* Insuper rationis usus fidem præcedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit, ut fert propositio tertia super allata; sed ratio non ducit hominem ad fidem, nisi per motiva credibilitatis quæ certo cognoscit. Ergo, etc.

Corollarium. Ergo ratio humana potest pariter certo veræ Christi Ecclesiæ cognoscere veritatem et existentiam. Nam si Deus per certa indubiaque motiva credibilitatis effecit ut humana ratio certitudinem assequi possit de existentia divinæ revelationis, debuit pariter efficere ut ipsa possit profecto eadem certitudine Ecclesiæ cognoscere existentiam, quæ custos est et servatrix hujus revelationis, illamque facile dignoscere a Satanæ synagogis et ab humanæ malitiæ ac superbiæ monumentis, alioquin excusari possent qui in sinum ejus se colligere detrectarent, sub hoc prætextu quod vera Ecclesia a spuriis cœtibus distingui nequeat.

Patet igitur ex dictis quanti sit momenti ut recte utamur ratione ante fidem. Ast si rectus rationis usus ad fidem, ope revelationis et gratiæ, hominem ducit, inverso quoque tramite ejusdem rationis abusus hominem a fide præpedit. De quo pauca dicemus.

* ARTICULUS II.

DE ABUSU RATIONIS ANTE FIDEM.

Error in operationibus humanæ rationis ex triplici

[1] *De fide*, disp. 4, sect. 2.

fonte dimanare potest: 1° vel quia ponitur principium falsum, et legitima deducitur conclusio; 2° vel quia ponitur principium verum ex quo conclusio deducitur illegitima; 3° vel quia ponitur principium falsum et falsa deducitur conclusio. In primis duobus casibus necessario erratur, in tertio potest quis falsum aut verum concludere.

Ex illo triplici fonte omnes scaturiunt errores et falsa philosophorum systemata, quæ directe vel indirecte fidei susceptioni adversantur; quæque paucis delibabimus verbis, tacendo tamen de atheismo formali, quia vel nunquam extitere athei speculativi, vel si reipsa darentur, spectari deberent sicut rationalitatis monstra.

Ad tria igitur principaliora reducuntur systemata quæ directe fidem præpediunt: *Pantheismum* scilicet, *Materialismum* et *Fatalismum*; quæ vero indirecte fidei susceptioni adversantur, infra notabimus.

§ I.

De Pantheismo.

Pantheismus quovis tempore, plus minusve philosophiam infecit, licetque multiplicibus sub formis, modo aperte, modo occulte se tegat, semper idem deprehenditur velut fidei eversivus. Ad tres autem species revocari potest, nempe ad pantheismum *rationalisticum*, *historicum* et *mysticum*.

1° Pantheismus rationalisticus, cujus parens est Spinosa, dividitur in pantheismum *materialisticum* et *spiritualisticum*.

Pantheismus materialisticus procedit ex principiis rationis *a priori*, et constituit systema *realismi absoluti*, seu *absoluti Ego*; sic homo seipsum considerat suique perfectam habet ideam; cum autem omnis idea seu notio sit aliquid reale in hoc systemate, sese per *immediatam* ac *concretam* notionem sui illico transfert in *esse* realismum absolutum; et quia omnia entia supponit omnino identica, concludit omnia entia in suo *esse* absoluto inveniri. At vero cum seipsum absolute comprehendere contendat, existimat

etiam omnia entia comprehendere absolute. Unde, juxta illud systema de realismo absoluto absolutaque omnium entium identitate, sequitur *naturam* esse fundamentum existentiæ Dei, ipsamque in Deo consubstantialem esse spiritui, quamvis in externa tantum manifestatione ac forma sit ab illo diversa [1].

Pantheismus *spiritualisticus* longe subtilior est, et Hegelium agnoscit parentem. Ille jam non *naturam*, sed *spiritum* in Deo quæsivit. Deum non considerat velut *ens* existens ab æterno in sua absoluta identitate et immutabilitate, sed e contra velut *ens* quod perpetuo evolvitur, quodque in diversis suis revolutionis gradibus, diversos et successivos entium ordines produxit, unde diversi et successivi ordines entium non sunt, nisi Deus ipse diverse et successive modificatus. Sequenti modo procedit hoc systema : Deus in *logica* concipitur *in se*, id est in æternitate suorum attributorum fundamentalium. Ast cum in hoc statu immobili consistere non possit, siquidem perpetuo evolvitur, necesse est ut sese evolvat *extra se* in multiplicitate externa entium naturæ; unde multiplicitas entium nihil aliud est quam Deus ipse ad extra productus. Exinde habetur *philosophia naturæ*. Cum vero nec in illo statu exterioritatis et transitionis permanere queat, debet ex hac multiplicitate rerum se recipere in unitatem *sui esse*, et *spiritus* evadit. Exinde oritur philosophia *Spiritus*. Tandem illud ens absolutum et unicum habet cognitionem seu conscientiam sui, et fit personalitas infinita. En *trinitas logica* hegeliana.

Ergo, juxta Hegelium, Deus *immediate* se revelat in natura universa, deinde *immanenter* in hominis conscientia, ubi accipit sui complementum, ita ut, asserente ipso Hegelio, *sine homine et mundo, Deus non esset completus, neque adhuc esset Deus*. Unde patet quod, licet ejus doctrina pantheistica oretenus videatur *spiritualista*, reipsa in abjectum materialismum incidere necesse est.

[1] Conf. P. Perronne, *De Locis theol.*, p. 111, sect. 1, c. 1.

2° Pantheismus *historicus* est necessaria Hegelii systematis consequentia. Etenim, cum Deus se evolvat in mundo et in homine per sui ipsius contemplationem, sequitur historiam hominis nihil aliud esse quam ipsius Dei necessarias continuasque manifestationes, seu evolutiones ad extra; unde Lherminier : *L'esprit humain est une perpétuelle et nécessaire révélation de Dieu. Dieu ne paraît sur cette terre que dans l'homme et que pour l'homme* [1]. At vero, cum historia hominis omnem scientiam contineat, ut aiunt, moralitatem, religionem, artes et cætera, sub formis suis multiplicibus considerata, et consequenter etiam errores omnes in morali et religione quos refert historia, ex eo conjicitur quod illa non sint nisi necessariæ Dei evolutiones, ac proinde totidem divinæ perfectiones. Cum autem divinæ evolutiones perpetuo sint duraturæ, exinde systema *progressus indefiniti*, seu *perfectibilitatis indefinitæ* humanitatis.

3° Pantheismus *mysticus* nihil aliud est quam vagus et indefinitus quidam interior sensus (*sentiment*) usque ad enthusiasmum etiam ductus, quo animus *immediate* recipit vitam suam *consubstantialem* in Deo, qui, utpote infinitus amor, se manifestat in spiritu et natura. Unde homo fit unus substantialiter cum Deo [2].

Ex illo nati sunt Sansimonianismus et aliæ hujus furfuris opiniones. At recte ait Henricus Martin [3] : *Tous ces systèmes, qu'on les prenne, soit en Allemagne, soit en France, soit dans Hégel, soit dans M. Leroux, ont pour point de départ une hypothèse.. que le fini et l'infini ne sauraient exister en même temps.* Hæc autem hypothesis seu falsum principium pantheismi fundamentum constituit.

[1] Conf. D. Maret, *Essai sur le panthéisme et les sociétés modernes.*
[2] Conf. Moëlher, *Symbolique*, tom. 1.
[3] Études sur le *Timée* de Platon.

§ II.

De Materialismo.

Materialismus totum hominem ad meram, ut vocant, organisationem revocat. In illum maxime impegerunt psychologia et medicina, multique ex iis qui scientiis curam dederunt naturalibus [1].

Errores omnes physiologiæ materialistæ oriuntur imprimis ex eo quod ipsius cultores nullum agnoscant discrimen : 1° inter *sentire* et *intelligere*, res tamen essentialiter diversæ; 2° inter *impressionem* et *sensationem*; 3° inter principium *sensiferum* et *sentiens*. Ex eo conficitur ut confundant physiologiam cum psychologia, facta seu phænomena istius cum factis illius; id est facta simplicia et immaterialia spiritus cum factis materialibus materiæ organicæ. [2] At luce meridiana clarius patet illas quam maxime a se invicem discrepare, siquidem physiologia attingere tantum potest ad *observationes externas* et medium quod recipit impressiones, nullo autem modo ad *observationes internas*, ad facta *conscientiæ* et *sensationes* proprie dictas. Hoc enim unice proprium est psychologiæ, quia, cum sint omnino immaterialia, ad solum principium sentiens ac proinde simplicissimum pertinent.

[1] Sous l'empire du matérialisme philosophique, la médecine elle-même, depuis une vingtaine d'années, est devenue toute matérialiste, toute anatomique (Debreyne, *Pensées d'un croyant catholique*, etc.). — Le matérialisme ne fut jamais plus positif qu'aujourd'hui; il a ses chaires et ses feuilles publiques; il veut contribuer à l'enseignement du peuple et participer aux progrès de la science (Forichon, *Le Matérialisme et la Phrénologie combattus*, etc., préface).

[2] Audi Raspail, (*Manuel de chimie organique*) : C'est le fluide qui alimente la pensée et détermine la volonté; la volonté est le résultat d'une combinaison atomique entre deux éléments sensibles et impondérables. — Et Friedreik : Ce qu'on appelle âme n'est que l'activité du cerveau, et en général des parties supérieures du système nerveux : le cerveau pense comme l'estomac digère (*Recueils pour la science physique*).

§ III.

De Fatalismo ac Determinismo.

Systema fatalistarum fatali hominem necessitati subdit. Quidquid homo facit, sive bonum sive malum, necessario facit, quia non sua sponte nec suo arbitrio sese determinat, sed necessitate compellitur. Duplex distinguitur : nempe fatalismus *crassus*, qui nec *coactionem* physicam excludit, et fatalismus *determinativus* seu *determinismus* subtilior ac latentior, excludens quidem necessitatem a *coactione*, sed docens animum motivis internis, quibus resistere non valet, necessario determinari. Talis fuit doctrina Lutheri aliorumque plurimorum Protestantium. Hanc professi sunt, nunc aperte, nunc latenter, Baïus, Jansenius, Quæsnellius et plures alii. Hæc pseudophilosophorum placita libertatem animæ humanæ, quæ totius moralitatis est fundamentum, funditus adimunt, ac proinde fidem, quæ salutaris et liber est, adjuvante gratia et ope divinæ revelationis, assensus, impossibilem reddit. Unde sapienter ait P. Perronne [1] : *Nimis igitur interest cum catholici hominis, tum præcipue theologi, ut in quavis, quæ profertur philosophica doctrina, apprime dispiciatur utrum naturæ humanæ libertas recte sit definita ac statuta, utrum vera eligendi vis in tuto posita.*

Sunt quidam, ex adverso, philosophi, maxime ex recentioribus qui vel ita libertatem animæ humanæ cum Dei præscientia committunt, ut alterutram negare debeant, vel dum in homine libertatem vindicant, in Deo tollere videntur, de quorum opinionibus refellendis ad philosophos remittimus.

Hæc sunt præcipua philosophorum placita, ex abusu rationis ante fidem enata, quæ directe fidei susceptioni obsistunt. Multa autem alia sunt philosophandi genera, quæ fidei

[1] *De Locis theol.*, p. 3, sect. 1, c. 1, art. 2, § 1, prope finem.

susceptionem indirecte præpediunt. Ad tria præcipua revocantur : 1° ad *sensismum mysticum* (le sentimentalisme mystique); 2° ad *empirismum*, quod in meris factis experimentalibus sensus sive externi, sive interni sistit, in iisque totam scientiam collocat; 3° ad *Hermeniasismum philosophicum*. Pro quorum intelligentia remittimus ad P. Perronne, loco cit., qui pro suo modo illa dilucide ac doctissime exponit ac refellit.

De ratione vero cum fide et post fidem susceptam quid sentiendum esse satis patebit ex his quæ tractantur ab auctore. De modo quo theologus procedere debet est solum aliquid notandum.

CAPUT II.

DE MODO QUO THEOLOGUS PROCEDERE DEBET IN ASTRUENDA FIDE.

Dicemus : 1° de Methodologia; 2° de Methodo.

* ARTICULUS I.

DE METHODOLOGIA.

Per methodologiam intelligitur sermo de regulis et ordinatione, quarum ope theologus in usum suum convertere possit ac debeat quæ de locis seu fontibus theologicis constituta sunt. Ad tria autem attendere debet theologus : ad *munus* quod exercet; ad *methodum* qua uti debet; et ad *instrumenta* quibus ei opus sit ad finem suum obtinendum. De instrumentis Theologiæ satis superque dictum fuit in prolegomenis seu locis theologicis. De *munere* et *methodo* pauca dicemus.

Munus theologi sub triplici respectu spectari potest : 1° vel quatenus ipse catholicæ fidei dogmata exponit, illa propriis argumentis firmando, necnon conclusiones ex iis legitime eruendo; 2° vel quatenus ipsa dogmata, illorumque intimos nexus ac intrinsecas rationes investigat,

ope rationis et fidei luce adjutus; 3° vel quatenus eadem dogmata adversus impugnatores omnes tuetur. Primum dicitur stricte munus *dogmaticum*, secundum *speculativum*, tertium *polemicum* : plerumque vero triplex illud munus in unum simul conjungit theologus. Quid vero præstare debeat in munere dogmatico et speculativo, satis patet ex his quæ hucusque diximus, et Theologiæ principiis. Ast in tertio munere, nempe polemico, diversa sunt præstanda pro adversariorum diversitate; igitur :

1° Si cum infidelibus vel incredulis sit ei concertandum, argumenta rationis omnia et sola in medium proferat, quibus evincitur Deum supernaturali modo hominibus suam dedisse revelationem, ut suo in loco probavimus in tract. *De Revelat.*

2° Si cum Judæis, ex Veteri Testamento depromantur argumenta et probationes, quibus Messiæ promissiones et præfinito tempore adventus certe comprobantur, ut constat ex dicendis ubi de Verbo incarnato.

3° Si autem illi sit adversus hæreticos dimicandum, attente considerandum est utrum id quod negant sit definitum ab Ecclesia necne. Si *prius*, munus suum erit ut totus sit ad hanc definitionem mediis omnibus adstruendam, et ab adversariorum telis defendendam. Si *posterius*, caute perpendat qualis sit natura veritatis impugnatæ. Quod si ex illis veritatibus sit quæ manifeste continentur in Scripturis Sacris, et quas Ecclesia catholica veluti articulos fidei profitetur, theologus debet illico novatoris aggressiones refellere, atque ei ostendere hanc doctrinam plane esse heterodoxam, sicut semper factitatum est. Sic, v. g., Arius negans divinitatem Verbi, statim ut hæreticus, etiam ante definitionem Concilii Nicæni est habitus; sic Lutherus septenorum sacramentorum numerum impugnans, ante Concil. Trid. ut hæreticus est proclamatus; sic Sociniani hæretici ab omnibus habentur, quamvis a nullo œcumenico Concilio fuerint damnati.

At vero, si veritas de qua disputatur non sit ejusmodi naturæ, sed veluti tantum in germine contineatur in deposito fidei, aut de illa non satis liqueat traditio, qualis erat quæstio de valore baptismatis ab hæreticis collati tempore S. Cypriani, theologi munus erit sedulo inquirere in fontibus Theologiæ propriis, id est in Scripturis et traditione, qualis sit genuina Ecclesiæ traditio. Interdum omnino cavere debet ne præveniat Ecclesiæ judicium, siquidem theologi non judices sed meri Ecclesiæ sunt adjutores. Solis enim Episcopis cum et sub Romano Pontifice judicium competit, ut suo loco ostendimus.

4° Cum vero agitur de quæstionibus agitandis inter ipsos catholicos, ipse quæstiones in duas classes dividere potest theologus. In prima numerantur illæ quæ sicut adiaphoriæ ac indifferentes habentur, cujusmodi sunt, v. g., quæstiones circa gratiæ naturam, scientiam Dei, prædestinationem et alia id genus, de quibus tot et tantæ fuerunt disputationes sine fructu. Cum enim Ecclesia nihil de illis definere voluerit, satius est ut in suo quisque abundet sensu.

In secunda classe veniunt quæstiones illæ quæ doctrinam catholicam proxime attingunt, ut de voluntate Dei salvandi omnes homines, etiam post peccatum originale, ac proinde de collatione gratiæ ad salutem et glorificationem obtinendam. Item tot erroneæ doctrinæ Jansenistarum aliorumque neotericorum, ex quibus placitis enascitur periculum non solum fidem labefactandi, verum etiam ipsius religionis basim evertendi et jura Romani Pontificis, qui est centrum unitatis, pastor gregis et supremus controversiarum compositor. In his theologus strenuam navabit operam, ut intemeratam servet catholicam doctrinam.

Abstineat autem a censuris catholicorum doctrinæ inurendis; potest quidem ut privatus doctor indigitare qua nota inurenda sibi videatur aliqua doctrina, sed eam infligere ad solam Ecclesiam seu ad Romanum Pontificem spectat.

Interdum adversus qualemcunque in aciem descendat theologus, sit quidem veritatis zelo accensus, sed pari prorsus sit scientia instructus, in logicæ arte peritus, prudentia ductus, lenitate et charitate delibutus, ut dum veritatis jura defendit, eam efficaciter suaviterque suadere possit, omnem erroris fucum adimere, ac animos ad viam unitatis et pacis ineundam disponere. Recte de his quæ tractat loquatur, singularesque devitet terminologias seu novitates verborum, in quibus magnum est errandi periculum.

* ARTICULUS II.

DE METHODO.

Methodus scientifica est ordinata rei tractatio, quæ ad veritatem tuto detegendam, vel rite tractandam ac demonstrandam inservit. Duplex a philosophis distinguitur : *Analytica*, et *Synthetica*. Analysis dicitur dissolutio, decompositio alicujus totius in suas partes, et elementa diversa; unde methodus *analytica* ea est quæ a particulari ad universale, id est, ab effectu ad causam, a consequentiis ad principia, vel a composito ad simplex, ex partium resolutione, singulariumque investigatione procedens in veritatis incognitæ et latentis notitiam, quasi tentando pervenit.

Synthesis autem ex opposito descendit ex principiis ad consequentias, ex causis ad effectus. Unde methodus *synthetica* ab universali ad particulare, a simplici ad compositum, de una ad aliam veritatem quasi componendo procedit, demonstratque propositiones per solam expositionem illarum propositionum quæ jam sunt demonstratæ.

Exstat utraque methodus in theologi potestate. Quænam vero ex alterutra sit anteponenda? Antequam respondeamus sciendum est theologiam in bifariam partem dividi posse. Prima pars quæ *præambula* et *præparatoria* dici potest, in principiis ac fundamentis Theologiæ propriis, scilicet in revelationis divinæ existentia, veræ Ecclesiæ natura atque

auctoritate, in Sacris Scripturis ac traditionibus probandis versatur. Secunda pars, quæ theologia proprie dicitur, est illa in qua theologus illas veritates quas exponit, illustrat, demonstrat ac tuetur : tum ipse, tum omnes quos docet, tanquam a proxima fidei regula, Ecclesiæ auctoritate proposita accipiunt, et divina fide credere debent.

His animadversis, dicimus : in prima parte theologiæ, methodum syntheticam et demonstrativam esse, *ordinarie loquendo*, anteponendam, quia ex una parte per illam methodum, clare et invicte probatur tum divinæ revelationis, tum veræ Ecclesiæ existentiam et divinitatem, ut patet ex theologis polemicis qui hucusque hanc methodum feliciter adhibuerunt. Ex altera vero parte, methodus *analytica* plena est difficultatibus, longum, tenebrosumque præbet iter theologo, facilem in tam perplexa et multiplici investigatione suppetit erroris illapsum, latum subtilitatibus ac tricis a quibus non nisi ægre te expedias aperit campum, ut perdocte probat P. Perronne, loco cit., § II.

Dixi, ordinarie loquendo; nam aliquando, in aliqua singulari de re theologica tractatione et in variis theologiæ partibus, fructuose uti potest methodo *analytica*, modo generalis methodus, quæ totum systema scientificum informat, synthetica sit, ut monet P. Perronne.

Ast in secunda parte, quæ theologia proprie dicitur, methodus *synthetica* et demonstrativa est omnino adhibenda, tum propter rationes superius allatas pro prima parte theologiæ, quæ pariter militant pro secunda; tum quia non decet ut, dum Ecclesiæ doctrinam cum regulis fidei, nempe Scriptura et traditione, plane consentientem ostendit theologus, ipse in ancipite veritatis inquisitione sistere videatur, sed debet omnino veritatem asserere illamque validissimis suis fundamentis, principiis scilicet revelatis, innixam exhibere ac demonstrare. *

DISSERTATIO II.

De fide Theologica.

Nota. Multiplex est acceptio nominis fidei apud scriptores sacros :

1. Enim sumitur pro fidelitate in promissis : *Perseverate adhuc conservare ad nos fidem* [1].

2. Pro conscientia : *Omne quod non est ex fide, peccatum est* [2].

3. Pro fiducia postulata assequendi : *Postulet autem quis in fide nihil hæsitans* [3].

4. Pro doctrina catholica ; sic Deus angelo Pergami dicit : *Non negasti fidem meam* [4].

5. Tandem pro assensu quem intellectus ex imperio voluntatis præbet veritatibus quibusdam propter auctoritatem dicentis, quæ si sit hominis, erit fides humana ; si Dei, erit fides divina. De hac sola hic agimus exponendo : 1° ejus essentiam et divisionem ; 2° objectum materiale ; 3° objectum formale ; 4° subjectum ; 5° proprietates ; 6° vitia opposita, totidem capitibus. De regulis autem fidei agemus in nostra theologia positiva.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET DIVISIONE FIDEI.

QUÆRES 1. *Quid sit fides ?*

RESP. 1. Definitur ab Apostolo : *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Dicitur 1° *Substantia ;* id est basis et fundamentum spei, quo sublato, corrueret spes nostra.

Dicitur 2° *Rerum sperandarum,* non quod sola quæ speramus, credamus, cum plurima credamus quæ spei

[1] 1 Machab. 10, v. 27. — [2] Rom. 4, v. 2. — [3] Jac. 1, v. 6.
[4] Ap. 2, v. 13.

nostræ objectum esse nequeunt; sed quia Deus quem speramus, præcipuum est fidei objectum ad quod cætera omnia revelata referuntur, vel ut effectus ad principium, vel ut media ad finem, etc.

Dicitur 3° *Argumentum non apparentium;* id est, juxta textum græcum, *convictio,* quia intellectus adeo firmiter revelatis adhæret, ac si evidentissime sibi apparerent.

Verum cum hæc Apostoli definitio non sit *essentialis,* sed *descriptiva* tantum, utpote quæ fidei effectus exponat, firmitatem nempe et obscuritatem, aliam exactiorem juxta scholasticam methodum proferunt theologi, cum quibus,

Resp. 2. *Fides* est *virtus theologica divinitus infusa, qua firmiter assentimur iis quæ a Deo revelata sunt, propter auctoritatem ipsius revelantis.*

Prob. bonitas definitionis : illa definitio est bona, et accurata, quæ constat genere et differentia; atqui prædicta definitio talis est; voces enim illæ : *virtus theologica divinitus infusa,* conveniunt spei et charitati, adeoque tenet locum generis. Aliæ vero soli fidei sunt propriæ, ideoque tenent locum differentiæ, ut ex dicendis patebit.

Dices : In illa fidei definitione desunt hæc verba : *et ut credenda per Ecclesiam proposita;* ergo non est accurata, sed manca illa definitio.

Resp. *Nego conseq.* Illa enim definitio non est manca, cui nihil deest essentiale; atqui nostræ definitioni nihil deest essentiale fidei, nam illud non est essentiale fidei sine quo potest esse fides theologica; atqui sine revelatorum propositione facta per Ecclesiam potest esse fides theologica, tum quia in Adamo et Abrahamo vera fuit fides theologica, quamvis articulorum quos credebant revelatio illis per Ecclesiam proposita non fuisset, tum quia, ex Concilii Trid. definitione [1], potest quis certitudine fidei credere se in gratia perseveraturum, *si speciali revelatione* id ab ipso

[1] Sess. 6, can. 6.

Deo immediate acceperit; ergo supponit alicujus rei fidem absolute stare posse absque eo quod Ecclesia factam revelationem proposuerit.

INST. D. Aug. ait[1] : *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas;* ergo propositio Ecclesiæ essentialis est ad fidem theologicam.

RESP. *Dist. conseq.* Propositio Ecclesiæ est essentialis ad fidem theologicam, catholicam et universalem, *conc.*; ad fidem theologicam alicujus particularis cui fieret revelatio, *nego conseq.* De prima loquitur D. Aug. cum loquatur de fide in hoc statu religionis jam stabilitæ, in quo Deus per seipsum credenda singulis immediate non revelat, et in quo consequenter præter Dei revelationem, requiritur fidei propositio facta ab Ecclesia, *quæ est columna et firmamentum veritatis.*

QUÆRES 2. *Quotupliciter fides theologica dividitur ?*

RESP. Dividitur 1° : in actualem et habitualem.

Fides *actualis* est actus quo intellectus, ex imperio voluntatis per gratiam excitatæ, firmiter assentitur rebus a Deo revelatis propter auctoritatem Dei revelantis.

Fides *habitualis* est habitus nobis a Deo infusus, actuum fidei elicitivus cum auxilio gratiæ actualis.

2° Dividitur in explicitam et implicitam.

Fides *explicita* est ea qua alicui speciali et determinato fidei articulo assentimur : puta Trinitati personarum, Incarnationi Verbi, etc.

Fides *implicita* est ea qua generatim omnibus a Deo revelatis et ab Ecclesia propositis assentimur, nulla determinatione facta ad aliquem particularem articulum.

3° Dividitur in vivam et mortuam.

Fides *viva* est ea quam observatio mandatorum comitatur. Vocatur ab Apostol.[2] *fides quæ per charitatem operatur.*

Fides *mortua* est ea quam mandatorum observatio non

[1] Lib. cont. Ep. fund., cap. 4. — [2] Hebr. 21, cap. 1.

comitatur; *fides sine operibus mortua est*, ait D. Jacob., cap. 4.

4° Dividitur in formatam et informem.

Fides *formata* est ea quæ in homine adjunctam habet charitatem et gratiam justificantem, qua tanquam extrinseca sui forma perficitur.

Fides *informis* est ea quæ charitate destituta manet. Talis est fides catholici peccato mortali coinquinati; diciturque *informis*, non quod careat firma fide secundum quam est vera virtus, sed quod caret charitate, quæ est forma extrinseca virtutum, per quam habet ut sint Deo gratæ et meritoriæ.

CAPUT II.

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI.

Nota 1. Objectum materiale adæquatum fidei est collectio omnium veritatum a Deo revelatarum.

Dividitur 1° : in objectum primarium seu attributionis, et secundarium seu attributum.

Objectum *attributionis* est illud ad quod cætera omnia revelata referuntur; et est Deus cum suis perfectionibus; nam cætera omnia ideo revelata sunt, ut Deus melius cognoscatur et magis ametur.

Objectum *attributum* est illud omne quod ad objectum primarium refertur; et sunt cætera omnia revelata.

Dividitur 2° : *in articulos fidei*, qui sunt veritates primariæ, quarum fides explicita est ad salutem necessaria; et in *puncta fidei*, quæ sunt veritates secundariæ, quarum fides mplicita (qua nimirum generatim creditur quidquid Deus revelavit et credit Ecclesia) sufficit ad salutem consequendam. Porro tum articuli fidei, tum puncta fidei sunt dogmata fidei.

Nota 2. Circa objectum materiale fidei quærimus :

1° An quodlibet objectum materiale fidei æque pertineat ad fidem; 2° Utrum objectum illud, quoad articulos, creverit successu temporis; 3° In quibus symbolis contineantur

articuli fidei; 4° An ea quæ deducuntur ex veritatibus revelatis, sint de objecto materiali fidei, seu de fide.

QUÆSTIO I.

UTRUM QUODLIBET OBJECTUM MATERIALE FIDEI ÆQUE PERTINEAT AD FIDEM?

Nota. Novatores distinguunt inter articulos fidei fundamentales et non fundamentales. Per articulos *fundamentales* intelligunt certos quosdam articulos quos credere necessarium est, et sufficit ad salutem consequendam. Per articulos *non fundamentales* intelligunt certos quosdam articulos quibus, non obstante qualibet Ecclesiæ et Conciliorum generalium definitione cognita, liberum est dissentire absque salutis dispendio et fidei catholicæ unitatis disruptione. Contra quos

Dico: *Singula objecta fidei supernaturalis, cujuscunque conditionis illa sint, æque pertinent ad fidem.*

Prob. 1. Quidquid æque participat rationem formalem alicujus habitus, illud æque attingitur a tali habitu, et per consequens æque ad eum pertinet; atqui singula objecta fidei supernaturalis, quæcunque illa sint, æque participant rationem formalem, seu motivum fidei nostræ supernaturalis, nempe divinam veritatem revelantem; ergo singula objecta fidei supernaturalis æque pertinent ad fidem.

Prob. min. Divina veritas revelans est una et eadem sicut unus est Deus, et ipsa eodem modo applicatur singulis veritatibus fidei (ut patebit infra, agendo de objecto formali fidei); ergo singula objecta fidei æque participant primam veritatem: *consequentia* patet, nam quod unum et idem est, eodemque modo pluribus applicatur, illud æque ab illis omnibus participatur.

Prob. 2. Si singula objecta fidei supernaturalis non æque pertinerent ad fidem, posset quis salvari quibusdam veritatibus fidei dissentiendo; atqui *falsum conseq.* Ergo. *Prob.*

sequel. maj. Nullus hæreticus potest salvari in sua hæresi, quia, ut ait Apost. [1] : *Subversus est qui ejusmodi est et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Quia scilicet sponte et pertinaciter se a tota Ecclesia separat, extra quam non est salus, sed certa damnatio [2]; atqui qui dissentit cuicunque veritati a Deo revelatæ et sufficienter ut talis ab Ecclesia propositæ, est hæreticus et habendus *sicut ethnicus et publicanus* [3]. Ergo qui dissentit cuicunque veritati a Deo revelatæ et sufficienter propositæ, non potest salvari quandiu dissentit. Ergo falsum est singula objecta fidei non æque pertinere ad fidem; ergo falsa est distinctio articulorum fundamentalium et non fundamentalium a recentioribus hæreticis efficta.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. D. Th. [4] ait : *Aliqua sunt credibilia de quibus est fides secundum se..., sicut sunt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis et alia hujusmodi...; alia vero sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed solum in ordine ad alia..., sicut quod Abraham habuit duos filios*, etc.; atqui quod non est credibile per se, sed tantum propter aliud, non est æque credibile ac illud quod est credibile per se; ergo non æque pertinebit ad fidem infusam.

RESP. *Nego min.* Nam omnia credibilia, cujuscunque sint conditionis, sunt æque credibilia; quia æque participant formale motivum fidei infusæ et æque fundantur in testimonio Dei revelantis.

INST. 1. Credibilia per se et credibilia per accidens non sunt sibi invicem paria; ergo non sunt æque credibilia.

RESP. *Dist. ant.* Non sunt paria, si per comparationem *ad fidem supernaturalem* spectentur, *nego antec.*, quia sic æque fundantur in testimonio Dei: Si per comparationem *ad finem præcipuum ipsius fidei* spectentur, *conc. ant.*, nam ad hunc finem, qui est cognitio et amor Dei ut est nostra beatitudo,

[1] Ad Tit. 3, v. 11. — [2] Ita explicant D. D. Hieronym., Anselmus et alii. — [3] Matth. 18, v. 17. — [4] 2, 2, q. 1, a. 6, ad 1.

non omnia revelata æqualiter conferunt; unde D. Th., sese explicans[1], ait: *Quia vero fides principaliter est de his quæ videndo speramus in patria, secundum illud* (*Hebr.* 11): Fides est sperandarum substantia rerum, *ideo per se pertinent ad fidem illa quæ directe nos ordinant ad vitam æternam, sicut sunt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis Christi et alia hujusmodi.*

Inst. 2. Inter res revelatas a Deo quædam sunt necessariæ, v. g., quod Deus sit unus, trinus, etc.; aliæ contingentes, v. g., quod canis Tobiæ moverit caudam in adventu heri sui; ergo res revelatæ non habent eamdem veritatem.

Resp. *Dist. conseq.* Non habent eamdem veritatem *in esse rei*, quæ consistit in ipsa actuali principiorum rei connexione inter se, *conc. conseq.*; non habent eamdem veritatem *in esse credibilis*, quæ consistit in ipsa conformitate rei cum testimonio Dei revelantis, *nego conseq.* Hic autem tantum consideramus res revelatas secundum veritatem *in esse credibilis.*

Inst. 3. Atqui non omnia revelata habent parem veritatem *in esse credibilis.* Ergo.

Prob. subs. Inter objecta nostræ fidei unum est magis revelatum quam aliud. Ergo.

Resp. *nego ant.*

Prob. ant. Inter revelata datur aliquod quod est expressius, imo et sæpius revelatum quam aliud. Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam major expressio rei revelatæ se tenet tantum ex parte modi quo talis revelatio fit, qui cum sit accidentalis revelationi, non variat ejus substantiam, quæ in hoc consistit ut aliquod sit a Deo revelatum.

Objicies 2. Inter revelata multa sunt quæ videntur parvi vel nihili referre ut credantur; v. g., quod canis Tobiæ moverit caudam, etc.; ergo in hujusmodi rebus licet quidlibet sentire, salva fide et salute.

Resp. *Nego ant.* Multum enim refert quod Deus locutus

[1] Ibid.

sit : porro qui dissentit rebus a Deo revelatis, vilipendit ejus summam in dicendo veracitatem, quod est summe injuriosum.

Objicies 3. Catholici admittunt distinctionem articulorum fundamentalium et non fundamentalium; ergo sunt aliqui articuli quibus licet dissentire, salva fide et salute.

Resp. *Nego conseq.* Quia catholici per articulos *fundamentales* intelligunt tantum veritates revelatas, quæ necessario debent credi explicite ad salutem consequendam; per articulos non fundamentales intelligunt tantum veritates a Deo revelatas, quarum fides explicita non est necessaria necessitate medii ad salutem, quarum proinde ignorantia invincibilis non impedit salutis consecutionem; unde toto cœlo catholici dissentiunt ab hæreticis.

QUÆSTIO II.

UTRUM ARTICULI FIDEI SUCCESSU TEMPORIS CREVERINT?

Nota 1. Articulus fidei definitur: *Propositio catholica habens principii rationem in fide specialemque ab aliis articulis ad credendum difficultatem, ab omnibus explicite credenda.*

Dicitur 1°: *Prop. catholica;* id est, quæ spectat universalem Ecclesiæ fidem.

Dicitur 2°: *Habens rationem principii;* id est, pertinens ad præcipua fidei capita, e quibus educuntur conclusiones et puncta fidei.

Dicitur 3°: *Specialem difficultatem habens;* sic hoc caput fidei : *Christus passus est,* habet specialem difficultatem ab hoc capite : *resurrexit a mortuis;* ideoque articulus Passionis est distinctus ab articulo Resurrectionis; at quod Christus sit *passus, mortuus, sepultus,* licet sint tria puncta fidei, est tamen unicus articulus, quia non habent nisi unam et eamdem difficultatem.

Nota 2. Articuli fidei dicuntur crescere secundum subsntiam, dum aliquis de novo revelatur a Deo; dicuntur

vero crescere secundum explicationem, dum revelatio, olim a Deo obscure facta et controversa, per infallibilem controversiarum judicem certificatur.

Dico : *Articuli fidei successu temporis non creverunt secundum substantiam, sed duntaxat secundum majorem explicationem.*

PROB. PRIMA PARS : ex Apost. qui [1], conferens Patres Veteris Testamenti cum iis qui sunt sub Novo, ait : *Habentes eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus propter quod loquimur.* Ergo Patres Veteris Testamenti unam et eamdem nobiscum fidem habuerunt; unde Aug. [2] dicit : *Unam esse fidem Veteris et Novi Testamenti.*

Confirmatur auctoritate et ratione D. Th. [3], dicentis : *Omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deus esse et providentiam habere circa hominus malutem, secundum illud (Hebr. 11): Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.* Atqui omnes quotquot fuerunt fideles ab initio mundi, vel erunt usque ad finem ejus, crediderunt istis duobus articulis, vel credent; alias qui fuerunt, non potuissent, et qui erunt, non possent accedere ad Deum, ut significat hæc particula *oportet*, quæ necessitatem *medii* importat.

PROB. SECUNDA PARS. Illi articuli successu temporis creverunt quoad explicationem, qui uberius, clarius et expressius ab Ecclesia explicati sunt et propositi tanquam de fide credendi; atqui plures articuli uberius, clarius et expressius ab Ecclesia successu temporis explicati sunt, etc. Ergo. *Prob. min.* Ecclesia occasione insurgentium hæreseon varias propositiones definivit expliciteque credendas fidelibus exhibuit, quæ in Scriptura aut traditione implicite tantum et quoad substantiam continebantur; sic ut Arius Verbi cum Patre consubstantialitatem impugnavit, Eccle-

[1] II ad Cor. 4, v. 13. — [2] Serm. 7 *de Sanctis*. — [3] 2, 2, q. 1, a. 7, in corp.

sia in primo Concilio Nicæno, libratis in utramque partem Scripturarum et traditionis momentis, ex peculiari Spiritus Sancti assistentia, definivit Scripturarum et traditionis sententias, in quibus Verbi divini fit mentio, veram ejus cum Patre consubstantialitatem tradere; ergo plures articuli uberius, clarius et expressius ab Ecclesia successu temporis explicati sunt et propositi de fide credendi. Ergo.

QUÆSTIO III.

DE SYMBOLIS IN QUIBUS CONTINENTUR ARTICULI FIDEI.

Nota 1. Nomine Symboli fidei intelligitur : *summa quorumdam præcipuorum fidei articulorum omnibus fidelibus ad expresse credendum proposita, distinguens illos ab infidelibus.*

Nota 2. Tria sunt fidei symbola :

1° Est *Apostolicum*, quod a cunctis fidelibus in oratione quotidiana recitatur.

2° Est *Nicænum*, quod in Concil. Nicæno primo contra impietatem Arii conditum est, anno 325, et in Constantinopol. primo actum contra impietatem Macedonii negantis divinitatem Spiritus Sancti; unde licet, Patres Constantinopolitani tradant symbolum quod aliqui vocant *Constantinopolitanum*, solum intendunt tradere Nicænum paulo explicatius et uberius quam sit editum a suis primis auctoribus; unde vocatur ab aliis *Nicæno-Constantinopolitanum*; et illud est quod publice decantatur inter Missarum solemnia.

3° Est *Athanasianum*, quod incipit his verbis : *Quicunque vult salvus esse*, etc.

Nota 3. Circa symbolum *Nicænum* nulla est controversia; certum est enim illud habere auctoritatem veri et legitimi Concilii, ut fatentur hæretici.

Circa symbolum *Athanasianum* controvertitur inter eruditos, utrum sit verus fætus D. Athanasii; sed quidquid sit de hac controversia, quæ est meri facti, certum est : 1° illud continere doctrinam quam D. Athanasius mira eruditione

et patientia ad mortem usque propugnavit; certum est : 2° auctoritatem hujus symboli non provenire præcise et immediate a Div. Athanasio, sed ab Ecclesia quæ illud probavit, et sua auctoritate sancivit legendum et decantandum in Ecclesia.

Circa symbolum *Apostolorum* Erasmus [1] dubitat an sit conditum ab Apostolis; Calvinus [2] et ejus discipuli fatentur quidem illud symbolum vocari *Apostolicum*, eo quod contineat doctrinam ab Apostolis traditam, sed negant illud fuisse ab Apostolis conditum; contra quos

Dico : *Symbolum Apostolorum ab ipsis Apostolis fuit conditum, non solum quoad doctrinam in eo contentam, sed etiam quoad formulam sub qua ordinatur.*

Prob. Ex traditione Patrum primorum sæculorum.

1. Sanctus Clemens, epist. ad S. Jacobum [3], sic scribit : *Adhuc in uno positi* (Apostoli) *symbolum quod nunc fidelis tenet Ecclesia, unusquisque quod sentit dicendo, condiderunt, ut discedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent.* Quid expressius ?

2. Sanctus Irenæus [4] dicit : *Ecclesia... ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem.*

3. Lucifer Calaritanus [5], loquens de symbolo Apostolorum, appellat illud *formam disciplinæ et regulam fidei per Apostolos traditam.* Ergo.

Confirm. Ex hac regula a S. Aug. [6] tradita : *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Atqui istud symbolum universa a primis etiam sæculis tenet Ecclesia, nec ullum potest proferri Concilium a quo institu-

[1] Præfat. In paraphrases in sanctum Matthæum. — [2] Lib. 3, *Institution.*, cap. 16, § 18. — [3] Turrianus, lib. 2, pro Epistolis Pontificum probat hanc Epistol. esse veram et legitimam. — [4] L. 1 adversus hæreses c. 2. — [5] L. 2 ad Constantium Imperatorem. — [6] L. 4 *De Bapt.*, c. 24

tum sit; ergo merito creditur ab Apostolis esse traditum; unde opposita sententia ad minus est temeraria.

Objicies 1. Quidquid est compositum ab Apostolis, est Scriptura Sacra; atqui Symbolum non est Scriptura Sacra. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quidquid est compositum scripto, *conc. maj.*; verbo tantum, *nego maj.* Porro Symbolum Apostolorum fuit ab ipsis solummodo traditum, ut memoria retinendum [1].

Inst. D. Lucas, qui scripsit Acta Apostolorum, non meminit illius Symboli. Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Neque D. Lucas omnia dicta et facta Apostolorum scripsit, sic non meminit Evangelii a D. Mattheo conscripti.

Objicies 2. In illo Symbolo dicitur : *Credo in Ecclesiam catholicam*, id est, ubique diffusam; atqui tempore Apostolorum Ecclesia non erat catholica. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Non erat catholica actu, *conc. min.*; potentia proxima, *nego min.* Quando itaque Apostoli ediderunt Symbolum, Ecclesia proxime futura erat catholica, quod eis certo constabat tum ex prophetia Davidis [2] : *In omnem terram exivit sonus eorum, etc.*, tum ex mandato quod acceperunt a Christo Ecclesiam per universam orbem diffundendi : *Euntes, docete omnes gentes* [3], quod sufficiens eis erat ut apponerent in Symbolo hanc vocem, *Ecclesiam catholicam.*

QUÆSTIO IV.

UTRUM EA QUÆ DEDUCUNTUR EX VERITATIBUS REVELATIS SINT DE OBJECTO MATERIALI FIDEI, SEU DE FIDE?

Nota. Revelatio est *veritatis obscuræ manifestatio a Deo facta*

[1] Ita docent D. Hieron., Rufinus et alii. — [2] Ps. 28. — [3] Matth. 28, v. 20.

creaturæ rationali. Alia est formalis et immediata; alia virtualis et mediata.

Revelatio *formalis* et *immediata* est ea qua aliqua veritas in se ipsa explicite revelatur.; v. g., *Christus est homo*.

Revelatio *virtualis* et *mediata* est ea qua aliqua veritas ex alia formaliter revelata evidenter deducitur; v. gr., *Christus constat unica persona*. His notatis,

Dico 1. *Propositio legitime deducta ex duabus præmissis immediate revelatis est de fide divina*..

Prob. Propositio quæ habet pro motivo assensus divinam revelationem est de fide divina; atqui propositio deducta ex duabus præmissis immediate revelatis habet pro motivo assensus divinam revelationem, non vero discursum qui se tantum habet respectu assensus conclusioni datus, ut sufficiens revelationis applicatio ad illam conclusionem. Ergo.

Hinc conclusio hujus syllogismi : *Deus est bonus; atqui Christus est Deus; ergo Christus est bonus;* est de fide divina.

Dico 2. *Conclusio legitime deducta ex majore universali immediate revelata et minore non revelata, sed certa, sive certitudine metaphysica vel physica, sive certitudine morali excludente omnem formidinem, est de fide.*

Prob. Conclusio particularis contenta in universali immediate revelata, est de fide divina; alias nec propositio illa generalis esset de fide, cum ex particularibus constet, et supponat pro illis; atqui conclusio legitime deducta ex universali immediate revelata, continetur in illa. Ergo.

Hinc 1° Conclusio hujus syllogismi : *Omnes homines aliquando morientur, sed Petrus est homo; ergo aliquando morietur*, est de fide, quia major est universalis immediate revelata, et minor est certa metaphysice.

Hinc 2° Conclusio hujus syllogismi : *Quidquid Ecclesia definit circa fidem et mores est de fide*, nam Ecclesia est *columna et firmamentum veritatis* [1]; *atqui certum est certitudine magna*

[1] I ad Tim. 3, v. 15.

morali Ecclesiam agnoscere Concilium Tridentinum ut œcumenicum; ergo Concilium Tridentinum est œcumenicum; est de fide.

Objicies : Conclusio sequitur debiliorem partem ; ergo, si minor syllogismi non sit de fide divina, nec ipsa conclusio erit de fide.

Resp. *Dist. ant.* Conclusio sequitur debiliorem partem, si spectetur formaliter, id est, quatenus deducitur ex præmissis, *conc. ant.*; si spectetur materialiter, id est, quatenus continetur in majori revelata, *nego ant.* Ratio est, quia motivum assentiendi conclusioni spectatæ formaliter, est discursus artificialis; at motivum assentiendi conclusioni materialiter spectatæ, est divina revelatio, in qua contineri certo cognoscitur per illationem legitimam.

Inst. Cum Deus revelavit hanc propositionem : *Omnis homo est moriturus*, non revelavit Petrum esse hominem; ergo Deus non revelavit nequidem simpliciter Petrum esse moriturum.

Resp. *Nego conseq.* Quia ad hoc ut Deus revelaverit implicite Petrum esse moriturum, sufficit quod propositio particularis contineatur formaliter implicite in propositione universali, quæ non verificatur, nisi in propositionibus particularibus, pro quibus supponit.

Dico 3. *Conclusio legitime deducta ex majore universali omnino certa, sed non revelata, et ex minore immediate revelata, est de fide.*

Prob. Illud est de fide divina quod est mediate saltem revelatum; atqui conclusio legitime deducta ex majore omnino certa, et minore immediate revelata, est mediate saltem revelata. Ergo. *Prob. min.* Illud est mediate saltem revelatum, quod continetur in veritate immediate revelata, vel ut aliquid idem cum illa, vel ut pars, vel ut proprietas necessaria illius; atqui talis est conclusio deducta ex majore universali omnino certa, et ex minore immediate revelata. Ergo, etc.

Hinc conclusiones sequentium syllogismorum sunt de fide.

Omnis homo est animal rationale; sed Christus est homo; ergo Christus est animal rationale. Quia conclusio est quid idem cum veritate revelata.

Omnis homo habet animam rationalem; atqui Christus est homo; ergo habet animam rationalem, quia conclusio est pars totius immediate revelati.

Omnis homo est risibilis; sed Christus est homo. Ergo. Quia conclusio est proprietas necessaria rei immediate de Christo revelatæ, nempe hominis.

Dices : Ista propositio *Christus est risibilis,* non est magis revelata quam hæc major ex qua deducitur, *omnis homo est risibilis;* ergo nequidem implicite est revelata.

Resp. *Nego ant.* Nam hæc proposit., *Christus est risibilis,* habet necessariam connexionem cum ista immediate revelata, *Christus est homo;* sed quod habet necessariam connexionem cum veritate immediate revelata, est virtualiter et æquivalenter revelatum; ergo hæc proposit., *Christus est risibilis,* est æquivalenter revelata; ergo tam digna est assensu propter testimonium Dei revelantis, quam si esset revelata formaliter.

CAPUT III.

DE OBJECTO FORMALI FIDEI.

Nota 1. Objectum formale fidei est *immediatum motivum propter quod credimus veritatibus a Deo revelatis.*

Nota 2. Cum fides versetur circa Deum quatenus est summa veritas, conveniunt facile omnes theologi illam veritatem esse objectum formale fidei; sed cum in Deo triplex agnoscatur veritas, nempe *in essendo,* qua verus est Deus; *in cognoscendo,* qua omnia talia qualia sunt a parte rei, absque ullo errore cognoscit; et *in dicendo* seu *revelando,* qua neminem fallere potest, et quæ ad distinctionem duarum præcedentium dicitur alio nomine *veracitas,* ideo

controvertitur qualis veritas sit objectum formale fidei; circa quod

Dico : *Objectum formale fidei est* prima *veritas* in dicendo, *sive est revelatio Dei summe veracis.*

Prob. 1. Ex Scriptura quæ, ut nos ad credendum inducat, semper adducit testimonium et veracitatem Dei; Joan. 5 : *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se,* id est, credit propter testimonium, seu revelationem Dei; *qui non credit in Filio, mendacem facit eum.* Mendacium autem proprie opponitur veritati in dicendo; Joan. 3 : *Qui accepit ejus* (Christi) *testimonium, signavit quia Deus verax est.* Ergo testimonium seu revelatio Dei summe veracis est objectum formale fidei.

Prob. 2. Objectum formale fidei est immediatum motivum propter quod assentimur veritatibus a Deo revelatis; atqui prima veritas in dicendo, seu revelatio Dei summe veracis est motivum immediatum propter quod assentimur veritatibus a Deo revelatis; non enim assentimur Deo loquenti, nisi quia verax est, nec nos fallere potest. Ergo.

Resolv. Objectum formale fidei esse complexum ex prima veritate *in dicendo,* et actuali revelatione, tanquam partibus objecti totalis et adæquati; ita tamen ut prima veritas *in dicendo* magis primario pertineat ad illud quam actualis revelatio, quia ratio objecti formalis attenditur penes vim movendi ad assensum; atqui vis movendi ad assensum provenit primario et per se a prima veritate, non vero provenit ab actuali revelatione nisi secundario et ratione alterius, nimirum ratione veritatis in dicendo. Ergo.

Objicies 1. Objectum formale fidei est Deus ut Deus est; seu est prima veritas *in essendo;* ergo non est Deus ut verax est.

Resp. *Neg. ant.*

Prob. Illud est objectum formale fidei in quod fit ultima ejus resolutio; atqui ultima fidei resolutio fit in ipsum Deum ut Deus est. Ergo.

Resp. *Neg. min.*

Prob. Interroganti *quare credis revelanti?* Respondemus, *quia verax est.* Sed rursus interroganti : *Quare Deus verax est?* Respondemus, *quia Deus est;* ergo ultima resolutio nostræ fidei fit in ipsum Deum ut Deus est.

Resp. *Dist. conseq.* Resolutio ultima fidei fit in ipsum Deum ut Deus est, tanquam in rationem, propter quam Deus est summa veritas in dicendo, *conc. conseq.*; tanquam in rationem formalem et motivam, propter quam assentimur Deo loquenti, *nego conseq.* Hic autem agimus solum de resolutione ultima nostræ fidei in motivum propter quod credimus: atqui tale motivum est prima veritas revelans, cum hac prima veritate non detur alia ulterior quæ sit formale motivum credulitatis.

Objicies 2. Objectum formale fidei est veritas Dei *in cognoscendo.* Ergo, etc.

Resp. *Neg. ant.*

Prob. Ideo assentimur revelatis a Deo, quia Deus non potest falli. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.*

Prob. Si Deus, per hypothesim impossibilem, posset falli, non esset amplius dignus cui aliquid dicenti credatur per assensum infallibilem. Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Ex antecedente enim sequitur tantum quod veritas *in cognoscendo* sit in Deo radix et fundamentum ejus veracitatis *in dicendo;* non vero sequitur quod sit motivum formale et immediatum propter quod credimus Deo; porro cum nihil possit esse sine eo quod est sibi proprium fundamentum et radix, non mirum est si, sublata per impossibile prima veritate *in cognoscendo,* auferatur prima veritas *in revelando,* et consequenter objectum formale fidei nostræ.

Quæres : *In quid ultimo fides resolvatur?* Ante responsionem,

Nota : Resolutio alicujus rei est *ejus reductio ad suas ul-*

timas causas, ex quibus suo modo componitur. Unde quærere in quid ultimo fides resolvatur, est quærere *quænam sit ultima causa cur fidelis credat?* Unde

Resp. Cum sint multæ causæ quæ determinant intellectum ad assensum qui præbetur revelatis, fides divina variis modis resolvitur :

1° *Resolvitur* in auctoritatem Dei summe veracis, tanquam in suam causam *formalem*, ut dictum est;

2° *Resolvitur* in auctoritatem Ecclesiæ, tanquam in causam *directivam*, cum sit omnium credendorum ultima *regula infallibilis* per quam applicatur nobis revelatio;

3° *Resolvitur* in motiva credibilitatis, tanquam in causam *inductivam*, quia mentem nostram remote et a posteriori disponunt ad credendum, quatenus sunt conditio sine qua prudens certitudo de divina revelatione haberi non potest.

Colliges, ex iis quæ hucusque diximus, fidelem sic procedere in reddendam rationem suæ fidei: *credo Deum esse Trinum*, quia Deus revelavit; *credo Deum revelasse se esse Trinum*, quia Deum esse trinum tanquam revelatum Ecclesia proponit; *credo Ecclesiæ definitioni*, quia ejus infallibilitas est revelata in Scripturis, quas divinas esse ita ex motivis credibilitatis evidens est, ut plane stultus sit qui motivis illis non moveatur.

Dices cum heterodoxis, in hoc processu fit circulus vitiosus; ergo non est admittendus.

Prob. ant. In hoc processu probatur auctoritas Ecclesiæ per revelationem divinam, et revelatio divina per auctoritatem Ecclesiæ; ergo est circulus vitiosus.

Resp. *Dist. ant.* Probatur, etc., ex eodem genere causæ, *nego ant.*; ex diverso genere causæ, *conc. ant.* Probatur enim auctoritas Ecclesiæ per revelationem divinam tanquam per causam formalem assensus, et revelatio divina per auctoritatem Ecclesiæ tanquam per causam directivam applicantem nobis divinam revelationem; unde in nostro pro-

cessu non fit circulus vitiosus, qui tantum reperitur cum hoc per illud, et illud per hoc probatur ex eodem genere causæ, et quidem apud eum qui æque utrumque negat.

* *Conf.* Ecclesiam a Christo fundatam quibusvis N. T. libris anteriorem esse, prioritate chronologica certum est, nec ipsi adversarii diffiteri possunt; atqui, Ecclesia sic instituta et informata absque scripturarum subsidio stetit ac perseveravit per plures annos, longe lateque se extendit. Christi fideles et Ecclesiæ veritatem et ejus dotes atque proprietates noverunt, ab Ecclesia instituebantur, sacramenta recipiebant, orationem Dominicam juxta Ecclesiæ magisterium recitabant, omnia credebant dogmata antequam illa scriptis vulgarentur, nec nisi ab Ecclesia ipsa, hæc scripta tanquam a Deo revelata acceperunt; ergo existentia Ecclesiæ ejusque dotes ac proprietates comprobantur quin ad Sacras Scripturas recurrere necesse sit. Ergo non primario sed secundario, ac subsidiario quodammodo, ut ita dicam, probatur Ecclesia per Scripturam Sacram, dum e contra primario evincitur S. Scripturæ divinitas per auctoritatem Ecclesiæ. Ergo nullus esse potest circulus vitiosus. *

CAPUT IV.

DE SUBJECTO FIDEI.

Nota. Per subjectum fidei intelligimus creaturas in quibus fides reperitur, tam secundum actum quam secundum habitum. Circa quod :

Certum est 1. *Veram fidem fuisse in Angelis viatoribus.* Nam Angeli viatores placuerunt Deo, et beatitudinem promeriti sunt, ait Apostol.[1] : *Sine fide impossibile est placere Deo,* et fides est radix ac principium meriti. Ergo.

Certum est 2. *Fidem non esse et Dæmonibus et damnatis,* quia fides est donum Dei natura sua ordinatum ad beatitudinem:

[1] Hebr. 11, v. 6.

est enim *sperandarum substantia rerum*; atqui Dæmones et damnati exciderunt omni spe beatitudinis comparandæ. Ergo, etc.

Quod si Jacob. 2 dicatur: *Dæmones credunt et contremiscunt*, id non intelligitur de fide divina, sed de fide mere naturali, coacti nempe evidentia et terribili Dei vindicis experientia convicti; neque enim Deus ullum dat illis speciale auxilium ad eliciendos actus supernaturales.

Certum est 3. *Fidem non esse in Beatis : bene vero in animabus Purgatorii*. Nam fides in justis non evacuatur nisi per visionem beatificam, juxta illud Apost. [1] : *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, scilicet fides; atqui soli Beati, non vero animæ Purgatorii fruuntur visione beatifica; ergo fides remanet in animabus Purgatorii, non vero in beatis.

Restat igitur resolvendum, an fides remaneat in peccatoribus et Hæreticis.

Dico 1. *Fides divina remanet cum peccato mortali ab infidelitate distincto*.

Prob. Ex Apostol. [2] : *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Ergo fides potest esse cum peccato mortali, per quod solum amittitur charitas, prout definivit Conc. Trid. [3] his verbis : *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine charitate habet non esse Christianum, anathema sit*.

Ratio *a priori* est voluntas Christi qui noluit ut peccator, non infidelis, privaretur radice per quam posset converti, eliciendo connaturaliter actus fidei.

Dico 2. *Habitus fidei totaliter perit in Hæretico, etiamsi unicum vel minimum fidei articulum rejiciat*.

Prob. prima pars : ex Apostol, [4] : *Devita profanas vocum*

[1] I Cor. 13, v. 10. — [2] I Cor. 12, v. 2. — [3] Sess. 6, can. 38. — [4] I ad Tim., 6, v. 20.

novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt; atqui circa fidem excidere, est fidem amittere, seu a fide aberrare. Ergo. Unde Conc. Trid. [1] *asserit non modo infidelitate per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.*

PROB. SECUNDA PARS : contra Durandum [2]. Quod est indivisibile, totum perire necesse est; atqui fides est indivisibilis, cum, licet plures veritates credat, illa tamen credat sub uno atque indivisibili motivo, scilicet Dei veritate *in revelando*. Ergo. Unde D. Th. ait [3] : *Manifestum est, quod talis Hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis*. Cum, ex Apostol. [4], non sit nisi *una fides*, quam profitendo salvari possumus.

OBJICIES 1. Qui est circa unum fidei articulum Hæreticus, eadem facilitate credit alios articulos ac antea; ergo respectu illorum remanet habitus fidei.

RESP. *Dist. conseq.* Remanet habitus fidei naturalis et humanæ per actus repetitos contractus, *conc. conseq.;* supernaturalis et divinæ, *nego conseq.* Neque enim tales Hæretici vere captivant intellectum suum in obsequium primæ veritatis; si enim vere hoc facerent, intellectum suum illi captivarent in omnibus quæ revelavit, cum prima veritas æque in uno sit fallere nescia ac in altero, et si in uno fallat, non sit prima veritas, cui proinde non credunt, in iis quæ credunt, sed humanæ persuasioni.

INST. 1. Hæreticus circa unum articulum credit alios articulos propter solam revelationem divinam, quæ est ratio formalis fidei; ergo respectu morum retinet habitum fidei supernaturalis.

RESP. *Dist. ant.* Credit propter revelationem divinam ab Ecclesia propositam *per se* creditam, ut nos facimus, *nego ant.;* propter revelationem divinam ex propria persuasione

[1] Sess. 6, c. 15. — [2] In 3, dist. 23, q. 9. — [3] 2. 2, q. 5, a. 3. — [4] Ephes. 4, v. 5.

creditam et receptam, *conc. ant.;* verum hic modus credendi non sufficit ad fidem supernaturalem.

INST. 2. Habitus potest consistere cum aliquo actu contrario. Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Habitus naturalis, *conc. ant.;* supernaturalis, *nego ant.;* ut patet in habitu charitatis qui per unicum peccatum mortale destruitur; ratio est voluntas Dei qui, propter unicum infidelitatis actum, habitum fidei quæ est ejus donum, auferre voluit.

OBJICIES 2. Hæreticus qui unum articulum fidei rejicit, aliis retentis, non ideo talem articulum rejicit, quod credat Deum in revelando esse fallacem, sed quod credat illum articulum a Deo non esse revelatum; ergo non amittit habitum fidei.

RESP. *Nego ant.* Nam ille credit Deum in revelando esse fallacem, qui contemnit judicium Ecclesiæ quam Deus revelavit esse columnam et firmamentum veritatis; sed Hæreticus qui respuit unum articulum quem ut revelatum Ecclesia proponit, contemnit judicium Ecclesiæ, et sequitur propriam phantasiam et persuasionem. Ergo. Porro qui primæ veritati discredit in uno, non credit in ullo; sed contra eam *peccans in uno, factus est omnium reus* [1].

CAPUT V.

DE PROPRIETATIBUS FIDEI.

Nota. Quinque recenseri possunt fidei proprietates, nempe supernaturalitas, certitudo, obscuritas, credibilitas et necessitas; de quibus sit

QUÆSTIO I.

DE SUPERNATURALITATE FIDEI.

Nota. Quæstio non procedit de habitu fidei; constat enim ipsum esse supernaturalem et donum Dei, juxta illud

[1] Jac. 2, v. 10.

Ephes. 2 : *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est;* de solo ergo assensu seu actu fidei quærimus utrum sit supernaturalis; ideo

Dico : *Assensus seu actus fidei est vere, est entitative supernaturalis.*

Prob. Actus specificantur ab objecto formali et principio productivo; atqui objectum formale et principium assensus fidei productivum, sunt supernaturalia. Ergo.

Prob. 1ª *pars min.* Objectum formale assensus fidei est divina revelatio; atqui divina revelatio est supernaturalis; neque enim est intra exigentiam naturæ. Ergo.

Prob. 2ª *pars min.* Bona gratiæ sunt supernaturalia; atqui assensus fidei non nisi auxilio gratiæ producitur, juxta illud Joan., 6 : *Hoc est opus Dei ut credatis in eum.* Unde Concil. Trid. definivit : *Si quis dixerit, sive præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere... posse sicut oportet, etc., anathema sit.* Ergo.

Dices : Actus potentiarum naturalium est naturalis; atqui assensus fidei est actus potentiarum naturalium, quippe est actus ab intellectu ex imperio voluntatis elicitus. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Actus potentiarum naturalium ut naturaliter operantium, est naturalis, *conc. maj.*; actus potentiarum naturalium cum auxilio gratiæ et ex motivo supernaturali operantium, *nego maj.*, et sic ad minorem. Porro ut actus sit supernaturalis non requiritur ut nihil naturale ad illius productionem concurrat, sed sufficit ut unum ex ejus comprincipiis omnino sit supernaturale, licet aliud sit naturale.

Colliges assensum fidei esse mere *judicativum* et *adhæsivum* ad objectum fidei divinæ ut subest revalationi, non vero *discursivum;* si enim esset discursivus, esset tantum naturalis quoad entitatem, utpote productus a potentia naturali ut naturaliter operante, quia oriretur a judicio quod intellectus credentis formaret de bonitate consequentiæ rei revelatæ ad ipsam revelationem Dei in tali discursu.

Objicies. Omne argumentum est cum discursu ; atqui fides nostra, ex Apostol., est *argumentum non apparentium;* ergo interior assensus fidei nostræ est discursivus.

Resp. *Dist. min.* Fides est argumentum proprie sumptum, *nego min.;* improprie sumptum, nimirum pro convictione intellectus, *conc. min.* Itaque cum convictio intellectus sit ordinarie effectus argumenti, ideo fides vocatur ab Apostolo argumentum.

Inst. 1. Assensus huic conclusioni datus : *Omnis homo est moriturus ; atqui Petrus est homo ; ergo Petrus est moriturus*, est assensus fidei divinæ; atqui est discursivus. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Talis assensus spectatus *formaliter* ut est conclusio, est discursivus, *conc. min.;* spectatus *materialiter* ut est actus fidei, *nego min.* Porro veritas quæ habetur per discursum, potest spectari duobus modis : 1° *materialiter*, quatenus est propositio enuntians hoc vel illud præscindendo ab hoc quod deducatur ex aliquo antecedenti ; 2° *formaliter*, quatenus est conclusio, id est, quatenus est assensus deductus vi et efficacia alicujus antecedentis cogniti. Si spectetur primo modo, est assensus fidei, nec est discursivus ; si spectetur secundo modo, est assensus theologicus, isque discursivus, atque minoris certitudinis quam præmissa a qua deducitur.

Inst. 2. Interior assensus fidei constat duobus judiciis : uno quo assentimur Deum hoc et illud revelasse ; altero quo assentimur huic vel isti revelato ; et hoc posterius judicium, seu assensus, elicitur ex vi prioris ; ergo interior assensus fidei est discursivus.

Resp. *Nego ant.* Quia actus fidei, quatenus talis, non postulat sua natura duo judicia, sed unum duntaxat quo assentimur rei a Deo revelatæ ob divinam revelationem tanquam formale objectum ; discursus autem natura sua et necessario postulat duo judicia. Unde quando discursus intervenit in assensu fidei, tunc ille non habet rationem formalis motivi, sed solum applicantis divinam revelatio-

nem ad objectum revelatum ; sicque semper dispar est ratio assensus fidei ab assensu dato alicui conclusioni syllogisticæ.

QUÆSTIO II.

DE CERTITUDINE FIDEI.

Nota. Circa fidei certitudinem triplex potest esse difficultas : 1° Ex parte Dei revelantis, utrum, scilicet, possit revelare falsum; 2° Ex parte hominis credentis, utrum fide divina possit credere quod a parte rei est falsum; 3° Ex parte assensus fidei, utrum sit certior quolibet assensu scientifico ; circa quas

Dico 1. *Deus nequidem de potentia absoluta potest revelare falsum.*

Prob. Ex Script., Num. 23 : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur.* Hebr. 6 : *Impossibile est mentiri Deum.* Ergo repugnat Deum falsum revelare etiam de potentia absoluta et extraordinaria, nam eodem modo repugnat Deum *mentiri* quo repugnat *mutari;* atqui etiam secundum *potentiam absolutam* repugnat Deum mutari juxta illud Psalmistæ [1] : *Tu autem idem ipse es.* Ergo, etc.

Objicies 1. Deus dicit [2] : *Propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Ergo Deus potest decipere et falsum revelare.

Resp. *Dist. conseq.* Potest decipere permissive et negative, *conc. conseq.;* positive, revelando falsum, *nego cons.* Hoc enim repugnat enti summe veraci et infinite sapienti, at non ei repugnat decipere permissive vel negative, aliquibus nimirum substrahendo lumen sapientiæ.

Objicies 2. Deus multa prædixit per prophetas suos, quæ tamen non evenerunt; ergo potest fallere.

Resp. *Dist. ant.* Multa non evenerunt quæ Deus prædixit absolute, *nego ant.;* conditionate, vel secundum cursum or-

[1] Ps. 101. — [2] Ezech. 14.

dinarium causarum secundarum, *conc. ant.* Sic prædictio subversionis Ninives per Jonam [1] fuit conditionata et comminatoria, nempe si interea Ninivitæ pœnitentiam non egerint; qua conditione non posita effectus non est secutus. Sic Isaias [2] recte prædixit Ezechiæ regi futurum ut moreretur : quia id asserebat spectando tantum communem cursum causarum naturalium, juxta quarum conditionem debebat mori fuissetque mortuus, nisi Deus speciali quadam gratia illum tunc præservasset.

Objicies 3. In Scripturis multæ reperiuntur contradictiones, amphibologiæ et æquivocationes, quæ mendacii rationem habent; ergo nil obstat quin Deus possit falsum dicere.

Resp. *Nego ant.* Eæ enim contradictiones et æquivocanes sunt tantum apparentes, et facile a doctis conciliantur et explicantur : quæ conciliatio pertinet ad Scripturarum tnterpretes.

Digo 2. *Quod a parte rei est falsum, non potest credi fide divina.*

Prob. Id non potest credi fide divina, quod non potest informari proprio fidei divinæ motivo. Ergo, etc. *Prob. min.* Sola revelatio quæ a parte rei est proprie et secundum rei veritatem divina, non autem illa quæ bona fide et prudenter æstimatur divina, est proprium fidei divinæ motivum; atqui quod est a parte rei falsum, non potest informari revelatione proprie et secundum rei veritatem divina; ergo quod est a parte rei falsum, non potest informari proprio fidei divinæ motivo. Ergo, etc.

Objicies 1. Qui credit propter divinam revelationem credit fide divina; atqui aliquis potest propter divinam revelationem credere quod est a parte rei falsum. Ergo.

Resp. *Nego min. Prob.* Rusticus qui credit falsæ propositioni quæ ab Episcopo vel Pastore sufficienter tanquam a

[1] 3, v. 4. — [2] 38, v. 1.

Deo revelata proponitur, credit propter revelationem divinam; ergo aliquis potest credere falsum propter revelationem divinam.

Resp. *Nego ant.* Assensus enim ille est tantum fidei humanæ, cum sit extra latitudinem objecti formalis fidei divinæ, extra quod actus fidei non potest sese extendere.

Inst. Talis rusticus bona fide et prudenter existimat objectum propositum esse revelatum; ergo illud credere potest fide divina.

Resp. *Nego conseq.* Quia qualitas assensus supernaturalis fidei non fundatur in persuasione elicientis illum, sed in realitate revelationis; unde assensus fidei circa objectum non realiter revelatum, licet ut tale prudenter et bona fide existimatum, est impossibilis et repugnat, sicut repugnat aliquem dare assensum scientificum propositioni realiter falsæ, licet is sibi persuadeat assentiri propositioni per medium demonstrativum.

Objicies 2. Assensus quo credimus hanc hostiam vere et substantialiter continere corpus et sanguinem Christi, est assensus fidei supernaturalis; atqui objectum illius assensus potest esse falsum, quippe fieri potest ut hæc in particulari hostia non sit rite consecrata, vel defectu characteris in tali homine, vel defectu intentionis debitæ. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Est enim tantummodo assensus opinionis moraliter certæ.

Prob. *maj.* Assensus datus propositioni particulari contentæ in universali immediate revelata, est assensus fidei divinæ; atqui hæc propositio particularis : *Corpus et sanguis Christi est realiter in hac hostia*, continetur in hac universali: *Corpus et sanguis Christi est realiter in hostia rite consecrata.* Ergo.

Resp. *Nego min.* Ut enim propositio particularis contineatur in majori revelata, necesse est ut legitime deducatur ex illa majori, et ex minori ad minus certa certitudine morali excludente omnem formidinem; atqui in hoc syllo-

gismo : *Corpus et sanguis Christi est realiter in hostia rite consecrata; atqui hæc hostia est rite consecrata; ergo corpus et sanguis Christi est realiter in hac hostia;* minor est quidem certa moraliter, sed non excludit omnem formidinem. Ergo, etc.

Inst. Ergo non debemus absolute et simpliciter, sed tantum conditionale hostiam adorare, nimirum, *si rite sit consecrata;* consequens est contra communem praxim fidelium. Ergo, etc.

Resp. *Nego sequel. maj.* Nam in praxi virtutum moralium (de quarum numero est ipsa religio per quam adoratur Eucharistia) sufficit certitudo moralis; et nonne sectarii patrem honorant absolute et credunt absolute se esse legitimos, cum tamen nonnisi moralem de suo patre habeant certitudinem? Nec est periculum idololatriæ cum cultus feratur in Christum.

Objicies 3. Judæus qui, paulo ante Christi nativitatem, credebat fide divina Christum nasciturum, potuit, Christo postea nato, retinere eamdem fidem; sed in eo casu falsum credidit; ergo quandoque, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam fidei illius Judæi non erat idem motivum; quippe ante Christi nativitatem ejus motivum erat revelatio *divina,* post nativitatem erat tantum conjectura quædam *humana,* qua prudenter judicabatur Christum nondum esse natum, sed esse nasciturum.

Ratio hujus responsi desumitur ex diverso statu fidei, cujus objectum ante nativitatem erat Christus venturus; post nativitatem vero erat Christus simpliciter, abstrahendo scilicet ab hac circumstantia quod jam natus, vel nasciturus sit, et sic intelligendus est D. Th. cum [1] dicit : *Hoc ad fidem credentis pertinebat post Christi nativitatem, quod crederet eum quandoque nasci, sed illa determinatio temporis, in qua decipiebatur, non erat ex fide, sed ex conjectura humana.* Nec enim determinata hora nativitatis Christi erat revelata.

[1] 2, 2. q. 1, a. 3, ad 3.

Dico 3. *Assensus fidei simpliciter et absolute certior quolibet assensu scientifico.* Ante probationem,

Nota : Certitudo duplex est, nempe *objectiva,* quæ est objecti veritas et immutabilitas, et *formalis,* quæ est cognitionis infallibilitas et firmitas desumpta tam ab objecti materialis veritate, quam ab infallibilitate medii, seu motivi cui assensus innititur ; et de hac formali certitudine hic agitur.

Prob. 1. Ex D. Aug. [1] qui loquens de firmitate et certitudine nostræ fidei assensus, ait : *Facilius dubitarem vivere me, quam esse vera quæ audivi.*

Prob. 2. Certitudo formalis desumitur a suo motivo cui est proportionata ; atqui motivum assensus fidei certitudine superat motivum cujuscunque assensus scientifici. Ergo.

Prob. min. Motivum assensus fidei est lumen supernaturale divinæ revelationis ; motivum vero, seu medium cujuscunque assensus scientifici, est lumen naturale rationis ; atqui lumen supernaturale divinæ revelationis certius est quocunque lumine naturali. Ergo.

Hinc D. Th. ait : *Multo magis homo certior est de eo quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo quod videt propria ratione, qua falli potest.* Et ista quandoque indiget corrigi per fidem in iis quæ, solo lumine naturæ spectato, sunt certissima, quale est illud principium : *Ex nihilo nihil fit ;* quod corrigitur per fidem quæ docet : *Mundum fuisse a Deo creatum ex nihilo.*

Objicies 1. Illud est certius quod est dubitationis impermixtius ; nam firmius adhæremus illi rei de cujus veritate minus dubitamus ; atqui assensus scientiæ nullam potest habere dubitationem sibi adjunctam, alias non esset amplius scientia ; e contra fides remanens integra admittit quandoque in intellectu credentis aliquam dubitationem circa fidei nostræ mysteria. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Illud est certius quod est dubitationis

[1] Lib 6. *Confess.*, cap. 10. — [2] 2. 2, q. 4, a. 8, ad 2.

voluntariæ et deliberatæ impermixtius, *conc. maj.*; indeliberatæ et involuntariæ, *nego maj.*; similiter dist. secundam partem minoris, et *nego conseq.*

Porro hic loquimur de assensu fidei qui humano modo, id est, cum advertentia rationis et libero voluntatis consensu elicitur, et qui, pro eo tempore quo elicitur, nullo modo compatitur secum deliberatos motus dubitandi circa veritates fidei, quin potius magis removet intellectum ab ejusmodi dubitationibus, quam assensus naturalis et evidens removeat rationem dubitandi circa veritatem sui objecti, cum formale fidei motivum quoad certitudinem longe superet motivum scientiæ.

Objicies 2. Eo est certior assensus quo est intentior; atqui sæpe assensus naturalis evidens est intentior assensu fidei. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Nam intentio et remissio sese habent indifferenter ad certitudinem, quæ in sua specie constituitur per motivum formale; unde cum motivum certitudinis fidei sit ordinis et speciei superioris motivo naturalis scientiæ, quantumcunque assensus scientiæ naturalis cresceret quoad intentionem, nunquam tamen posset pervenire ad certitudinem assensus fidei divinæ, etiam valde remissi.

Objicies 3. Firmius et certius adhæremus ei a quo difficilius recedimus; atqui homo difficilius recedit a scientia quam a fide. Ergo.

Resp. *Nego min.* Qui enim vere fidelis est habetque assensum veræ fidei divinæ, est magis paratus negare quamlibet veritatem naturalem, quam deserere minimam veritatem fidei, ut patet in martyribus, qui argumenta philosophorum adversus nostram fidem contempserunt, parati potius negare omnia quæ juxta sensum et rationem humanam existimabantur evidentissima, et omnia pati tormenta, quam vel minimum dubitare de uno fidei articulo.

Inst. Frequenter videmus nonnullos facilius deficere a

fide Catholica, quam ab assensu evidenti veritatis naturalis; ergo facilius receditur a fide, quam a scientia.

Resp. *Nego conseq.* Nam quod tales deficiant a fide Catholica, id provenit ex superbia, malitia et aliis peccatis quæ solent præcedere hæresim.

QUÆSTIO III.

DE OBSCURITATE FIDEI.

Nota. Fides dici potest obscura dupliciter : 1° *Ex parte rei revelatæ*, quando scilicet res revelata non evidenter cognoscitur; 2° *Ex parte revelantis*, quando scilicet non constat evidenter quisnam sit auctor revelationis.

Certum est fidem non debere esse obscuram *ex parte revelantis*, quia essentia fidei in hoc tantum consistit ut nitatur testimonio dicentis, sive evidenter constet de dicente, sive non; hoc patet in fide humana; si enim alicui propositioni quæ mihi est obscura, assentior propter solam auctoritatem Petri qui asserit eam esse veram, sine dubio erit assensus fidei humanæ, etiamsi evidenter cognoscam assertionem illam fieri a Petro; idem ergo dicendum est de assensu fidei divinæ; alias nec Prophetæ, nec Apostoli, quibus Deus mysteria immediate revelavit, habuissent assensum fidei divinæ, quia evidenter sciebant revelationem propter quam credebant factam esse a Deo.

Sola ergo difficultas est de obscuritate fidei *ex parte rei revelatæ*, circa quam duo quæruntur : 1° An fides debeat esse obscura ex parte rei revelatæ; 2° An quod evidenter scitur aut videtur, possit esse objectum fidei divinæ; circa quod

Dico 1. *Fides debet esse obscura ex parte rei revelatæ;* id est, non debet clare et evidenter ostendere rem revelatam prout est in se a parte rei.

Prob. Ex Apost.[1] dicente : *Fides est argumentum non ap-*

[1] Hebr. 11, v. 1.

parentium; id est, res quæ creduntur per fidem non videntur saltem quoad motivum cognoscendi, et: [1] *Nunc videmus per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,* id est, in hac vita obscure cognoscimus mysteria fidei, quæ in altera clare et intuitive videbimus. Ergo.

Confirmatur experientia, quia sicut homo qui multa mihi narrat de cæteris nationibus, non efficit per suam narrationem ut clare videam ea quæ narrantur, sed tantum ut obscure credam; sic etiam Deus, quando revelat nobis mysterium Trinitatis, non efficit per suam revelationem ut clare videamus hoc mysterium, sed tantum ut obscure credamus.

Dices : Veritas obscure revelata non potest intellectum magis movere ad assensum, quam ad dissensum; ergo ut intellectus assentiat revelatæ, debet illi clare et evidenter proponi.

Resp. *Dist. ant.* Veritas obscure revelata *secundum se, nude et simpliciter considerata, conc. ant.;* considerata *cum habitudine ad motiva credibilitatis, nego ant.* Sic enim considerata movet intellectum ad eam partem assensus vel dissensus pro qua faciunt illa motiva, quæ, licet non ostendant evidenter et clare veritatem rei intrinsecam, saltem faciunt rem illam credibilem, id est dignam, cui vir prudens absque suspicione alicujus levitatis præbeat assensum.

Dico 2. *Quod evidenter scitur aut videtur, potest esse objectum fidei divinæ.*

Prob. 1. Ex Script, Deut. 6 : *Audi Israel : Dominus Deus noster unus est.* Hebr. 11 : *Accedentem ad Deum oportet credere quia est;* et in Symbolo : *Credimus unum Deum Patrem omnipotentem.* Ergo credimus fide divina Deum existere, unum et omnipotentem esse; atqui existentia, unitas et omnipotentia Dei demonstrantur et cognoscuntur a Theologis et Philosophis. Ergo.

[1] I Cor. 13, v. 12.

Respondent adversarii existentiam Dei ut auctoris gratiæ, non vero ut auctoris naturæ credendam omnibus proponi; sed

Contra est; Deus in Symbolo proponitur credendus ut *creator cœli et terræ;* ergo ut auctor naturæ.

Prob. 2. Intellectus potest eodem tempore assentiri alicui conclusioni propter duo distincta motiva, quorum alterum clare, alterum obscure illam ostendat.

Objicies 1. Ex Apost., *fides est argumentum non apparentium.* Ergo quod evidenter scitur, non potest credi per fidem.

Resp. *Dist. antec.* Fides est *rerum non apparentium,* per motivum cognoscendi quod est revelatio divina, *conc. ant.;* per rationis discursum, *subdist.;* ut plurimum, *conc. ant.;* semper, *nego ant.;* alias sibi contradiceret Apostolus, cum *Hebr.* 11, doceat accedentem ad Deum debere credere Dei existentiam, quam *Rom.* 1, docet abstractive cognosci: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ex quo patet Apostolum per res non apparentes intelligere res intuitive non visas, etiamsi abstractive cognoscantur.

Objicies 2. Fides non potest stare cum intuitiva Dei visione; ergo nec cum scientia, ob paritatem rationis.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est quod res præsens intuitive visa certius et perfectius cognosci non possit, nec proinde credi; at rei absentis abstractiva cognitio, præter quam quod difficilius habetur, non est æque certa et constans ac lumen fidei, difficultatibus identidem obnubilatur propter quas ad fidem recurrere necesse est; unde D. Th.[1] dicit: *Necessarium est homini accipere per modum fidei, non solum ea quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt, et hoc propter tria: 1° Ut citius homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat...; 2° Ut cognitio Dei*

[1] 2. 2. q. 2, a. 4. in corp.

sit communior...; 3° *Propter certitudinem; ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens.*

QUÆSTIO IV.

DE CREDIBILITATE FIDEI.

Nota 1. Ista duo, *esse evidenter verum,* et *esse evidenter credibile,* a se invicem distinguuntur. Id dicitur *evidenter verum,* quod a Deo clare scitur aut videtur, ut de eo physica habeatur evidentia et certitudo. Illud vero est *evidenter credibile,* quod probatur testimoniis et suasionibus ita fide dignis, ut evidenter appareat assensu firmo dignum, nec nisi imprudenter in dubium revocari possit. Unde evidentia credibilitatis afficit quidem revelationem, quam a Deo esse demonstrat, sed non afficit objectum revelatum, a quo obscuritatem non tollit : v. g., licet evidenter cognoscamus Trinitatem nobis esse revelatam, illius tamen naturam non cognoscimus.

Nota 2. Circa evidentiam credibilitatis mysteriorum nostræ fidei explicandum est : 1° An debeant esse evidenter credibilia; 2° An sint evidenter credibilia; 3° Quot sint credibilitatis motiva. Ideo

Dico 1. *Mysteria nostræ fidei debent esse evidenter credibilia.*

Prob. Assensus fidei debet esse immobilis et firmissimus; atqui non posset esse talis, si motiva credendi essent tantum probabilia, non evidentia; quis enim posset immobilem ac firmissimum præbere assensum alicui rei, habens probabiles in oppositum rationes? Ergo motiva credendi debent esse evidentia. Unde D. Thom. [1] ait : *Non crederet quis nisi videret* (hoc est evidenter cognosceret) *ea esse credenda, vel propter evidentiam, vel propter aliquid hujusmodi.*

Confirmatur, quia nemo potest salvari sine fide : *Qui enim non credit, condemnabitur* [2]; atqui si motiva credibilitatis essent tantum probabilia, nec excluderent omnem de reve-

[1] 2. 2, q. 1, a. 4. — [2] Joan. 3, v. 18.

latione formidinem, posset quis sine fide salvari, juxta illud Christi [1] : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, infidelitatis scilicet, quia cum evidentia credendi motiva habuerint, non tamen crediderunt.

Hinc jure Innoc. XI, et post eum Clerus Gallicanus damnarunt hanc proposit. [2] : *Assensus supernaturalis fidei et utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis et cum formidine, qua quis formidat ne non sit locutus Deus.*

Objicies 1. Rustici et idiotæ expendere non valent utrum motiva credibilitatis, quibus ad credendum ducuntur, sint evidentia, veram tamen habent mysteriorum fidem; ergo evidentia credibilitatis non est absolute necessaria ad prudenter suscipiendam veram fidem.

Resp. *Nego ant.* Nullus enim rusticus tam rudis esse potest quin facile possit a suo Pastore edoceri : 1° Veritatem miraculorum quæ in confirmationem fidei Christianæ patrata sunt; 2° Ecclesiam esse illustrem quamdam congregationem eamque nullatenus fuisse interruptam; hæreses vero paucis abhinc annis cœpisse : idemque facile colliget sectas illas non esse Sponsam quam Christus suo sibi cruore comparavit.

Objicies 2. Probabilitas credibilitatis objecti humanæ fidei sufficit in nobis ad prudentem assensum ejusdem fidei eliciendum; ergo similiter cognitio probabilis de credibilitate mysteriorum nostræ fidei erit sufficiens ad prudenter assentiendum rebus a Deo revelatis.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est quod fides humana, sicut et opinio, compatitur secum aliquam formidinem, cum moralis certitudo quam ingerit non sit talis ut omnem dubitationem excludat. E contra, assensus divinæ fidei est ita certus et firmus, ut omnem excludat dubitationem, et credens fide divina ita firmiter adhæreat rei sibi ad creden-

[1] Joan. 15, v. 24. — [2] Ann. 1700.

dum propositæ, ut absolute credat oppositum esse falsum, quæ firmitas assensus non potest esse sine evidentia credibilitatis.

Dico 2. *Mysteria fidei sunt evidenter credibilia.*

Prob. Illud proprie censetur evidenter credibile, ad quod judicandum esse dignum quod credatur, dantur argumenta seu motiva evidentia et irrefragabilia; atqui ad judicandum mysteria nostræ fidei esse digna quæ credantur fide divina, dantur motiva et argumenta evidentia et irrefragabilia, quibus enarratis D. Aug.[1] Manichæos sic alloquitur: *Quid ad hæc respondetis, insani? Nempe ista manifesta sunt; nempe omnes non dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt.* Ergo, etc.

Objicies. Mysteria fidei non sunt evidenter credibilia, si motiva credibititatis non sint evidentia; atqui motiva credibilitatis non sunt evidentia. Ergo.

Resp. *Nego maj. Prob.* Is est evidentiæ effectus ut ad assensum necessitet; atqui motiva credibilitatis non necessitant ad assensum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Is est effectus evidentiæ procedentis a principiis intrinsecis rei, ut necessitet ad assensum, *conc. maj.;* procedentis a principiis extrinsecis, id est, a testimoniis dicentium, *nego maj.;* et concessa minore, *dist. conseq.;* motiva credibilitatis non sunt evidentia ab intrinseco, *conc. conseq.;* ab extrinseco, *nego conseq.;* unde non necessitant ad assensum, sed insuper requiritur pius voluntatis motus et gratia præveniens, quibus intellectus adjutus libere assentitur.

Inst. Multi cordati et acuti religionem Christianam negant; ergo non est evidenter credibilis etiam ab extrinseco.

Resp. *Dist. ant.* Multi negant religionem Christianam defectu evidentiæ motivorum, *nego ant.;* defectu rei, quæ ex parte illorum requiritur, *conc. ant.* Quod ergo negent reli-

[1] Lib. 12, *Contra Faust.*, cap. 43.

glonem Christianam, id provenit : 1° ex eo quod non satis advertant ad motiva quibus mysteriorum credibilitas nititur; 2° ex eo quod sua culpa priventur auxilio necessario ut evidentiam motivorum credibilitatis actu percipiant: *excæcavit enim illos malitia eorum* [1]; *dilexerunt magis tenebras quam lucem* [2]; *supercecidit ignis, et non viderunt solem* [3].

Dico 3. *Octo sunt præcipua credibilitatis motiva, quæ suadent esse credibilia quæ a Deo et Ecclesia ad credendum nobis proponuntur.*

Probatur enumeratione singulorum.

1um *Motivum* desumitur ab Auctore fidei Christianæ qui fuit Christus Jesus; fieri enim non potest quod ea religio sit falsa, quæ Auctorem habet tantæ sanctitatis ut nullus unquam potuerit ipsum arguere de peccato [4]; cui ipsimet adversarii testimonium reddiderunt quod viam Dei in veritate doceret [5]; qui se Deum (adeoque veritatem falli et fallere nesciam) probavit non solum admirabili vitæ sanctimonia, sed et stupendis miraculis factis in confirmationem veritatis quam docebat, de quibus docebat Judæis [6] : *Opera quæ ego facio... testimonium perhibent de me;* nempe quod sim Christus verus Deus, juxta illud : *Ego et Pater unum sumus;* atqui talis fuit Jesus Christus. Ergo.

2um *Argumentum* desumitur ab excellentia et sanctitate doctrinæ quam tradit religio Christiana; evidens est enim eam doctrinam esse a Deo quæ nihil nisi verum, honestum, rectæque rationi consonum docet, quæ ab omni malo etiam levissimo declinare jubet, quæ nihil omittit quo sectatores suos ad vitam immaculatam, sanctamque perducat; atqui talis est doctrina Christiana, ut constat ex Evangelicis præceptis et consiliis, quibus si Christiani omnes vitam suam et omnes actus suos conformarent, respublica Christiana non tam humana foret quam angelica. Ergo.

[1] Sap. 2, v. 21. — [2] Joan. 3, v. 19.— [3] Ps. 57. — [4] Joan. 8, v. 46.— [5] Matth. 22, v. 16. — [6] Joan. 10, v. 25.

3um *Argumentum* desumitur ex stupendo modo quo propagata est doctrina Christiana; modus quippe ille divinissimus est. Neque enim sine divina virtute fieri potuit quod duodecim piscatores rudes, illitterati, pauperes et despecti, nullo humano præsidio freti, toto interea conatu obsistentibus Philosophis Magistratibus, provinciarum Præfectis, Regibus, Imperatoribus, atque sectatores hujus doctrinæ exilio, suppliciis et morte acerbissima plectentibus, ex toto orbe idololatriam tam diffusam tamque animis hominum invisceratam, non solum eliminaverint, sed et toti pene humano generi persuaserint eam amplecti religionem, cujus mysteria adeo superant captum intellectus humani, ut sunt mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, etc., cujus etiam præcepta adeo naturæ corruptæ repugnant, ut sunt : *crucem jugiter ferre; inimicos diligere; benefacere his qui oderunt nos ; nihil eorum quæ in mundo sunt diligere; possessionibus renuntiare*, etc.; atqui....

4um *Argumentum* desumitur ab admirandis effectibus qui subsecuti sunt susceptionem religionis Christianæ; statim nempe per universum orbem subsecuta est tanta morum in melius commutatio, ut innumerabiles homines utriusque sexus et conditionis ducere cœperint vitam in terris angelicam potius quam humanam, prout ipsorum acta et annales Ecclesiæ testantur.

5um *Argumentum* desumitur ex invicta et nunquam interrupta ejusdem religionis perseverantia inter tot procellas, atrocissimasque Ethnicorum et Hæreticorum persecutiones quibus agitata fuit; divina enim prorsus est illa doctrina, contra quam portæ Inferi, licet adversus ipsam omnes furias suscitaverint, prævalere non potuerunt.

6um *Motivum* petitur ab infinita propemodum multitudine Martyrum cujusvis ordinis, sexus, ætatis et conditionis, qui, pro tuenda fide Christiana, inaudita tormenta mortemque durissimam tanta fortitudine, tantaque cum lætitia et alacritate sustinuerunt, ut, irrisis tyrannis fatigatis-

que tortoribus, etiam tenerrimæ puellæ non defecerint, tormenta patiendo, dum carnifices ea inferendo defecerunt et divinam virtutem agnoscentes religionem Christi amplexi sunt.

Laudant quidem aliquæ sectæ Hæreticorum suos martyres, sed falsos esse demonstratur : 1° ex eo quod fuerint paucissimi; 2° quod errores propugnaverint non per constantiam, sed per vesanam pertinaciam; 3° quod eorum martyrium prodigiis et miraculis Deus non illustraverit.

7um. *Argumentum* petitur ex vaticiniis non solum Prophetarum, sed et Sibyllarum, a quibus fidei nostræ mysteria pluribus ante sæculis fuere prædicta, et deinde ad litteram impleta. Prophetarum oracula in Scripturis Sacris reperiuntur; sed cum pauci ad manum habeant oracula Sibyllarum, audiantur Sibyllæ *Delphica* et *Phrygia* :

Impingent illi colaphos, et sputa scelestis
Israel a labiis, neque non et fellis amari
Apponent escam, potumque immitis aceti;
Scindetur templi velum, mediumque diei
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis :
Et tridui somno peragens insignia facta :
Sed postquam triduo lucem repetiverit, atque
Monstrarit somnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illustrarit, cœlestia tecta subibit
Nubibus invectus.

8um *Motivum* desumitur a miraculis multitudine innumeris, arduitate stupendis, certitudine indubitatis, perennitate perpetuis, quæ in veritatum fidei confirmationem omnibus temporibus et locis, a Christianis viris sanctissimis irreprehensibilibusque facta sunt et quotidie fiunt; quorum vim et efficaciam considerans Richardus a Sancto-Victore [1] ait : *Domine, si error est, a te ipso decepti sumus; nam ista in nobis*

[1] Lib. 1, *De Trinitat.*, c. 2.

tantis signis et prodigiis sunt confirmata et talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.

Objicies. Vera miracula non possunt discerni a falsis et magicis; ergo non sunt argumentum sufficiens ad probandam veram religionem.

Nota ante responsionem, miracula alia esse primæ, alia secundæ classis.

Miracula *primæ classis* sunt ea quæ superant vim et efficaciam cujuscunque agentis naturalis : talia sunt *resuscitatio mortuorum permanens et stabilis; restitutio visus cæco nato; cognitio secretorum cordis; prædictio rerum futurarum.* Illis, cum sola Dei virtute fieri possint, non potest subesse falsum.

Miracula *secundæ classis* sunt ea quæ non superant naturales vires Angelicas, patrarique possunt activa passivis applicando : talia sunt, *morbos subito sanare; tempestates excitare; per aera volare; super undas ambulare, etc.* His solis potest subesse falsum. Unde

Resp. *Nego ant.* Vera enim miracula a falsis secerni possunt ex quadruplici capite.

1. *Ex eorum duratione :* vera enim omnibus locis et temporibus facta sunt et quotidie fiunt; e contra falsa parvæ sunt durationis.

2. *Ex eorum indefectibilitate :* vera enim nunquam deficiunt, e contra falsa semper deficiunt, ut patet tum in prodigiis Magorum Pharaonis, qui quædam mira fecerunt, sed paulo post comprehensi sunt deficere, ut publice confessi sunt, cum *dixerunt ad Pharaonem: Digitus Dei est hic.* Tum in miris Simonis Magi, quæ pro falsis sunt cognita, quando ad orationem Divi Petri decidit mortuus.

3. *Ex eorum fine :* miracula vera semper facta sunt et fiunt ad destruendum Satanæ cultum et imperium, quem invitum et supra modum repugnantem, Christi virtute toties coegerunt et quotidie cogunt ab obsessis abire corporibus; porro, si virtute diabolica fierent, jam Satanas contra

seipsum divisus esset. E contra, falsa miracula fiunt ad decipiendos homines, confirmandam falsam doctrinam et extendendum Satanæ imperium.

4. *Ex manifesta Dei providentia,* quæ imposturam Hæreticorum, suos errores miraculis confirmare conantium, tremendo detexit judicio; dum enim imposturis voluerunt de mortuis facere vivos, de cæcis videntes, etc., de vivis e contra fecerunt mortuos, et de videntibus cæcos, ut verissimæ testantur historiæ.

QUÆSTIO V.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

Nota. Duo sunt præcipua vitia fidei opposita: nempe *infidelitas,* quæ actui interno fidei; et *blasphemia,* quæ fidei professioni opponuntur. De prima tantum quæ ad quæstionem pertinet agemus sequenti articulo, aliam remittendo ad moralistas.

ARTICULUS UNICUS.

DE INFIDELITATE.

Nota 1. Infidelitas est *carentia fidei in subjecto apto,* et triplex est, scilicet pure negativa, privativa et positiva.

Infidelitas *pure negativa* est carentia fidei in eo cui fides nullo modo, vel certe non sufficienter est annuntiata.

Infidelitas *privativa* est carentia fidei in eo cui fides sufficienter est annuntiata ut credere possit et debeat, qui tamen omittit credere, tametsi nullo contra fidem errore positivo laboret.

Infidelitas *positiva* seu *contraria* est carentia fidei in eo qui fidei sufficienter propositæ dissentit, vel negando veritatem fidei, vel errorem fidei contrarium asserendo.

Nota 2. Infidelitatis positivæ tres assignantur species a S. Th. [1], scilicet Paganismus, Judaismus et Hæresis.

[1] 2. 2, q. 10, a 5.

Paganismus est infidelitas qua doctrina fidei totaliter rejicitur : ad hunc reducitur *Atheismus* et *Mahumetismus*.

Judaismus est infidelitas qua doctrina fidei in Novo Testamento rejicitur, sed Vetus Testamentum admittitur, Messiasque venturus expectatur, venisse negatur.

Hæresis est infidelitas qua, admisso utroque Testamento, aliqua veritas fidei in illis contenta et ab Ecclesia ut talis sufficienter proposita, negatur. Ad hanc revocatur *apostasia*, quæ est infidelitas eorum qui a Christianismo totaque ejus professione discedunt, transeuntque sive ad Paganismum, sive ad Judaismum, sive ad Mahumetismum.

Certum est 1. Infidelitatem pure negativam non esse peccatum; dicit enim Christus [1] : *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, scilicet *illud peccatum, quo non crediderunt in eum*, ait D. Aug. [2].

Ratio est quia omne peccatum est voluntarium vel in se, vel in alio; atqui hæc infidelitas non est voluntaria, nec in se utpote incognita, nec in alio, quia nihil faciunt infideles illi unde cognoscere possint se sequi infidelitatem illam. Ergo. Hinc Pius V et Greg. XIII hanc Baii prop. damnarunt : *Infidelitas pure negativa, in his quibus non est prædicatus Christus, peccatum est.*

Certum est 2. Infidelitatem privativam esse peccatum mortale ex genere suo : qui enim voluntarie omittit credere dum potest et debet, sine dubio peccat; atqui talis est qui infidelitate privativa laborat. Ergo, etc.; de eo dicitur [3] : *Qui non credit, jam judicatus est.*

Certum est 3. Infidelitatem positivam esse peccatum ex genere suo mortale et quidem gravissimum, quodque ex sola indeliberatione, non vero ex levitate materiæ a mortali excusari potest; quia directe pugnat contra divinitatem, de cujus veracitate dubitare, vel eam negare in re vel minima est gravissimus Dei contemptus maximaque irreverentia.

[1] Joan. 15, v. 22. — [2] Tr. 89 et 91, in Joan. — [3] Joan. 3, v. 18.

Nota 3. Multa hic congerunt Theologi de Paganis et Judæis : an, v. g., a Principibus Christianis tolerari possint; an et quam iidem in ipsos potestatem habent; an possint cogi ad fidem amplectendam; sed quia hæc apud nos parum necessaria sunt, ab iis abstinebimus, tantumque de hæresi loquemur variis quæstiunculis : unde

QUÆRES 1. *Quid sit hæresis formalis?*

RESP. *Est error voluntarius et pertinax contra aliquam fidei Catholicæ veritatem, in eo qui se Christianum profitetur.* Unde ad hæresim formalem tria requiruntur, scilicet :

1. *Est professio Christianismi* ex parte subjecti, quia hæresis est fidei jam susceptæ ejuratio.

2. *Est error* ex parte intellectus, id est judicium erroneum contra aliquem fidei Catholicæ articulum, quem vel judicat esse falsum, vel *positive* dubitat utrum sit verus; quia, ex jure [1], *dubius in fide infidelis est*, quia virtualiter negat Ecclesiam esse infallibilem fidei regulam, quod est aperte hæreticum; inde

INFERES 1. Eum qui, metu mortis, negat exterius fidem absque interno mentis assensu, quo verum credat quod ore profert, graviter quidem peccare contra præceptum confitendi fidem, proprie tamen hæreticum non esse, nec incurrere pœnas contra Hæreticos latas; nihilominus talis censeretur *hæreticus* in foro externo, et ut talis merito puniretur, quia *Ecclesia non judicat de occultis* [2].

INFERES 2. Eum qui *negative* tantum de veritate fidei dubitat, id est qui judicium suum suspendit, quia Ecclesiæ definitio non est ipsi sufficienter proposita, non esse hæreticum formaliter; quia ut quis teneatur aliquam veritatem credere fide divina, debet illi esse ab Ecclesia sufficienter proposita.

INFERES 3. Non esse hæreticos, nec peccare contra fidem qui vel scrupulis vel tentationibus velut obruti, sic negative

[1] Cap. 1, *De Hæreticis*. [2] — Cap. *Sicut tuis*, *De Simonia*.

dubitant, seu judicium suspendunt, ut tamen tentationibus illis non consentiant, sed mori mallent quam Ecclesiæ definitionem voluntarie in dubium revocare; isti enim non agunt, sed patiuntur quamdam veluti dubitationem, seu potius tentationem contra fidem.

3. *Est pertinacia* ex parte voluntatis [1] quæ non consistit in hoc quod quis suum errorem acriter et quasi mordicus defendat ac retineat; sed in hoc quod sciens et volens repugnet Catholicæ fidei sibi sufficienter propositæ ab Ecclesia, *quæ est columna et firmamentum veritatis* [2]; quam ob causam scriptum est: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* inde

Inferes 1. Neminem esse *formaliter* hæreticum, quandiu paratus est judicium suum erroneum submittere judicio Ecclesiæ.

Inferes 2. Eum non esse *formaliter* hæreticum, tametsi moraliter peccet, qui errat in fide, ex ignorantia moraliter culpabili crassa ac etiam affectata, si illa affectatio ignorantiæ procedat ex solo addiscendi tædio, cum qua stet voluntas ea credendi quæ Ecclesia credit, cum ipsi sufficienter proposita fuerint: ratio est quia, licet voluntarie erret, non tamen errat cum pertinacia.

Dixi: *Si affectatio ignorantiæ procedat ex solo addiscendi tædio;* quia si ex affectu liberius errandi et errori suo adhærendi, Ecclesiæ definitionem ignorare affectaret; esset formaliter hæreticus; tunc enim Ecclesiæ judicio adhærere non est paratus, vereque esset pertinax, cum positive nolit illud cognoscere et ei non adhæreat.

Inferes 3. Eum formaliter esse hæreticum qui, existimans aliquid esse ab Ecclesia definitum, quod non est definitum, contrarium interim pertinaciter tenet; ratio est quia Ecclesiam fallibilem esse credit.

[1] Can. *Dixit Apostolus*, caus. 24, qu. 3. — [2] I Tim. 3, v. 15.

TRACTATUS
DE DEO UNO.

* Assignatis discussisque Theologiæ fontibus et regulis constitutis ad quas Theologus in omni inquisitione recurrere debet, ad singulas ejusdem Theologiæ partes investigandas accedimus, ab illo tractatu incipiendo ex quo scientia nostra nomen et originem ducit. *

Hujus tractatus quatuor erunt dissertationes, quarum *prima* : De Dei existentia ; *secunda* : De Dei natura, seu essentia; *tertia* : De divinis attributis generatim; *quarta* : De divinis attributis speciatim.

DISSERTATIO I.

De existentia unius Dei.

* Dei nomine intelligimus ens omni perfectionum genere infinitum, a quovis alio independens cæterorumque omnium originem et finem, quod, ut ait Div. August. : [1] *Ita cogitatur ut aliquid quo nihil melius sit, neque sublimius*. Jam vero, licet nulla natio unquam fuerit tam inculta et barbara, ut Deum esse non sciverit, nulla tamen fuit ita ratione exculta, ut, seclusa revelatione, qualem habere Deum debeat intellexerit, ut probavimus in tract. *De divina ac supernaturali Revelatione*. Unde ratio humana profiteri debet se revelationi divinæ debere quod multas ordinis naturalis veritates nunc clarius certiusque cognoscat, quas neque assequi sibi derelicta, neque certo stabilire potuisset; nos

[1] Lib. 1, *De Doctrina Chr.*, cap. 7.

autem, ut decet Theologos, omissis pluribus ex præambulis quæstiunculis quæ tractari solent in philosophia, neque ullatanus spretis argumentis ex ratione deductis, per sacra testimonia et traditionis argumenta veritatem comprobabimus. Quæritur ergo : 1° Utrum existentia Dei possit demonstrari? 2° Utrum possit invincibiliter ignorari? 3° Utrum Deus sit unus, seu unicus?

CAPUT I.

UTRUM EXISTENTIA DEI POSSIT DEMONSTRARI?

Nota. Ex logicis demonstratio quæ est *syllogismus pariens scientiam,* dividitur in demonstrationem a priori, et a posteriori.

Demonstratio *a priori* est ea quæ fit per causas rei quæ demonstratur, sive est ea qua effectus demonstratur per causam ; sic risibilitas demonstratur per rationalitatem : *rationale* enim est causa cur *risibile* conveniat homini.

Demonstratio *a posteriori* est ea quæ fit per effectus rei quæ demonstratur; sic rationalitas demonstratur per risibilitatem. His positis, sit

CONCLUSIO I.

Existentia Dei non potest demonstrari a priori. Est contra Ariminensem *in* 1, *dist.* 3, *q.* 4.

Prob. Demonstratio a priori fieri debet per causam rei quæ demonstratur; atqui Deus nullam habet suæ existentiæ causam, cum nomine Dei intelligatur *ens a se,* seu a quovis alio independens. Ergo, etc.

Dices : Essentia Dei est causa, seu ratio cur existentia conveniat Deo; ergo Dei existentia potest demonstrari a priori.

Resp. *Nego ant.* Nam, ut essentia esset causa cur existentia conveniret Deo, deberet, saltem per operationem intellectus, esse distincta ab existentia; atqui essentia in Deo,

nequidem per operationem intellectus, est distincta ab existentia; nam Deus est ens a se: atqui ens a se non potest concipi sine existentia. Ergo.

INST. Valet sic syllogismus: *Ens quo nullum perfectius potest excogitari, necessario existit; atqui Deus est ens quo nullum perfectius potest excogitari.* Ergo, etc. Atqui ille syllogismus est vera demonstratio a priori. Ergo.

RESP. *Nego min.* Nam ad veram demonstrationem medium debet esse distinctum ab ipsa re demonstranda, alioquin idem demonstraretur de eodem; atqui essentia Dei, nequidem per mentem, est ab ejus essentia distincta; nam ens quo nullum perfectius excogitari potest, est ens necessario existens, idem omnino est. Ergo, etc. Unde hæc prop.: *Deus necessario existit,* non est illatio ex ista: *Deus est ens quo nullum perfectius potest excogitari,* sed est tantum illius explicatio.

CONCLUSIO II.

Existentia Dei potest demonstrari a posteriori. Est contra Atheos et quosdam Socinianos.

PROB. 1. Ex Script.: *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* [1]. *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes cognoverunt quis esset artifex... a magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri* [2]. Apostol. ait [3]: *Quod notum est Dei* (id est, quod de Deo cognosci potest naturaliter) *manifestum est illis* (Philosophis); *Deus enim illis manifestavit,* (lumine scilicet naturali et per discursum a rebus creatis ad creatorem). *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Atqui cœli non enarrarent gloriam Dei;

[1] Psal. 18. — [2] Sap. 13. — [3] Roman. 1.

invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta non conspicerentur; non essent vani et inexcusabiles homines qui non noverunt Deum, etc., nisi ex creaturis demonstrari posset ejus existentia. Ergo.

Respondent Sociniani, ex illis Scripturæ testimoniis probari quidem non posse per rationes naturales ex creaturis habere cognitionem existentiæ Dei probabilem, non vero efficacem et demonstrativam; sed

Contra est. Nam hæc Scripturæ verba : *notum est, manifestum est, intellecta conspiciuntur, cognoscibiliter videri*, evidentem exprimunt scientiam, et ita hos textus interpretati sunt SS. Patres; sic D. Hieron. hæc verba : *intellecta conspiciuntur*, exponens, ait : *Id est, tam evidenter intelleta sunt, ut conspecta dicantur*. Et Div. August. tract. 2 in Joann. : *Deus*, inquit, *potest inveniri per creaturas evidenter, dicente Apostolo : Invisibilia Dei, etc.*

PROB. *Ratione.* Existentia rei potest demonstrari a posteriori per effectus ab ea necessario pendentes, sic existentia mentis ab ejus cogitatione certissime cognoscitur; atqui omnes creaturæ sunt effectus Dei, a quo necessario, *in esse, in conservari* et *in gubernari* pendent. Ergo, etc.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES 1. *cum Socinianis :* Objectum fidei supernaturalis non potest demonstrari; atqui existentia Dei est objectum fidei supernaturalis; *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*, ait Apostol. [1] Ergo, etc.

RESP. *Nego maj.*

Prob. maj. Scientia et fides non possunt esse simul in eodem intellectu de eodem objecto : ergo objectum fidei supernaturalis non potest demonstrari.

RESP. *Dist. ant.* Non possunt esse simul in eodem intellectu de eodem objecto, per idem motivum, *conc.*; per diversa motiva, *nego ant.* Nam Dei existentia creditur propter summam Dei revelantis auctoritatem, et evidenter cognos-

[1] Heb. 12, v. 1.

citur propter necessariam connexionem quæ concipitur inter creaturas existentes et earum creatorem, quæ sunt motiva valde distincta.

INST. Atqui scientia et fides non possunt, etc., etiam per diversa motiva, etc.

Prob. subsump. Quæ sese invicem excludunt ab eodem subjecto, non possunt stare simul in eodem subjecto, etiam propter diversa motiva; atqui fides et scientia, etc.

Prob. min. Evidentia et inevidentia sese mutuo excludunt ab eodem subjecto; atqui fides parit inevidentiam; est enim *argumentum non apparentium* [1], scientia vero parit evidentiam. Ergo.

RESP. Sub data distinctione, *nego maj.*, quia per diversa motiva, idem objectum, modo evidenti et modo inevidenti cognosci potest.

Prob. maj. Si evidentia et inevidentia sese mutuo non excluderent ab eodem subjecto, idem actus esset simul evidens et inevidens; absurdum conseq. Ergo.

RESP. *Nego sequel. maj.* Quæ est de falso supponente, supponit enim hominem, qui ex revelatione et demonstratione cognoscit Deum existere, uno eodemque actu assentiri huic prop.; *Deus est,* quod falsum est, nam duobus actibus assentitur, uno propter revelationem, et altero propter evidentem rationem [2].

OBJICIES 2. *cum nonnullis Philosophis* : Nulla Dei notitia comparari potest sine supernaturali Dei gratia; ergo non potest acquiri per demonstrationem.

[1] Hebr. 11. — [2] * Deum esse, et alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem, nota possunt esse de Deo, ut dicitur *Rom.* 1, non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos. Sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et ut perfectio perfectibile; nihil tamen prohibet illud quod secundum se demonstrabile est, et scibile, ab aliquo accipiut credibile, qui demonstrationem non capit (S. Th., p. 1, q. 2, art. 2, ad 1). Alias existentia Dei ad fidem etiam spectat, cum sit fundamentum totius religionis Christianæ, et ut talis, inquit P. Perronne, supponatur in omnibus, Christianæ fidei professione. *

Prob. ant. Ecc. 1 : *Omnis sapientia a Domino Deo est.* Ergo notitia Dei non potest acquiri sine gratia supernaturali.

Resp. *Dist. conseq.* Notitia Dei salutaris, id est, conducens ad vitam beatam, *conc.;* notitia naturalis, *nego conseq.* De notitia salutari loquitur Ecclesiasticus.

Instabis 1. Scientia Dei in Philosophis paganis fuit mere naturalis; atqui Apostol. *Rom.* 1, illam refert ad gratiam Dei : *Deus enim,* inquit, *illis manifestavit.* Ergo.

Resp. *Dist. min.* Refert ad gratiam ordinis naturalis, *conc.;* ordinis supernaturalis, *nego min.* Itaque duplex est genus beneficiorum Dei : alia sunt *naturalia,* quæ naturam ipsam etiam post lapsum consequuntur; alia *supernaturalia,* quæ naturam non consequuntur, sed quæ per peccatum ablata, ex mera Dei misericordia restituuntur. Porro Apostol. loquitur de donis naturalibus, addit enim illico : *Invisibilia ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quo textu relato, ait Div. August. serm. 68 : *Fuerunt ergo... non adjuti Spiritu Dei.*

Inst. 2. Clem. Alexand. [1] Philosophiam comparat legi Mosaicæ : *Ipsa Philosophia,* inquit, *Græcos pedagogi more ducebat, sicut lex Hebræos ad Christum ;* atqui lex Mosaica revelatione supernaturali Judæis a Deo concessa est; ergo et Philosophia.

Resp. *Dist. maj.* Philosophiam legi Mosaicæ comparat, quoad aliqua, *conc.;* quoad omnia, *nego maj.* Itaque Clem. Alex. confert Philosophiam cum lege, in eo quod utraque a Deo data sit ad notitiam Dei et virtutis comparandam, non vero eas confert in hoc quod Philosophia sit bonum ordinis supernaturalis ad vitam æternam spectans, sicut lex Mosaica, dicit enim [2] : *Philosophos non fuisse a Deo afflatos sicut Moysen et Prophetæ.*

Inst. 3. Ea gratia est ordinis supernaturalis, quæ hominem justificat; atqui, ex Clem. Alex., Philosophia Græcos

[1] L. 1, *Stromat,* p. 282. — [2] L. 6, *Stromat,* p. 697.

justificabat : *Iis*, inquit ibid., *qui ex Philosophia fuere justificati auxilium tanquam thesaurus reconditus*. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj*. Quæ hominem justificat, perfecta, interna et salutari justitia, *conc.*; imperfecta, externa et civili justitia, *nego maj*. Justitia perfecta est ea quæ acquiritur per actus virtutum supernaturalium, qualis nulla unquam esse potest sine vera in Christum fide. Justitia imperfecta est ea quæ acquiritur per actus virtutum moralium ex motivo naturalis honestatis exercitatos; estque ea quam acquirebant Philosophi, dum opera sua ad Deum, tanquam ad auctorem naturæ naturaliter cognitum, referebant. *His, qui erant justi ex Philosophia, non solum opus erat fide in Dominum*, ait Clem. Alexand. [1], *sed etiam ut discederent a cultu simulacrorum*.

Objicies 3. Entis necessarii existentia non potest demonstrari per existentiam entis contingentis; atqui Deus est ens necessarium, creaturæ vero sunt contingentes. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj*. Si entis contingentis existentia non habeat necessariam connexionem cum existentia entis necessarii, *conc.*; si habeat, *nego maj.*; porro creaturarum existentia ita necessariam habet connexionem cum existentia Dei ut, si ille non existeret, hæ non essent, proindeque Deus per creaturas demonstrari potest.

Inst. 1. Ens contingens non exigit causam necessariam; ergo creaturæ, quæ sunt contingentes, non habent necessariam connexionem cum existentia entis necessarii.

Resp. *Dist. anteced*. Non exigit causam necessariam secundariam, *conc.*; primariam, *nego ant.*; nam in resolutione causarum, ad eam tandem deveniendum est, quæ, a se existens, omnes alias ex nihilo creaverit; illa autem causa, eoquod a se existat, necessaria debet esse et infinita.

Inst 2. Medium demonstrationis debet esse necessarium; atqui creaturæ non sunt necessariæ. Ergo, etc.

[1] Lib. 6, *Stromat.*, p. 669.

Resp. *Dist. maj.* Debet esse necessarium hypothetice, et quoad necessariam connexionem cum re demonstrata, *conc.;* absolute, et quoad existentiam, *nego maj.* : atqui creaturæ non sunt necessariæ absolute, et quoad existentiam, *conc.;* hypothetice, et quoad necessariam cum re demonstrata connexionem, *nego min.* : nam ex hypothesi cum sint, necessariam habent cum Deo, a quo dependent, connexionem; ergo dependentia earum non est contingens, sed necessaria.

Inst. 3. Omnis demonstratio fit ex prioribus; atqui creaturæ non sunt Deo priores. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Fit ex prioribus cognitione, *conc.;* ex prioribus existentia, *nego maj.*: atqui creaturæ non sunt Deo priores existentia, *conc. min.;* cognitione, *nego min.* Porro, cum adversus Atheos existentiam Dei ex creaturis demonstramus, prius esse creaturas probamus, ut inde in Creatoris existentiæ notitiam veniamus.

Inst. 4. Atqui creaturæ non sunt Deo priores cognitione; nam correlativa sunt simul natura et cognitione; atqui Creator et creatura sunt inter se correlativa. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Creator et creatura sunt correlativa, quando creaturæ spectantur formaliter, ut sunt creaturæ, *conc.;* quando spectantur materialiter, ut sunt entia contingentia, *nego min.* Porro, quando primo creaturas inspicimus, eas consideramus ut sunt in se, ex qua consideratione intelligimus eas non habere a se ut existant; ex quo concludimus res ab aliquo ente necessario fuisse creatas, quod ens est verus et solus Deus.

Inst. 5. Per creaturas non potest demonstrari essentia Dei; ergo nec ejus existentia; utraque enim identificatur in Deo; ergo si una demonstrari nequit, altera non potest demonstrari.

Resp. 1. *Dist. ant.* Essentia non potest demonstrari explicite, *conc.;* implicite, *nego ant.;* cum enim demonstratur existentia Dei, demonstratur existentia entis existentis a se,

seu entis omnimode independentis a quocunque alio; illa autem *aseitas*, seu omnimoda independentia, est ipsamet essentia Dei. Ergo, etc.

Resp. 2. Non potest demonstrari quid et qualis sit, *conc.*, quod sit, seu quod existat, *nego ant.*; hinc, licet demonstrari non possit in quo posita sit essentia solis, recte tamen ex solis effectibus demonstratur illius existentia; ergo a pari, etc.

Obiciies 4. Prima veritas non potest demonstrari; atqui Deus est prima veritas. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Prima veritas in cognoscendo, quale est hoc principium metaphysicum: *Impossibile est idem simul esse et non esse*, non potest demonstrari, *conc.*; in essendo, *nego maj.*: atqui Deus est prima veritas, in essendo, *conc.*; in cognoscendo, *nego min.* Deus enim non est primum cognitionis principium, cum ex ejus existentia nobis cognita, alias veritates deducere non possimus.

CAPUT II.

QUIBUS ARGUMENTIS POTEST DEMONSTRARI EXISTENTIA DEI?

Nota 1° Qui Dei existentiam negant, *Athei* vocantur. Sunt Athei *proprie* dicti et *improprie* dicti. Atheus improprie dictus est is qui deos vulgares apud paganos non veneratur. Sic, teste Justino, *Apologia* 1, ipsimet Christiani passim a Gentibus vocabantur Athei.

Atheus *practicus*, seu cordis, est qui libidine excæcatus ita perdite vivit, ac si non esset Deus, quem utpote vindicem criminum intimo conscientiæ sensu reformidans, vellet non esse. Talis fuit *insipiens* ille qui, psalmo 15, *dixit in corde suo* : *Non est Deus*. Quare dixit in corde suo? Quia, inquit August., in hunc locum, nemo aperte audet dicere: Non est Deus, *etiamsi ausus fuerit cogitare*, contra intimum conscientiæ sensum; unde *corrupti sunt et abominabiles facti sunt in*

studiis suis : tales tamen forte non sunt omnes qui confitentur se noscere Deum, factis autem negant [1].

Atheus *speculativus*, seu mentis, est is qui sibi, obluctante conscientia, persuadere vi ratiocinii revera potest Deum non existere. Dari plures Atheos practicos, heu! nimium comperimus; ast non ita certum est existere Atheos speculativos, seu mentis. Si qui dantur, certe paucissimi sunt, et forsan ad breve tempus: in illorum autem numero comprehendi non possunt qui Dei existentiam non negant, sed circa naturam Dei errant ejusque attributa. Unde quando Scriptura loquitur de hominibus in quibus non subest scientia Dei [2], qui non noverunt Deum [3], et alia ejusmodi, apertum est de gentibus sermonem esse quæ Deum verum et unicum ignorant, eumque non invocarunt.

Quidquid sit, advertendum est recentiores Atheos qui antiquos errores recoquunt, nullum novum proferre argumentum, formam et phraseologiam solum mutare; ideo pauca auctori nostro addenda in hac materia duximus.

Nota 2. Theologi, contra Atheos, variis demonstrationibus, tum Metaphysicis, tum Physicis, tum Moralibus probant Dei existentiam; nos amicæ brevitati studentes, tres aut quatuor, inter eas efficaciores, hic aperiemus; sit itaque

§ I.

Demonstratio ex ente necessario et contingenti.

Necesse est ut in rerum natura existat aliquod ens necessarium, de cujus ratione sit, quod, necessitate suæ naturæ et independenter ab omni alio, existat; sed illud est ens Deus: nomine enim Dei nihil aliud intelligimus; ergo datur Deus.

Prob. maj. Si non daretur aliquod ens necessarium, sequeretur omnia quæ sunt in rerum natura esse contin-

[1] Ad Tim., c. 1, v. 16. — [2] Sap. 13, v. 1, 2. — [3] II Thess. 1, v. 8.

gentia; sed hoc implicat contradictionem; ergo in rerum natura necesse est dari aliquod ens necessarium.

Prob. min. Si omnia, quæ existunt, sint contingentia, potuerunt existere aut non existere; contingens enim definitur: *quod potest esse aut non esse;* sed dici nequit omnia entia, quæ existunt, ex æquo potuisse existere vel non existere; ergo non omnia sunt contingentia.

Prob. min. Si quæcunque existunt potuerint ex æquo existere vel non existere, possunt supponi ea omnia non existere: nam, juxta vulgare adagium, *Posito possibili in actu, nihil sequitur absurdi;* atqui supponi non potest omnia non existere, tunc enim simul essent possibilia et non essent; *essent possibilia,* quia omne contingens est possibile; *non essent possibilia,* quia nullum ens necessarium existeret, a quo illa entia ponerentur in rerum natura; ergo non potest supponi omnia entia non existere; ergo necesse est ut sit ens omnino necessarium. Ergo.

OBJECTIONES.

OBJICIES *cum impio Spinoza.* Ex necessitate entis necessarii non demonstratur existentia Dei; ergo infirma est nostra demonstratio [1].

[1] * Portentosum Spinozæ systema principiis falsissimis innititur, puta quæ secum involvunt absurda: *primum* enim fundamentum totius Spinozianæ demonstrationis positum est in definitione substantiæ, quam asserit esse *illud quod in se et per se concipitur;* porro hæc definitio intellecta in sensu Spinozæ, id est quod substantia sit ens quod sit et concipiatur sine quovis alio objecto, falsa est, gratis asserta et inepta. *Falsa* quidem, quia per substantiam omnes nihil aliud intelligunt nisi ens independens a quavis causa vel subjecto cui inhæreat; *gratis asserta*, cum nulla insolitæ illius definitionis ratio afferatur; *inepta*, cum ad libitum fingatur ad astruendum imaginationis systema. Sane si valeat hæc methodus, nihil est tam absurdi quod affirmari non possit.

Secundum Spinozæ principium illud est: *effectus cognitio pendet a cognitione causæ.* Principium illud est æquivocum, nam effectus cognitio, si sub ratione effectus sumatur, utique pendet a causæ cognitione, quia tunc duo sunt correlata; si vero spectetur in se, potest concipi sine sua causa.

Prob. ant. Materia, ex qua res quælibet constat et consequenter universa substantia, est necessaria; ergo ex existentia entis necessarii non potest Dei existentia demonstrari.

Resp. *nego ant.* Nam ens necessarium debet esse infinitum in omni genere perfectionis ac immutabile, tum quoad existentiam, tum quoad existendi modum; atqui materia non est infinita in omni genere perfectionis, cum sit iners et otiosa; item non est immutabilis, neque quoad existentiam, alias esset a se, et consequenter infinite intelligens, justa, sapiens, provida, etc.; quod evidenter est falsum; neque quoad existendi modum, cum sit infinitarum modificationum susceptiva; ergo, etc.

Instab. 1. In rerum natura non possunt dari plures substantiæ; ergo unica est substantia universa, quæ, cum sit necessaria, est noster Deus.

Resp. *Nego ant.* substantiam enim hominis esse distinctam a substantia lapidis, substantiam materialem esse distinctam a substantia intelligente et cogitante, luce clarius est.

Instab. 2. Illa distinctio, quæ videtur in rebus, est tantum apparens, consistitque in diversa ejusdem substantiæ æternæ et indivisibilis modificatione; ergo unica est in rerum natura substantia, quæ Deus est.

Resp. Horrenda illa impietas est, quæ si esset vera, Deus esset simul materia et spiritus, homo et brutum, justus et impius, etc.; et ideo, juxta impium illud systema, non dicendum esset: *Sol calefacit terram; Brutus trucidavit Cæsarem; Judas tradidit Christum; sed dicendum foret: Deus modificatus in solem calefacit Deum modificatum in terram: Deus modificatus in Brutum trucidavit Deum modificatum in Cæsarem: Deus modificatus in Judam tradidit Deum modificatum in Christum;* quis unquam tam horrenda cogitare ausus est?

Multa sunt alia Spinozæ principia et axiomata a vero alienissima, in quibus quasi certissimis fundamentis exstruxit suum systema de unica in mundo substantia, quod impietatis et absurditatis cumulus est. *

Inde enim sequitur nefanda hominum opera ex necessitate divinæ substantiæ promanare, cum nihil aliud sint quam divinæ substantiæ modificationes.

INSTAB. 3. Non necesse est ut ens necessarium sit infinitum; ergo, licet hujus universi materia non sit infinita, nihilominus est necessaria. *Resp. nego ant.*

Prob. ant. Essentiæ rerum creatarum sunt necessariæ; atqui tamen non sunt infinitæ. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Essentiæ rerum creatarum sunt necessariæ hypothetice et quoad essentiam metaphysicam, *conc. maj.;* absolute et quoad existentiam, *nego maj.*, et sic ad conseq. *Itaque,* essentiæ rerum creatarum dicuntur necessariæ, eo vero sensu, quod, positæ in rerum natura, tales debeant esse quales concipiuntur, v. gr., homo, si existat, necessario debet esse animal rationale; porro infinitas perfectionum non fluit ex necessitate hypothetica et metaphysica, sed ex necessitate absoluta et physica existentiæ.

INST. 4. Quod est necessarium absolute et quoad existentiam, non minus in suis perfectionibus limitari potest, quam quod est necessarium hypothetice tantum et quoad essentiam; ergo necesse non est ut ens necessarium sit infinitum.

RESP. *Nego ant.* Disparitas est quod quæ sunt necessaria hypothetice tantum et quoad essentiam, necessario debent habere suæ existentiæ causam a qua limitantur : at quod est necessarium quoad existentiam, nullam agnoscit causam; ergo a nulla potest in suis perfectionibus limitari.

OBJICIES 2. Licet singula entia sint contingentia, tota nihilominus entium contingentium collectio est necessaria; ergo ex ente necessario invicte non probatur Dei existentia.

RESP. *Nego ant.* Nam ens necessarium, quod probamus, debet esse infinite perfectum, et consequenter simplicissimum; atqui tota prædicta collectio non est simplicissima; a suis enim partibus componentibus pendet ut sit, quod est

maxima inperfectio; ergo non est quid unum infinite perfectum.

INST. 1. A sensu distributivo ad collectivum non valet argumentatio; v. gr. non valet : *Singuli milites non sunt exercitus; ergo tota collectio militum non est exercitus.* Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* A sensu distributivo ad collectivum non valet consequentia in prædicatis accidentalibus et quantitativis, *conc. ant.* : in prædicatis essentialibus, *nego ant* : valet enim ista illatio : *Quilibet homo est animal; ergo tota hominum collectio est animal.* Ratio disparitatis est, quia prædicata accidentalia et quantitativa ita singulis conveniunt, ut collectioni repugnent, quia major est quantitas in collectione, quam in partibus collectionis; e contra vero prædicata essentialia tam conveniunt singulis partibus, quam earum collectioni, quia petuntur ab essentia, quæ non suscipit majus et minus, sicut quantitas.

INST. 2. Atqui in prædicatis essentialibus non valet a sensu distributivo ad collectivum argumentatio. Ergo.

Prob. subs. Hæc illatio : *Quælibet creatura possibilis est essentialiter producibilis; ergo tota collectio creaturarum possibilium essentialiter producibilis est,* non valet; alias exhauriri posset Dei infinita potentia. Ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Nam eodem modo tota collectio possibilium est producibilis, quo singulæ creaturæ possibiles sunt producibiles; atqui singulæ creaturæ possibiles sunt tantum producibiles distributive; ergo et tota collectio essentialiter producibilis est distributive, non collective [1].

[1] * L'impie demande : Pourquoi Dieu est-il? Je lui réponds : Pourquoi Dieu ne serait-il pas? Est-ce à cause qu'il est parfait; et la perfection est-elle un obstacle à l'être? Erreur insensée! Au contraire, la perfection est la raison d'être. Pourquoi l'imparfait serait-il, et le parfait ne serait-il pas? C'est-à-dire : Pourquoi ce qui tient plus du néant serait-il, et ce qui n'en tient rien du tout ne serait-il pas? Qu'appelle-t-on parfait? Un être à qui rien ne manque. Qu'appelle-t-on imparfait? Un être à qui quelque chose manque. Pourquoi l'être à qui rien ne manque ne serait-il pas plutôt que celui à

§ II.

Demonstratio ex necessitate primæ causæ effectricis et primi moventis immobilis petita.

Necesse est ut in rerum natura existat aliquod ens improductum et primum movens immobile; sed illud ens est Deus; nomine enim Dei nihil aliud intelligimus quam ens a se, improductum ac primum movens immobile. Ergo, etc.

Prob. maj. Si omnia entia, quæ sunt vel fuerunt, producta fuissent ac mota, saltem unum ex illis se ipsum produxisset ac movisset; absurdum consequens, nihil enim potest esse sui ipsius causa, et *quidquid movetur, ab alio movetur*, juxta axioma. Ergo, etc.

PROB. PRIMA PARS MIN. Si in tota entium productorum collectione unum seipsum produxisset, fuisset se ipso prius et posterius : causa enim est prior suo effectu, et effectus sua causa posterior; atqui hoc est absurdum; ergo nihil potuit se ipsum producere; ergo omnia entia producta supponunt primam causam improductam, aliorum entium effectricem; atqui illa causa est Deus. Ergo.

PROB. SECUNDA PARS MIN. Si in tota entium motorum collectione unum seipsum movisset sive ad esse, sive ad qualitatem, sive ad locum, fuisset secundum idem simul in potentia et in actu; in potentia quidem, quatenus potuisset recipere motum, quem (ut supponitur) non habuisset; in actu autem, quia (ut supponitur) seipsum movisset; sed implicat, quod idem, secundum idem, sit in potentia et in actu; nam quod est simul in potentia et in actu, v. gr. secundum esse, simul est et non est; item quod simul est in potentia et in actu secundum eamdem qualitatem, eam habet

qui quelque chose manque? D'où vient que quelque chose est, et qu'il ne se peut pas faire que le rien soit, si ce n'est parce que l'être vaut mieux que le rien, et que le rien ne peut pas prévaloir sur l'être, ni empêcher l'être d'être? Mais, par la même raison, l'imparfait ne peut valoir mieux que le parfait, ni être plutôt que lui, ni l'empêcher d'être. (Bossuet, 1re *élévat.*)*

et simul non habet, quod est contradictorium; ergo datur primum omnino immobile, a quo moveantur cætera quæ moventur; ergo datur Deus.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. In causis producentibus et productis, moventibus et motis, datur processus in infinitum, ita ut una sit et moveatur ab alia, et hæc ab altera usque ad infinitum : ergo non necessario recurrendum est ad aliquam causam primam et universalem, a qua cæteræ sint.

RESP. *Nego ant.* Repugnat enim talis in infinitum processus, nam : 1° Ut ait D. Thomas : *Id quod movet instrumentaliter, non potest movere, nisi sit aliquid aliud quod principaliter moveat. Sed si infinitum proeedatur in moventibus et motis, omnia erunt quasi instrumentaliter moventia, quia ponentur sicut moventia mota; nihil autem erit sicut principale movens; ergo nihil movebitur.* 2° Si daretur talis processus, nullus revera hic et nunc fieret motus seu causa dependens; etenim ut fiat motus, causæ moventes debent attingere eam quæ hic et nunc movetur et causat. Atqui causæ moventes, si daretur processus, nunquam attingerent eam quæ hic et nunc movetur et causat dependenter a potentia activa recepta ex præcedentibus causis : ut enim eam attingerent, infinitum pertransiri debet, multitudo nempe causarum causatarum : infinitum autem non est pertransibile, cum finem non habeat. 3° Contradictionem involvit series actu infinita et tamen terminata : terminatur autem series causarum in mundo, nam semper novæ sunt possibiles et fiunt, et sic in actu series est semper finita. 4° Processus talis supponeret numerum infinitum : porro repugnat, tum quia nequit esse in actu numerus cui nulla unitas addi queat, tum quia hic involveret nullum nunc posse fieri effectum; nam numero infinito nihil addi potest. 5° Collectio causarum causatarum, in quantnm collectio

[1] *Summa, cont. gentes*, lib. 1, cap. 13.

sumpta, producta est, cum sit ex causatis causis. Producitur autem vel ab aliquo intra, vel ab aliquo extra ipsam posito. Porro non ab aliquo intra, quia ipsemet producitur; nemo aliunde producitur a suo effectu, vel producit seipsum: ergo ab aliquo extra, puta primaria causa. — Ergo deveniendum est ad causam primam: ergo falsum antecedens et consequens. *

Objicies 2 *cum Epicuro*. Materia est improducta, et æterna; ergo non potest probari existentia primæ et universalis causæ.

Resp. *Nego ant.*, quod non tantum repugnat fidei, quæ docet in principio Deum creasse cœlum et terram, sed etiam rationi: nam ens æternum et improductum est infinitum, cum a nulla causa limitari potuerit; at materia est finita, loco circumscripta, et maxime iners et otiosa. Ergo.

Prob. ant. Ex nihilo nihil potest fieri; ergo admittenda est materia æterna et increata, a qua præjacente omnia fiant.

Resp. 1. *Dist. ant.* Ex nihilo nihil fit, eo sensu quod nihilum nihil possit causare et creare, *conc.;* eo sensu quod, nulla præjacente materia nihil possit causari vel creari, *neg.* vel *subdist.* Ab homine cujus virtus finita est ac limitata, *conc. ant.;* a Deo qui est infinitæ virtutis, *nego ant.*

Resp. 2. *Nego conseq.* Supposito enim, non concesso, quod detur materia æterna, 1. Ex ea nunquam posset fieri ens spirituale cogitans; atqui exstant substantiæ spirituales, ergo non possunt esse a materia; ergo sunt a solo Deo omnium creatore; 2. Esset otiosa, et omnis motus expers; ergo agens superius et infinitæ virtutis esset adhuc necessarium, a quo illa materia motum ad hanc vel illam formam acciperet; atqui tale agens est Deus. Ergo.

Objicies 3. Dantur entia æterna *a parte post*, id est quæ nullum habitura sunt finem; ergo et possunt dari entia æterna *a parte ante*, id est quæ nullum habuerint initium.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod ens non habens suæ existentiæ initium, sit a se et plane independens, quod

repugnat creaturæ : sed ens quod non habiturum est finem, semper pendet a suo conditore, qui, sicut illud ex nihilo libere creavit, ita illud in nihilum potest redigere.

§ III.

Demonstratio ex mirabili mundi hujus fabrica et dispositione.

Opus in quo relucet summa rerum multitudo et varietas, fixa tempestatum vicissitudo, immensa cœlorum moles, siderum definitæ conversiones, totius denique naturæ ordo ita sapiens, ut nullus sapientior, ita pulcher, ut nullus pulchrior, ita constans, ut nullus constantior inveniri queat, a suprema quadam mente et intelligentia sapientissima prodiit, regitur et ordinatur; atqui talis est tota hujus mundi machina; ergo a suprema quadam intelligentia prodiit, etc.; atqui illa intelligentia est Deus. Ergo.

OBJECTIONES.

Objiciunt *Athei*. Omnia quæ in hoc universo cernuntur, ex fortuito atomorum, in vastissimo nihili sinu sese moventium, occursu coaluerunt; ergo ad illa explicanda non est necesse recurrere ad supremam quamdam intelligentiam.

Resp. *Nego ant*. Insipiens enim sit oportet qui magnificum aliquod palatium ex fortuito lapidum, cœmentorum, lignorum occursu, factum dicit; magis insaniens, qui hujus universi perpetuo sibi constantem fabricam in fortuitum atomorum fictorum occursum refundit. Quis sanæ mentis considerans solem, lunam et alia astra constanti et perpetuo motu lucem quocunque diffundentia, solem ab oriente ad occidentem constantissime moveri, nunquam ab occidente ad orientem, etc., quis, inquam, talia contemplans, *potest existimare nullo effecta consilio, nulla convenientia, nulla ratione divina, sed ex atomis subtilibus et exiguis concreta esse tanta miracula? nonne prodigio simile est, aut natum esse homi-*

nem qui hæc diceret, aut exstitisse qui crederet. Ait Lactant. [1].

INSTANT. Omnia quidem sunt facta, sed a casu et fortuna, non vero ab aliquo intelligente; ergo demonstratio ex mundi fabrica nulla est.

RESP. *Nego ant.* Quis enim dixerit ferrum ex casu fortuito talem habuisse motum, qui necessarius est ad horologium producendum? Ergo a pari *quis adeo rationis expers*, ait Seneca [2], *ut hoc, quo neque formosius quidquam, nec dispositius, nec in proposito constantius, existimet fortuitum et casu volubile, et non a suprema aliqua ratione ordinatum?*

OBJICIUNT *Libertini.* Universum hoc regitur a sola natura, quæ uno cursu et ordine semper eadem agit: ergo non datur illius intelligens moderator.

Prob. ant. Nox semper eodem cursu succedit diei, æstas veri, autumnus æstati, et autumno hiems; homines semper eodem modo nascuntur et moriuntur, etc.; atqui illa non succederent ita regulariter, nisi a sola natura regerentur. Ergo.

RESP. *Nego min.* Nam quod illa ita regulariter sibi succedant, hoc habent ab ipso Deo auctore naturæ, cui placuit ipsi naturæ regulas permanentes statuere, a quibus seipsa non potest recedere; verum tantum abest, ut tam mirabilis ordo officiat existentiæ Dei, quin potius illam, summa cum energia, statuat, nam ut docet Minutius Felix *in Octavio: Hic ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret.*

INSTANT. Legislator intelligens suas leges, ad libitum aut saltem pro temporum et negotiorum exigentia, potest mutare, aut in illis dispensare; atqui leges naturæ sunt invariabiles, nec in illis potest quis dispensare. Ergo.

RESP. *Nego min.* Contrarium enim colligitur ex miraculis quotidianis, quibus videmus in hieme flores et fructus, in æstate nives et glacies, in aquis soliditatem et regressum, in igne ardoris suspensionem, in sole retrogradationes et

[1] L. 1. *de Ira Dei* cap. 10. — [2] L. 1., *Quæst. nat.*, in præfat.

eclypses extraordinarias, etc.; hæc spectant ad Dei providentiam.

Itaque nullus est, qui, ex his quæ facta sunt, summam divini illorum artificis sapientiam non agnoscat, sed maxime ex miranda hominis structura; ait Minutius Felix *in Octavio : Status rigidus, vultus erectus, oculi in summo, velut in specula, constituti, etc..; et quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quædam unicuique lineamenta deflexa; sic et similes universi videmur, et inter se singuli dissimiles invenimur.*

§ IV.

Demonstratio moralis existentiæ Dei ex communi hominum sensu, sic proponitur.

Quod omnes homines unanimi et constanti consensu existere fatentur, illud certissime existit; nam *de quo omnes conveniunt,* ait Cicero, *id verum esse necesse est.* Atqui populi, quotquot unquam exstiterunt, etiam ii qui vix humani quidquam præter speciem habent, omnes unanimi consensu Deum existere fatentur. *Persa,* ait D. Hieron. [1], *Gothus, Ægyptius, Turca ipsum agnoscunt..., et totius mundi una vox est : Deus est.*

CAPUT III.

UTRUM DEUS POSSIT INVINCIBILITER IGNORARI?

Nota 1. Ignorantia duplex est, vincibilis scilicet et invincibilis. Ignorantia *vincibilis* est ea quæ, adhibita morali diligentia, vinci ac superari potest : hæc censetur voluntaria saltem indirecte ac proinde culpabilis. Ignorantia *invincibilis* est ea, quæ nullo studio, nulla diligentia superari potest; hæc est involuntaria et inculpabilis.

Nota 2. Aliqui Theologi ausi sunt scribere nonnullos homines, adultos et rationis compotes, posse per totam vi-

[1] Epist. ad Nepotian.

tam invincibiliter ignorare Dei existentiam, ita ut nec semel toto vitæ tempore de ipso cogitent, *ita Poncius*. Alii quidam docuere ejusmodi ignorantiam homini cogitanti non posse quidem per totam vitam inesse, sed per breve tempus; contra quos sit

CONCLUSIO

Nemo, post adeptum rationis usum, etiam ad breve tempus, potest invincibiliter ignorare Deum.

Prob. 1. Ex omnibus momentis, quibus debellavimus Atheos; nam illius existentia a nemine rationis compote potest invincibiliter ignorari, cujus idea effectus est vel inclinationis et dictaminis ipsius naturæ, vel traditionis cujusdam originalis, vel utriusque simul; cujus existentia invictissimis argumentis demonstrari potest: atqui idea Dei, etc.; Ergo.

Prob. 2. Ignorantia invincibilis excusat a peccato; atqui nulli ignorantes Deum excusantur a peccato, dicuntur enim *inexcusabiles*, Rom. 1. Ergo, etc. *Prob. min.* Illi non excusantur a peccato, quibus pœna infligitur, cum nemo, nisi propter peccatum, a Deo justo puniatur; atqui omnibus ignorantibus Deum pœna infligitur. Psalm, 78: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, etc.* Ergo.

Confirm. Si homo rationis compos ignoraret Deum, nullum ejus peccatum esset mortale; absurdum cons. Ergo, etc. *Probat. maj. seq.* Malitia peccati mortalis petitur ex injuria Dei; sed Deus non potest injuria affici, nisi cognoscatur; ergo si homo ignoraret Deum, nullum ejus peccatum esset mortale.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Plures sunt qui Dei ignorantiam superare non possunt; ergo Dei existentia potest invincibiliter ignorari.

Prob. ant. Ignorantia Dei non potest superari, nisi per discursum, ex creaturarum scilicet existentia colligendo

existentiam Dei creatoris; atqui multi sunt barbari ita agrestes, ut non sint hujusmodi discursus capaces. Ergo.

Resp. 1. *Nego maj.* Quippe omnibus innata est Dei idea, ita ut ad illius cognitionem, sola vel attentione ad conscientiæ testimonium opus sit, vel certe ex traditione ignorari non potest.

Resp. 2. *Nego min.* Nullus enim est homo rationis compos, qui non sit capax rationum, quibus demonstratur Dei existentia; nemo enim est ita stupidus, qui ex creaturis non eruat cognitionem, saltem probabilem, quod in hoc universo sit supremus aliquis gubernator cui sit parendum, qualiscunque tandem ille sit; hoc enim ipso tenetur inquirere quis ille sit, et qua ratione colendus: quare dicit Tullius[1]: *Nulla est gens tam barbara, quæ non fateatur esse aliquem Deum, adeo quidem ut homines falsum Deum habere malint, quam nullum omnino.*

Inst. 1. Saltem per breve tempus potest quis invincibiliter ignorare Deum. Ergo.

Prob. ant. Puer educatus in sylvis, postquam adeptus est usum rationis, indiget aliquo temporis intervallo, ut ex idea sibi a natura indita et ex creaturis concludat existentiam Dei; ergo illo saltem brevi tempore eam invincibiliter ignorabit.

Resp. *nego ant.* Nam statim atque talis puer usum rationis adeptus est, si ad propriæ conscientiæ testimonium et ad alias creaturas attendat, cognitionem Dei comparabit; ratio est, quia tam clarum est conscientiæ de Deo testimonium, tam evidens est creaturarum cum Creatore connexio, ut is qui, ut par est, attenderit, ne momento quidem temporis esse queat sine cognitione Dei, si non statim demonstrativa, saltem probabili, et moraliter certa.

Inst. 2. Ut puer sic in sylvis educatus, ex creaturis concludat existentiam Dei, debet aliquo modo præcognoscere

[1] L. 1. *Tuscul. quæst.*

terminos, *Deus* et *est*; atqui non potest hos terminos præcognoscere, nisi per aliquos doceatur. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Ut concludat existentiam Dei sub ratione propria deitatis, *conc.*; sub ratione aliqua communi et confusa deitatis, *nego maj.*; atqui non potest illos terminos præcognoscere sub ratione propria deitatis, *conc.*; sub ratione primæ causæ, entis primi, improducti, infiniti, *nego min.* Porro hæc confusa Dei cognitio sufficit, ut serio inquirat distinctam Dei cognitionem, ad quam, juvante lumine rationis et præveniente gratia Dei, quæ *facienti quod in se est, nunquam deest,* facile potest pervenire; unde si ignoret Dei existentiam, non illam ignorat, nisi quia vult illam ignorare, aut negligit illam cognoscere; quare si male agat, non solum contra rectam rationem peccat, sed etiam contra Deum, quem a se offendi, nonnisi vincibiliter et culpabiliter, ignorat, ut constat ex hac prop. ab Alexand. VIII damnata: *Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi: Theologicum vero et morale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave in eo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.*

CAPUT IV.

DE UNITATE DEI [1].

Nota. Unitatem Dei impugnarunt, 1. Gentiles, quorum tanta fuit dementia, ut innumerabilem plane deorum mul-

[1] * Quamvis polytheismus sine idololatria, quæ in cultu sensibili fictitiæ divinitatis consistit, absolute possit existere, attamen cum idololatria ex illo originem duxerit et illum semper comitata sit, hinc factum est ut indiscriminatim polytheistæ ac idololatræ confundi soleant.

Undenam vero *polytheismus* et *idololatria* initium habuerint, multum quæsitum est inter eruditos. Errant tamen qui talium deorum cultum

existentiam Dei creatoris; atqui multi sunt barbari, ut non sint hujusmodi discursus capaces.

Resp. 1. *Nego maj.* Quippe omnibus innata est ut ad illius cognitionem, sola vel attentio testimonium opus sit, vel certe ex traditione potest.

Resp. 2. *Nego min.* Nullus enim est barbarus qui non sit capax rationum, quibus [illegible] tentia; nemo enim est ita stupidus [illegible] eruat cognitionem, saltem prob[illegible] verso sit supremus aliquis gu[illegible] qualiscunque tandem ille sit; [illegible] rere quis ille sit, et qua ratio[illegible] lius[1]: *Nulla est gens tam barb[illegible] Deum, adeo quidem ut homin[illegible] nullum omnino.*

Inst. 1. Saltem per b[illegible] ignorare Deum. Ergo [illegible]

Prob. ant. Puer ed[illegible] usum rationis, indi[illegible] sibi a natura ind[illegible] Dei; ergo illo sa[illegible] rabit.

Resp. *nego c*[illegible] adeptus est. [illegible] alias creat[illegible] est, quia [illegible] tam evi[illegible] qui, ut [illegible] esse c[illegible] salt[illegible] [illegible] homines in deos transform[illegible] progressus delineant veteres [illegible]

[illegible] *Bergier, Traité historiq. tom.* [illegible] *et revel. et alios ibid. citatos.*

[illegible] *Dict. théol. Hooke, Rolig.*

itheitas, ex Patribus tum Græcis, tum

um multitudinem putaverunt, qui
? Profecto non sic... unam deita-
veritatis Pater, Pater perfec-
substantia, Spiritus sanctus
participatus, etc.
dei : *Est Deus Pater,*
res, *sed unus Deus,*

itatem, *Patris,*
qui *propria*

lo : *Credo, in unum*
et verus est Deus. Later.
confitemur, quod unus solus
ensus.

illud est admittendum quod tota
a voce proclamavit; atqui tota retro
tum gentiles philosophi, tum omnes po-
num maximum, creatorem, rectorem et con-
em hujus universi agnoverunt, a quo alii dii omnes
endeant. Ergo, etc.

Prob. min. Onatus pythagoræus ait : *Imperat omnibus Deus is, qui virtute præstat; hic universum mundum moderatur et continet.* Cicero : *Deus*, inquit, *alio modo intelligi non potest, nisi ut mens soluta et libera, omnia sentiens et movens.* Aristoteles : *Omnes homines affirmant deos esse sub imperio.* Orpheus, Sophocles, Plautus, Virgilius, Horatius, Ovidius, *poetæ* tandem *omnes*, inquit S. Chrysostomus, *primum principemque Deum universe parentem appellant rerum omnium.* De Chaldæis testis est Berosus; de Æthiopibus Strabo, Zoroaster de Persanis; de Romanis et Græcis constat, quod

[1] Hæres. 57. contra Novatianos — [2] Serm. 6 de tempore.

solum Jovem dicerent optimum, maximum; ac idem fere historici [1] testantur de Indiarum, Sinarum, Africæ, Americæ populis. Hinc et Hoocke ait: *Calumniæ loco haberent gentiles, si plures deos a se invicem non dependentes ab ipsis coli, Christiani edicerent.* Hinc etiam Tertullianus qualemcunque animam, non philosophicam, non excultam, sed vulgarem, plebeiam, incultam, gentilem provocat ad testificandum, quod sive domi, sive rure, sive in templis coram aliis diis, viis, etc., sentiat et confiteatur unicum Deum supremum, maximum. Unde concludit ill. Card. Gousset : *Toutes les nations ont conservé une idée plus ou moins distincte de l'unité de Dieu. Il faut*, dit Bergier, *ou que cette idée ait été gravée dans tous les esprits par le créateur lui-même, ou que ce soit un reste de tradition qui remonte jusqu'à l'origine du genre humain, puisqu'on la trouve dans tous les temps aussi bien que dans tous les pays du monde.* Ergo omnes populi Deum unum, maximum, etc., agnoverunt. Ergo, etc. [2]

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Psalm. 81, dixit Deus : *Ego dixi, dii estis.* Ergo sunt plures dii.

[1] Rochefort, du Tertre et Jagard. Vide etiam Bullet, *Existence de Dieu*, part. 2, pag. 9, édit. 1819. Beausobre, *Histoire de Manichée et du Manichéisme*, lib. 9, c. 4. Miximum de Tyr. philosophum platonicum, *Sermo de Deo, juxta Platonem*, S. Irenæum, lib. 2. *contra hæres* c. 9. Minucium Felicem, *Octavius*, c. 18 et seqq. Lactantium, *Institutiones divin.* lib. 1, c. 3. Arnobium, lib. 1. *Contra gent.* n° 31. S. Aug. tract. 106 in *Joan. Evangelium*, Huet, *Alnetanæ quæst.* lib. 2. c. 2. Rorhbacher, *Hist.*, lib. 2. et passim. Hoocke, *Principia Relig. natur. et revel.*, part. 1. sect. 2, et alios bene multos. — Polytheismus igitur dici non potest polytheismus æqualitatis, sed *subordinationis*, uti Saturninus confessor declaravit in concilio Carthagin., anno 258, his verbis : *Gentiles, quamvis idola colant, tamen summum Deum patrem, creatorem, cognoscunt et confitentur*, quo in sensu accipienda sunt verba ad Rom. c. 1. v. 21. *Inexcusabiles... quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Hoc est crimen idololatriæ.—[2] *Apol.* n°. 17. et in lib. *de testim. animæ*, c. 1 et 2.

RESP. *dist. conseq.* Sunt plures dii, improprie et participative, *conc.* : proprie et natura, *nego conseq.* Ibi autem Psalmista loquitur de judicibus, quos vocat deos, propter auctoritatem judicandi populum, quam a Deo participant, non vero loquitur de diis natura; addit enim : *Vos autem sicut homines moriemini* : quod non potest dici de Deo vero.

INST. 1. Apost. [1] ait : *Sunt dii multi et domini multi;* ergo sunt plures dii natura.

RESP. *dist. ant.* Sunt plures dii falsi, *conc.*; dii veri, *nego ant.* Ibi Apostolus loquitur de idolis, quæ sunt falsa numina, ut ex illorum multitudine eruat unitatem Dei; ait enim : *Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus : nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra (si quidem sunt dii multi et domini multi), nobis tamen unus est Deus.*

INST. 2. Illi sunt veri dii, qui habent veros characteres divinitatis; atqui dii gentium habent veros characteres divinitatis. Ergo.

Prob. min. Tres sunt præcipui characteres divinitatis, nempe patratio miraculorum [2]: *Qui facis mirabilia solus.* Infirmitatum repentina curatio [3] : *Dominus mortificat et vivificat.* Futurorum prædictio [4] : *Annuntiate quæ ventura sunt, et sciemus quia dii estis vos;* atqui dii gentium hos habent characteres. Ergo.

RESP. *nego min.* Namque 1. ea miracula, quæ ad invocationem falsorum deorum dicuntur facta, a dæmonibus, sub deorum nomine, fuerunt patrata, *ut numina lapides crederentur et Deus verus non quæreretur,* ait Tertull. in Apologetico, c. 22.

2. Curationes morborum a falsis numinibus operatæ, fuerunt potius infestantium dæmonum quies, quam ægritudinum depulsio. *Lædunt enim primo,* ait Turtull. ibidem, *dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova sive contraria, postquam desinunt lædere, et curasse creduntur.*

[1] 1 Cor. 8, v. 5. — [2] Psalm. 71. — [3] 1 Reg. — [4] Isaiæ 14.

3. Prædictio futurorum facta fuit a dæmonibus qui mira sua velocitate in momento orbem lustrant, et referre possunt quæ, in remotioribus plagis, geruntur, ut docet Tertull. ibidem, qui addit : *Dispositiones etiam Dei et nunc concionantibus excerpunt, et nunc lectionibus resonantibus carpunt, ita et hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem.*

Objicies 2. *cum Manichæis.* Tot admitti debent dii, quot prima rerum principia ; atqui duo sunt prima rerum principia. Ergo. *Resp. Nego min.*

Prob. min. Tot sunt prima rerum principia quot sunt effectus oppositi, malum nempe et bonum : ergo duo sunt prima rerum principia.

Resp. *Nego maj.* Nam effectus diversi et oppositi, licet arguant diversitatem causarum secundarum, quarum virtus est ita limitata et ad certos effectus producendos determinata, ut alios non possint producere, v. gr., ignis ignem, non aquam, producere potest ; tamen non arguunt diversitatem causæ primæ, quæ, cum sit infinitæ virtutis, quoslibet effectus producere potest, sive similes, sive dissimiles, sive etiam contrarios ; unde Deus, *creator visibilium et invisibilium* dicitur.

Inst. 1. Malum non potest oriri a principio bono : ergo necessario debet oriri a principio malo.

Resp. *Dist. ant.* Malum culpæ non potest oriri a principio bono, *conc. ant.;* est enim mera rectitudinis privatio, quæ veram non habet causam effectricem, sed potius deficientem. Malum pœnæ, *nego ant.:* nam a Deo justo in ultionem criminum infligitur, et sic consideratum, rationem boni induit.

Inst. 2. Si unicus esset Deus, illeque bonus, malum culpæ impediret, si posset ; atqui non impedit. Ergo.

Resp. *Nego seq. maj.* Ad Deum enim, qui est provisor generalis, pertinet et boni productio et mali permissio ; quippe creavit hominem liberum, ut vel bonum vel malum

eligeret, oblata ipsi gratia ad bonum prosequendum, et malum fugiendum necessaria, atque etiam proposita æterna felicitate, si bene, æterno vero supplicio, si male ageret. Quid porro sapientius et ad laudem supremi provisoris opportunius? Culpa igitur hominis est, si misere pereat, beneficium vero Dei, si æternum vivat.

Objicies 3. *cum Tritheitis*. Tres sunt personæ in SS. Trinitate, quarum quælibet est Deus; ergo sunt tres dii.

Resp. *Nego conseq.* Quia tres illæ personæ habent eamdem numero naturam; ergo sunt unus Deus.

Inst. 1. Personæ divinæ a se invicem realiter distinguuntur. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Realiter distinguuntur personalitate, *conc.*; substantia seu natura, *neg. ant.* Porro pluralitas eorum ex pluralitate numerica naturarum desumitur, non ex pluralitate numerica personarum.

Inst. 2. Personalitas in Deo non distinguitur a natura in Deo; ergo si personæ divinæ personalitate a se invicem realiter distinguantur, realiter a se invicem distinguuntur natura.

Resp. *Dist. ant.* Personalitas et natura in Deo non distinguuntur realiter, *conc.*; virtualiter, *nego ant.* Nam modus existendi *per se*, distinguitur virtualiter ab ipsa re existente *per se*; sed personalitas in Deo est modus subsistendi *per se*, natura vero est res quæ *per se* subsistit; ergo distinguuntur virtualiter; porro distinctio illa virtualis sufficit, ut personæ divinæ, natura omnino indistinctæ, a se invicem realiter distinguantur personalitate.

Inst. 3. Personalitas in Deo est de conceptu naturæ; ergo non distinguitur virtualiter a natura.

Prob. ant. Persona definitur: *rationalis naturæ individua substantia;* ergo personalitas est de conceptu naturæ.

Resp. *Nego conseq.* Quia, in allata definitione, *individua substantia* non significat essentiam, seu naturam divinam, sed substantiam, seu modum subsistendi *per se;* unde non

est substantia simpliciter, sed *individua substantia*, hoc est, substantia incommunicabilis alteri tanquam supposito.

CONCLUSIO II.

Ratione demonstratur unicum esse Deum.

PROB. Afferendo varias unitatis Dei demonstrationes.

1. *Demonstratio ex notione Dei* sic proponitur : Deus est ens summe magnum et infinitum, quo nihil majus aut melius esse aut cogitari potest; atqui non possunt esse duo entia summe magna et infinita : ergo unicum esse Deum necesse est, non multiplicem.

Prob. min. 1. Esse summe magnum ex Tertull. [1] est *parem non habere :* at parem non habere ita uni competit, ut nullo modo possit duobus competere; ergo non possunt esse duo entia summe magna. 2. Esse infinitum, est complecti omne genus perfectionum; duos esse hujusmodi impossibile est; nam si essent duo infiniti, unus ab altero distingueretur : alias plures non essent; atqui id per quod unus ab alio distingueretur, esset aliqua perfectio. Deus enim non nisi perfectione quadam potest constitui; ergo uni deesset ea perfectio, qua alter constitueretur; ergo non haberet omnes perfectiones, ac proinde non esset infinitus; ergo *Deus si non est unus, non est,* concludit Tertull., *ibid.*

DICES : Non magis divinæ naturæ infinitas impedit pluralitatem deorum, quam personarum; atqui tres sunt personæ infinitæ; ergo possunt esse plures dii infiniti.

RESP. *Dist. maj.* Disparitas est, quod, si plures essent dii, differrent a se invicem per aliquam perfectionem infinitam qua unusquisque constitueretur, et qua quilibet alius careret; quare nullus ex eis esset revera infinitus; e contra cum tres SS. Trinitatis personæ habeant unam eamdemque naturam, nihil habet una quod ejusdem naturæ divi-

[1] L. 1 *Contra Marcion*, cap. 3.

næ beneficio, cui omnia identificantur, non habeat alia.

2. *Demonstratio ex omnipotentia Dei*, sic proponitur : repugnat esse plures omnipotentes; ergo et plures deos.

Prob. ant. Si essent duo omnipotentes et unus vellet producere aliquam creaturam, vel alter posset illius creaturæ productionem impedire et productam destruere, vel non posset; si non posset, non esset omnipotens, cum non posset exequi quodcunque vellet; si posset, alter non esset omnipotens, cum non posset suum opus facere et conservare : unde merito concludit D. Athanas. [1] : *Dicere plures deos æqualiter potentes, est dicere plures æqualiter impotentes.*

3ª *Demonstratio.* Deus est primum omnium rerum principium, finis simpliciter ultimus, mundique rector et gubernator; atqui unicum est rerum omnium principium, unicus finis simpliciter ultimus, unicus mundi rector; ergo unicus Deus.

Prob. prima pars min. Si essent plura rerum omnium prima principia, quodlibet eorum esset principium totale, vel non ; *non primum*, quia implicat ejusdem rei esse plures causas totales ; *non secundum*, alias nullus esset Deus, cum nullus haberet virtutem infinitam, sed alterius adminiculo indigeret; ergo unicus est Deus.

Prob. secunda pars min. De ratione finis ultimi simpliciter est, quod ad ipsum omnia ordinentur, ipse vero ad nihil aliud referatur; atqui implicat dari duos fines simpliciter ultimos. *Prob. min.*, nam vel unum illorum ad aliud referretur, vel non : *si primum*, illud quod referretur, non haberet rationem ultimi finis, de cujus ratione est, ut ad nihil aliud referatur; *si secundum*, aliud, ad quod non referretur, non esset finis ultimus, de cujus ratione est, quod omnia ad ipsum referantur. Ergo.

Prob. tertia pars min. Quæ diversa sunt et divisa, in unum ordinem non possunt convenire, nisi ab aliquo uno

[1] L. *Contra Gentiles.*

dirigantur et ordinentur; atqui in mundo est omnium partium constans harmonia et concors conspiratio; ergo est unicus mundi rector. *Nam si plures mundo præessent*, ait Athanas. [1], *ordo ille servari non posset, sed omnia confusione et perturbatione plena essent, dum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, et adversus alium pugnaret.*

Diges : Deus est ens quo melius excogitari non potest; atqui melius est plures esse deos quam unum. Ergo.

Resp. *Nego min.* Illud enim non est melius, quod repugnat; atqui, etc.

Prob. min. Plura paucioribus sunt meliora; atqui plures dii sunt plura bona. Ergo.

Resp. *Nego min.* Deus enim est infinitum bonum, ergo omne bonum, juxta illud Exod. 33 : *Ostendam tibi omne bonum;* ergo non potest ejus bonitas augeri per alterius boni additionem.

DISSERTATIO II.

De natura, seu essentia Dei.

Nota 1. Essentia, seu natura Dei duplici modo considerari potest. 1. Prout est *in se a parte rei*, quo sensu est actus purissimus omnes omnino includens perfectiones, et cum illis identificatus : sic considerata natura Dei neque in terris, neque in cœlis potest perfecte et comprehensive cognosci, ut contra Eunomium ejusque discipulos suo loco demonstrabimus. 2. Potest considerari per quamdam analogiam et proportionem ad rerum creatarum essentias, quæ solent explicari per definitionem ex genere proximo et differentia specifica constantem. — Deus *primo modo* spectatus non potest definiri, cum non habeat genus

[1] *Contra gentes,*

et differentiam; genus enim est totum potentiale et perfectibile : at in Deo, qui est actus purissimus, nihil potest esse potentiale et perfectibile. Item differentia excludit genus a suo conceptu; at omnia ita imbibuntur in conceptu divinæ essentiæ ut nequidem per mentem sejungi possint; hinc D. Ambr. [1] ait : *Deus hic est, qui cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipsa sua definitione crescit.*—Deus *secundo modo* spectatus potest definiri, quia licet in Deo omnia sint unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio, nonnulla tamen sunt in eo, quæ per modum essentiæ spectantur, ut sunt genus, quorum creaturis convenit, et differentia, qua ab illis differt; alia per modum attributorum, seu proprietatum, quæ ex ipsa rei essentia, secundum nostrum concipiendi modum, sequuntur; hoc modo Deus in hac vita, imperfecte saltem et abstractive, potest cognosci, et quidem duplici via. 1. *Via negationis,* removendo a Deo quod in creaturis imperfectum est ac limitatum, v. gr., cum Deum immortalem, immutabilem, dicimus. 2. *Via affirmationis,* affirmando nimirum de Deo omnes, quæ enti creato insunt, perfectiones, ab omni labe potentiæ et limitationis defæcatas, v. gr., cum Deus concipitur justus, omnipotens, æternus, etc.

Nota 2. Circa genus Dei nulla est difficultas; nam *constat* 1. Deum non esse in aliquo genere proprie dicto, id est quod Deo univoce conveniat cum creaturis; nam si quod haberet, esset *ens*, sed *ens* non convenit univoce Deo et creaturis; nam *ens* seu *esse Dei* necessario est actu, et consequenter non potest concipi ut potens recipere actum existendi, sicut genus concipitur ut potens recipere suam differentiam; et contra *ens* seu *esse creaturæ* potest concipi ut non existens actu, quoniam potest concipi ut potens recipere actum existendi; ergo nihil est in Deo quod univoce ipsi conveniat et creaturis. *Constat* 2. Deum esse in

[1] L. *De fide contra Arianos.*

aliquo genere improprie dicto, id est quod analogice tantum conveniat Deo et creaturæ; illud autem genus est *ens* simpliciter, nam per *to ens* Deus convenit analogice cum omnibus creaturis.

Nota 3. Gravis est controversia inter Theologos circa differentiam Dei, et quæritur quænam, inter Dei perfectiones, sit differentia essentialis naturæ divinæ, seu quinam sit gradus constitutivus essentiæ divinæ ; circa quod

Nota 4. In gradu constitutivo essentiæ alicujus rei quatuor requiruntur conditiones : 1. Ut sit quid *proprium* illi soli rei quam constituit et a qualibet alia distinguit. 2. Ut sit quid *primum* in ipsa re, nec ab alio præsupposito derivatum. 3. Ut sit *fons* et *radix* aliarum proprietatum quæ in illa re reperiuntur. 4. Ut sit quid *adæquatum rei*, totumque id amplectatur quod est de conceptu rei quidditativo.

Nota 5. Circa præsentem quæstionem, quæ ad fidem minime pertinet, quatuor sunt potissimum opiniones.

Prima est *Thomistarum*, quorum alii pro gradu constitutivo essentiæ divinæ assignant ipsam intellectionem radicalem, seu facultatem intelligendi: alii communius intellectionem actualem, a qua tamen sententia aliqui, ut *Bonnez*, *Ledesma*, *Contensonius*, etc., recesserunt.

Secunda est *Nominalium*, quibus placet essentiam divinam constitui per collectionem omnium perfectionum in Deo.

Tertia est Scotistarum, qui eamdem collocant in infinitate radicali, hoc est, in exigentia omnium perfectionum.

Quarta est aliorum omnium Theologorum, qui docent essentiam Dei in aseitate, seu in omnimoda ab alio, et tanquam a causa, et tanquam a principio, et tanquam a radice, independentia, collocandam esse.

CONCLUSIO I.

Gradus essentiæ divinæ constitutivus non est intellectio.

Prob. Quia intellectio, sive sit radicalis, sive actualis,

non habet conditiones ad gradum essentiæ divinæ constitutivum requisitas. Nam 1. Neutra intellectio est *prima* perfectio in Deo, nam intellectio actualis supponit intellectionem radicalem seu facultatem intelligendi, sicut et intellectio radicalis supponit naturam ipsam, a qua fluunt. 2. Neutra intellectio est radix aliarum Dei perfectionum : quæ enim consequentia, *Deus est intelligens, ergo est infinitus, immutabilis*, etc.? Unde D. Chrysost. [1] ait : *Non autem sapientia, substantia est, sed ex substantia sapientia est.* 3. Intellectio non est conceptus Dei adæquatus, nec enim voluntatem nec volitionem complectitur, quæ tamen Deo æque essentialis est ac ipsa intellectio.

Objicies : Illud in Deo debet haberi tanquam ejus differentia essentialis, quod est omnium quæ sunt in Deo longe perfectissimum ; atqui talis est intellectio actualis. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quod est perfectissimum in genere naturæ, *conc.;* in genere facultatis, aut actus naturam ipsam constitutam supponentis, *nego maj.;* et sic ad min. Porro ut aliqua perfectio sit perfectissima in genere naturæ, requiritur ut sit prima, adæquata et radix aliarum Dei perfectionum : talis autem non est intellectio actualis. Ergo.

Inst. 1. Per illud constituitur formaliter natura divina, quod Verbum divinum præcise et ex vi processionis suæ recipit : atqui recipit præcise ipsum intelligere purissimum et actualissimum. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam Verbum divinum vi processionis suæ recipit totam Dei naturam ; porro intellectio actualis non est tota Dei natura.

Inst. 2. Verbum divinum vi processionis suæ recipit præcise id per quod dicitur et est Dei Filius ; atqui dicitur et est Dei Filius, quia vi processionis suæ recipit ipsum intelligere actualissimum. Ergo.

[1] Orat. 1, *De incompreh. Dei natura.*

Resp. *Nego min.* Nam Verbum divinum dicitur et est Dei Filius, quia producitur per intellectum, qui est facultas formaliter assimilativa, non vero quia recipit ipsum intelligere actualissimum, quod sit natura divina, ut videbitur in tractatu de SS. Trinitate.

CONCLUSIO II.

Gradus essentiæ divinæ constitutivus non est cumulus omnium Dei perfectionum.

Prob. Nam gradus ille debet esse specialis aliqua perfectio, quæ, nostro concipiendi modo, sit prima et radix cæterarum; atqui cumulus ille omnium Dei perfectionum non est specialis perfectio, ut per se patet; nec est prima, cum complectatur omnes perfectiones; nec est radix cæterarum, cum ultra illum cumulum non sit alia. Ergo, etc. Ex hoc patet quod sit aliquid in Deo ante perfectiones, ex quo illæ fluere concipiantur : quare non prædicantur *in quid*, ut loquuntur Logici, sed *in quale* tantum.

Objicies. Gradus divinæ essentiæ constitutivus in eo reponi debet quod est perfectius; atqui omnium perfectionum cumulus, quacunque speciali perfectione perfectior est. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Est perfectior quacumque speciali perfectione, quæ non contineret implicite alias omnes perfectiones, *conc.;* quæ alias omnes implicite continet, *nego min.* Porro omnimoda aseitas in suo conceptu importat saltem implicite et confuse omnes omnino perfectiones possibiles, quandoquidem ens a se nullos perfectionis limites habere potest.

CONCLUSIO III.

Infinitas radicalis non est formale constitutivum essentiæ divinæ.

Prob. Quia formale constitutivum essentiæ divinæ debet esse perfectio, quæ nobis de Deo cogitantibus *prima occurrit;* atqui infinitas radicalis non est talis, nam fluit ab asei-

tate : quærenti enim, *quare Deus sit infinitus?* seu *quare nullos in perfectione terminos agnoscat?* recte respondetur, *quia est a se.* Ergo.

OBJICIES. Infinitas radicalis est fons et radix omnium Dei attributorum; ideo enim Deus est immensus, æternus, omnipotens, quia est infinitus. Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Est fons et radix mediata et secundaria, *conc.;* primaria, *nego ant.:* infinitas enim fluit ultimate ab aseitate; ergo non est prima radix omnium perfectionum.

CONCLUSIO IV.

Dei differentia essentialis seu gradus constitutivus essentiæ divinæ, est aseitas seu existentia a se.

PROB. 1. Ea opinio est amplectenda, quæ, licet ad fidem non pertineat, magis tamen est ad mentem et modum loquendi Sacræ Scripturæ et SS. Patrum; atqui talis est nostra opinio. Ergo, etc.

Prob. min. Deus, [1] Moysi interroganti quis esset, respondit: *Ego sum qui sum; sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Ex quo sic arguo: Qui nomina imponunt rebus, intendunt per illa naturam rei exponere per differentiam propriissimam et essentiam : atqui Deus non aliunde nomen assumpsit quam *ab essendo;* ergo aseitas est differentia essentialis Dei, et ita SS. Patres intelligunt illa Exodi verba : namque

S. Hieron. [2] ait : *Una est Dei et sola natura, quæ vere est; id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est... Deus solus qui est æternus, qui exordium non habet, essentiæ nomen vere tenet: idcirco et ad Moysen de rubo loquitur:* Ego sum qui sum.

D. Aug. [3] ait : *Tanquam solus sit, dixit: Ego sum qui sum... ipsum esse se vocari respondit; et tanquam hoc esset ei nomen, hoc dices eis, inquit, qui est misit me.*

[1] Exod. 4. — [2] Epist. 57 ad Damasum, nunc. 14. — [3] In Psalm. 134.

D. Joan. Damasc. [1] : *Ex omnibus nominibus*, inquit, *quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur, atque, qui est, quemadmodum cum ipsemet Moysi in monte responderet, ait : Dic filiis Israel, qui est misit me. Nam totum esse velut immensum quoddam, ac nullis terminis definitum, essentiæ pelagus complexu suo ipse continet.*

Prob. 2 *ratione*. Gradus essentiæ divinæ constitutivus, 1. Debet esse *proprius* rei : 2. Debet esse *primus* in ipsa re : 3. Debet esse *radix* aliarum rei proprietatum : 4. Debet esse *adæquatus rei;* atqui aseitas quatuor illa complectitur. Ergo.

1. *Aseitas* est naturæ divinæ maxime *propria;* per eam enim differt, 1. A creaturis, quæ sunt essentialiter ab alio tanquam a causa : 2. Ab attributis divinis, quæ sunt ab essentia tanquam a radice : 3. A personis divinis, quæ sunt ab alio tanquam a principio. Ergo, etc. Hinc Div. Ambros. in Psalm. 43, exponens hæc verba Exodi : *Ego sum qui sum*, ait : *Rem expressit, non appellationem, dicens, ego sum qui sum; quia nihil tam proprium Dei, quam semper esse.*

2. *Aseitas* est *prima* perfectio, quæ nobis de Deo cogitantibus statim occurrit, cujus nulla ratio reddi potest : hinc D. Dionys. [2], ait : *Ex ipso esse, tanquam antiquiori aliis Dei bonis, ipse Deus celebratur.*

3. *Aseitas* est *fons et radix* cæterarum Dei perfectionum, juxta illud Div. Bernardi [3] : *Si bonum, si magnum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est.* Ratio est, quia qui est a se, a nullo limitatur; ergo habet omnes perfectiones possibiles.

4. *Aseitas* est *adæquata* Deo, quia continet formaliter aut virtualiter omnia quæ dicuntur quidditative de Dei natura, ut docet Div. Bernard. ibidem : *Hoc est ei esse, quod hæc omnia esse, et si certum talia addas, non recessisti ab esse.*

[1] Lib. 1, *De fide orthod.*, cap. 9. — [2] L. *De Divin. nominibus*, cap. 5. — [3] L. 5 *De Consid.*, cap. 6.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Gradus constitutivus divinæ essentiæ non potest esse negatio; atqui aseitas est pura negatio dependentiæ ab alio. Ergo.

RESP. *Dist. min.* Aseitas est pura negatio, ratione nominis, *conc.;* ratione rei per nomen significatæ, *nego min.* : nam licet aseitas explicetur per negationem, tamen in se et a parte rei, importat positivam plenitudinem omnis esse, ad quam sequitur negatio dependentiæ ab alio in existendo : licitum est autem Theologis terminis uti negativis, ad naturæ divinæ plenitudinem exprimendam, cum ex D. Aug. in Psal. 85 : *Facilius dicamus quid non sit Deus, quam quid sit.*

INST. 1. Gradus constitutivus essentiæ divinæ debet esse in Deo prima perfectio; atqui si aseitas dicat a parte rei positivam plenitudinem omnis esse, non est in Deo prima perfectio. Ergo.

Prob. min. Si aseitas dicat plenitudinem omnis esse, est omnis perfectio; ergo non est prima perfectio.

RESP. *Dist. ant.* Est omnis perfectio a parte rei, *conc.;* formaliter et secundum nostrum modum concipiendi, *nego ant.* Porro quando quærimus gradum essentiæ divinæ constitutivum, quærimus quænam sit perfectio, quæ nobis de Deo cogitantibus statim occurrit, et quæ concipitur ut prima radix, a qua cæteræ omnes promanant.

INST. 2. Illa perfectio non est constitutiva essentiæ divinæ, quæ est communis omnibus Dei attributis; atqui aseitas est communis omnibus Dei attributis. Ergo, etc.

RESP. *Nego min.* intellectam de aseitate, quatenus dicit omnimodam ab alio independentiam, excluditque tum causam efficientem tum fontem et radicem, tum principium seu originem; aliæ enim perfectiones fluunt ab ipsa aseitate tanquam a radice.

INST: 3. Ex responsione sequitur Filium et Spiritum Sanctum in divinis, non esse Deum; falsum conseq. Ergo, etc.

Prob. Seq. maj. Deus est essentialiter *a se*, aseitate omnimoda; atqui Filius et Spiritus Sanctus non sunt a se aseitate omnimoda; Filius enim est a Patre, et Spiritus Sanctus est a Patre et Filio. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Filius et Spiritus Sanctus non sunt a se aseitate omnimoda, ratione personalitatum, *conc.;* ratione essentiæ, *nego min.* Filius enim et Spiritus Sanctus sunt quid idem realiter cum essentia divina, ratione cujus ipsis competit aseitas omnimoda.

Inst. 4. Natura divina, quæ est in Filio, est a Patre tanquam a principio; ergo natura divina, quæ est in Filio, non habet omnimodam aseitatem.

Resp. *Dist. ant.* Est a Patre per communicationem, *conc.;* per veram productionem, *nego ant.* : in divinis enim sola persona producitur, sicut sola persona producit; natura nec producit nec producitur.

Inferes ex dictis, quod licet Deus proprie definiri non possit, cum non habeat genus proprie dictum, tamen potest describi, *ens a se,* nam in hac propositione tota Dei essentia stricte sumpta exprimitur : in Deo enim, eoque solo, idem est *esse* et *essentia.*

DISSERTATIO III.

De attributis seu perfectionibus Divinis generatim.

Nota 1. Attributum late vel stricte sumi potest; attributum *late* est id omne, quod de Deo, tanquam de subjecto, prædicatur : quo sensu omnia quæ ad Dei essentiam spectant, ut *ens, substantia, spiritus,* Dei attributa dicuntur, de quibus hic speciatim non agimus.

Attributum *stricte* est quælibet Dei perfectio, quæ ab es-

sentia divina, tanquam a radice, virtualiter profluere concipitur, et de Deo per modum proprietatis prædicatur.

Nota 2. Attributa stricte sumpta, alia sunt *absoluta*, alia *relativa*.

Attributa *absoluta* sunt perfectiones tribus personis communes : hæcque vel sunt *positiva*, quæ de Deo aliquam perfectionem affirmant, ut justitia, bonitas, etc., vel *negativa*, quæ a Deo aliquam imperfectionem removent, ut infinitas, incomprehensibilitas, etc. Alia dicuntur *respectiva* quia ad operationes referuntur, uti scientia, omnipotentia, providentia, etc.

Attributa *relativa* sunt perfectiones, quæ uni vel duobus tantum personis sunt propriæ, ut *paternitas*, *filiatio*, *spiratio activa et spiratio passiva*. De his ex professo agemus in tractatu de Trinitate : tamen inquirendo quomodo Deus perfectus sit, et quomodo attributa absolute inter se et ab essentia distinguantur, indicabimus quomodo attributa relativa ab eadem essentia sint distincta. Ideo.

CAPUT UNICUM.

DE DISTINCTIONE ATTRIBUTORUM ABSOLUTORUM A SE INVICEM, ET ATTRIBUTORUM TUM ABSOLUTORUM, TUM RELATIVORUM AB ESSENTIA DIVINA.

Nota 1. Distinctio in genere est *negatio identitatis;* ea quippe sunt distincta, quorum unum non est aliud; ea autem vel est realis, vel rationis.

Distinctio *realis* est *negatio identitatis in ipsa re*. Unde ea distinguuntur realiter, quæ non habent a parte rei eamdem entitatem, quæ ideo actu, et de facto, ante omnem mentis operationem, sunt distincta.

Distinctio *rationis* est *negatio identitatis in conceptu*, seu est diversitas conceptuum ejusdem rei, quæ ideo ante mentis operationem non distinguitur.

* Distinctio realis triplex est, *major* nempe, *minor* et *minima*, quæ etiam *formalis a parte rei* et *scotistica* dicitur. — Distinctio *realis major* est ea quæ intercedit inter duas res perfectas, v. gr. inter ea quæ vel a se invicem separantur, ut Petrus et Paulus, vel separari possunt, ut corpus et anima, vel relative opponuntur ratione productionis, ut in divinis Pater et Filius. — Distinctio *realis minor*, quæ *modalis* dicitur, est ea quæ intercedit inter rem et modum ejus, quorum primum potest esse sine alio, sed non vice versa; sic v. gr. inflexio digiti non potest esse sine digito, digitus tamen potest esse sine inflexione. — Distinctio *formalis ex natura rei* est quæ intercedit non quidem inter duas res, sed inter rem et ejus formas, aut inter ejusdem rei varias formas, *ex natura rei*, id est independenter ab operatione mentis diversas. *

* *Nota* 2. Theologi antiqui duplicem dicunt distinctionem *rationis*, aliam nempe *rationis ratiocinantis*, et aliam *rationis ratiocinatæ*. Prima est ea quæ fit per mentem, sine ullo in re fundamento, v. g., si quis Petrum a Cepha distinguat, hæc fit pro mentis libitu. Distinctio vero *rationis ratiocinatæ* est ea quæ fit per mentem cum aliquo in re fundamento, quia mens cum fundamento varias ejusdem rei virtutes distinguit; cum in ipsa re spectatur, *virtualis* nominatur, id est æquivalens distinctioni reali, eo quod res, licet una et simplex, pluribus realiter distinctis æquivaleat in ordine ad diversos effectus producendos, diversosque conceptus terminandos. At distinctio quæ fit sine fundamento prorsus vana dici potest.*

Nota 3. Circa hanc quæstionem duplex est error, et triplex scholæ opinio.

1us error est *Actii*, *Eunomii*, et cæterorum Arianorum, qui nullam, ne mentalem quidem, admittunt distinctionem inter essentiam divinam et illius attributa etiam relativa, proindeque ea omnia, juxta illos, sunt synonyma.

2us error est *Gualteri*, qui inter essentiam et attributa

admisit distinctionem realem majorem ; *Palamæ*, qui eamdem distinctionem admisit inter essentiam divinam et ejus operationes; *Abbatis Joachim*, qui eamdem admisit inter essentiam et personas divinas; et tandem *Socinianorum*, qui, ut facilius probent Spiritum Sanctum non esse Deum, contendunt attributa Dei ab essentia realiter distingui... Utrum hanc realem identicam distinctionem inter essentiam et attributa admiserit *Gilbertus Porretanus*, Episcopus Pictaviensis, vel an realem tantum formalem, quæ Scotistica dicitur, res est incerta; alii volunt eum admisisse realem identicam, alii realem tantum formalem.

Prima Scholæ opinio est *Nominalium* inter attributa et essentiam, solam distinctionem rationis ratiocinantis ponentium, in hoc solum ab Eunomii errore recedentes, quod asserant attributa relativa inter se realiter esse distincta.

2ª *opinio* est *Scotistarum*, qui inter attributa tum absoluta, tum relativa, et essentiam divinam, admittunt distinctionem realem formalem, qua unum ab alio differt, ratione formali, seu definitione, ante omnem mentis operationem.

3ª est *D. Thomæ*, et communis Theologorum, qui admittunt inter attributa, tum absoluta, tum relativa, et essentiam divinam, distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ virtualis sit a parte rei, et formalis per mentem. His positis sit

CONCLUSIO I.

Attributa divina absoluta, nec inter se, nec ab essentia divina, neque relativa ab eadem essentia distinguuntur distinctione reali actuali ante mentis operationem.

Prob. Argumento ex Scriptura. Conciliis et Patribus deducto... Illa nulla distinctione reali distinguuntur, quæ de se invicem in abstracto possunt prædicari : atqui ex Scripturis, Conciliis et Patribus, essentia divina de attributis, et attributa de se invicem possunt prædicari in abstracto. Ergo, etc.

Prob min. 1. Ex Script. Proverb. 8 : *Ego sapientia habito in consiliis.* Joann. 14 : *Ego sum via, veritas, et vita.* Ergo, etc.

Prob. min. 2. Ex Patribus. D. Greg. [1] dicente : *Deus hoc est, quod æternitatem habet, et ipse est æternitas,..... non est ergo in eo aliud esse et aliud habere.* Et D. August. [2] : *Eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia, et eadem bonitas, quæ sapientia et magnitudo, et eadem veritas, quæ illa omnia.*

Prob. min. 3. Ex Conciliis, Rhemensi sub Eugenio III, cui interfuit D. Bernardus : *Credimus,* inquit, art. 10, *et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, neque aliquo sensu catholico posse negari quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas.* Et art. 3. *Credimus nullas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, sive unitates dicantur, vel alia hujusmodi, adesse Deo, quæ sint ab æterno, et non sint Deus.* Et ex Conc. Later. IV contra abbatem Joachim : *Una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et inæstimabilis, divina essentia, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres simul personæ, et sigillatim quælibet earumdem, et ideo inde Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina.* Quod verum non esset, si personalitates ab essentia distinctione reali aut etiam formali ex natura rei distinguerentur : tunc enim, ut loquitur D. Bernard. [3] : *Non quaternitatem, sed centenitatem habebimus.* Ergo ex Script. Conciliis, et Patribus essentia de attributis, et attributa de se invicem prædicantur in abstracto.

Confirmatur, quia in Concil. Rhem. damnatus fuit Gilbertus, eo quod inter essentiam et attributa aliquam distinctionem admitteret a parte rei. Ergo, etc.

OBJECTIONES GUALTERI ET PALAMÆ.

Objicies 1. Multi Ecclesiæ Doctores affirmant idem non esse naturam et personam in Deo; sic D. Basil. [4] ait : *Quo-*

[1] Lib. 10, *Moral.*, c. 20. — [2] Lib. 6 *de Trinit.*, c. 6. — [3] Lib. 5 ad Eugen., c. 7. — [4] Lib. 1 *Contra Eunomium.*

modo ridiculum non est creandi facultatem, substantiam esse dicere, aut etiam providentiam, aut præscientiam rursus substantiam esse, putare? et Divus Augustinus : [1] *Deo Patri*, inquit, *aliud esse quod Deus sit, aliud quod Pater sit, quia Deus dicitur ad se, Pater ad alium;* ergo distinguuntur realiter.

Resp. *Nego conseq.* Ad explicanda enim omnia PP. dicta, quæ in speciem nobis adversari videntur, sufficit distinctio virtualis; iidem profecto Doctores alibi omnem realem distinctionem apertissime excludunt; itaque ne secum turpiter pugnare videantur, benigne exponendi sunt ex statu controversiæ, quæ illis erat cum hæreticis sui temporis, ut nullam in Deo distinctionem, præter virtualem, agnoscant.

Inst. D. Chrysost. [2], in hæc verba Joann.: *Domine ostende nobis Patrem*, ait : *Videamus quidnam Philippus intueri velit? an sapientiam Patris, an vero bonitatem? minime, sed hoc ipsum quid sit Pater, ipsam, inquam, substantiam.* Ergo aperte distinguit attributa ab essentia.

Resp. *Dist. conseq.* Distinguit essentiam intuitive videndam ab attributis, bonitate et sapientia, quatenus in creaturis relucent, *conc.*; ut sunt in se, *nego*. Itaque D. Chrysostom. essentiam et attributa non spectat, ut sunt in se, sed pro vario, quo a nobis cerni possunt, modo, docetque Philippum non postulasse ut bonitatem et sapientiam Patris conspiceret, quatenus in operibus manifestantur et videri possunt; sed eo usque assurrexisse, ut ipsam Patris essentiam intuitive contemplari voluerit.

Objicies 2. D. Dionys. de divinis nominibus caput secundum inscripsit, *de unita et distincta Theologia, quænam est divina unio et distinctio*. Atqui nomine *unitæ Theologiæ* D. Dionys. non aliud intelligit, quam essentiam divinam, quæ est unica; nomine vero *distinctæ Theologiæ*, non aliud,

[1] Lib. 7 *de Trinit.*, cap. 4. — [2] Homil. 37.

quam operationes et attributa Dei; ergo censuit ea distingui realiter ab essentia.

Resp. *Nego min.* Nam nomine *unitæ Theologiæ* D. Dionysius intellexit omnia quæ absolute Deo tribuuntur, ut sunt bonitas, sapientia, et alia attributa. Nomine vero *distinctæ Theologiæ* intellexit divinas personas, quæ, ut fides docet, distinguuntur realiter a se invicem; hoc ex ipso contextu liquet.

Inst. Palamitarum dogma in quatuor synodis fuit probatum, ut ex historiis fide dignis refert Petavius, *l.* 1. *de Deo c.* 12.; ergo non potest rejici.

Resp. *Dist. ant.* In quatuor synodis Schismaticorum, *conc.*; Catholicorum, *nego.* Græci enim, post Schisma, in varias hæreses prolapsi sunt, atque insana Gregorii Palamæ, Episcopi Thessalonicensis, commenta amplexi sunt; quid mirum! cum Schisma sit omnium mater hæresum.

CONCLUSIO II.

Attributa absoluta inter se et ab essentia, item attributa relativa ab eadem essentia, distinguuntur distinctione rationis, saltem imperfecte.

Prob. prima pars. I. *Ex Scriptura,* quæ Deo, licet simplicissimo, multas proprietates, nempe bonitatem, sapientiam, etc., tribuit; atqui ubi est multitudo, ibi est distinctio, alias omnes illæ voces essent synonymæ, *ut evenit cum Simonem, et Petrum, et Cepham, eumdem hominem dicimus,* ait D. Basil.[1] quod ut *ridiculum* suggillat; ergo attributa divina inter se, et ab essentia vere distinguuntur; atqui non distinguuntur realiter, nec formaliter ex natura rei; ergo restat ut distinguantur distinctione rationis ratiocinatæ, hoc est virtualiter ex natura rei, et actualiter per mentis operationem.

Prob. 2. *Ratione.* Ea distinguuntur ratione quæ per men-

[1] L. 2 *Contra Eunomium.*

tem distinguuntur cum fundamento in re; atqui essentia divina ab attributis, et attributa a se invicem distinguuntur per mentem cum fundamento in re. Ergo.

Prob. min. Ea distinguuntur per mentem cum fundamento in re, quæ sunt virtualiter multiplicia; atqui essentia et attributa divina sunt virtualiter multiplicia. Ergo. *Prob. min.* Ea sunt virtualiter multiplicia, quæ æquivalent diversis perfectionibus, quæ actu in creatis distinguuntur; atqui tum essentia, tum attributa, sunt hujusmodi. Ergo, etc. *Hinc* patet fundamentum istius distinctionis esse, tum Dei excellentiam, qua infinitis extra se distinctis æquivalet, tum mentis humanæ tenuitatem, quæ, cum immensum illud perfectionum pelagus uno actu metiri non possit, unam ab altera, saltem imperfecte, abstractam, apprehendit, ut recte exponit *Gregorius Nyssenus* contra Eunomium.

PROB. SECUNDA PARS. Dixi *saltem imperfecte*, nam attributa divina, nec ab essentia, nec a se invicem, ita perfecte præscindi possunt, quin sese mutuo implicite saltem et confuse includere intelligantur. Ergo, etc. Etenim quodlibet attributum, quantumcunque ab alio distinctum concipiatur, semper tamen debet concipi ut actus purus et simpliciter infinitus, quin concipiatur ut includens actu, saltem implicite, omnem perfectionem simpliciter simplicem. Ergo.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. *cum Eunomio.* Ens simplicissimum omnem a se amovet distinctionem; atqui Deus est ens simplicissimum. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Amovet a se omnem distinctionem a parte rei, et in se, *conc.;* formalem in mente, *nego maj.;* et sic ad consequens. Ratio est, quia distinctio per mentem nihil ponit in re, ergo non officit simplicitati rei.

INST. 1. Atqui distinctio per mentem officit summæ Dei simplicitati. Ergo.

Prob. Compositio, etiam rationis, officit summæ Dei

simplicitati; atqui distinctio rationis importat compositionem rationis in Deo. Ergo.

Prob. min. Compositio est distinctorum unio, qualicunque modo distincta sint, sive actu, sive per mentem tantum; atqui si essentia Dei et attributa distinguantur per mentem, erit in Deo unio distinctorum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Compositio est unio distinctorum, sese invicem excludentium, *conc.;* sese invicem includentium, *nego maj.:* atqui si, etc., erit in Deo unio distinctorum sese invicem includentium, *conc.;* excludentium, *nego min.* Quamvis enim mens attributa sine essentia concipiat, eam tamen non excludit ab eis, sed ab illa tantummodo abstrahit, per diversos conceptus rem attingendo sub diversis notionibus.

Inst. 2. Diversa a parte rei objecta sese invicem excludunt; atqui si mens distinguat essentiam ab attributis, essentia et attributa erunt diversa a parte rei objecta. Ergo, etc. *Resp. Nego min.*

Prob. min. Varii conceptus formales, varios conceptus objectivos (id est varias in Deo rationes objectivas) supponunt; ergo si adsint diversi conceptus per mentem, erunt a parte rei diversa objecta.

Resp. *Dist. maj.* Supponunt varios conceptus objectivos, adæquatos vel inadæquatos, *conc.;* adæquatos semper, *nego maj.:* conceptus adæquatus comprehendit totam rem, inadæquatus vero comprehendit rem sub uno tantum respectu; potest autem esse conceptus formalis de una et eadem re sub aliquo tantum respectu considerata, v. g., entitas divina sub conceptu justitiæ, non sub conceptu misericordiæ.

Inst. 3. Conceptus objectivus rei inadæquatus est falsus; ergo conceptus objectivus, respondens conceptui formali, est semper adæquatus.

Resp. *Dist. ant.* Conceptus objectivus rei inadæquatus, qui fit per judicium, est falsus, *conc.;* qui fit per simplicem ap-

prehensionem abstractivam, *nego ant.* Equidem si inter distinguendum accederet judicium affirmans essentiam divinam esse in re distinctam ab attributis, conceptus esset falsus; verum conceptus inadæquatus fit tantum per simplicem abstractionem, qua unum sine alio concipitur, nihil affirmando vel negando : *abstrahentium* autem *non est mendacium,* ut fert vulgare adagium.

Inst. 4. Falsa est apprehensio quæ non est conformis objecto suo; atqui apprehensio justitiæ abstrahens a misericordia non est conformis objecto suo, quia justitia in Deo est misericordia; ergo nequidem per præcisionem unum attributum potest apprehendi sine alio.

Resp. *Nego min.* Hæc enim apprehensio est conformis objecto suo inadæquato, hoc est objecto secundum eam rationem, quæ menti objicitur, spectato; nec enim, ut justitiæ divinæ apprehensio conformis sit objecto suo, necesse est ut explicite et adæquate repræsentet quidquid cum justitia realiter et formaliter est unum, sed sufficit quod justitiam apprehendat præcise ut est justitia.

Objicies 2. In Concil. Rhemensi contra Gilbertum hæc habentur : *In Theologia inter essentiam et personam ratio non distinguat:* ergo nulla prorsus distinctio, nequidem rationis, admittenda est inter essentiam et attributa.

Resp. *Dist. ant.* Inter essentiam et attributa, sive relativa sive absoluta, ratio theologica non debet distinguere, *conc.;* ratio mathematica, *nego ant.* Porro Gilbertus distinguebat duplicem rationem, unam *mathematicam,* quæ per mentem præscindit et distinguit ea quæ non sunt in re distincta, hancque non sufficere docebat Gilbertus; aliam *theologicam,* quæ distinguebat ea solum quæ etiam in re distincta sunt, hancque inter essentiam et personam admittebat; ut ergo Concilium hunc errorem proscriberet, et hanc *rationis theologicæ* distinctionem excluderet, statuit ne ratio theologica inter naturam et personas distingueret.

Objicies 3. *cum Nominalibus :* nullum est fundamentum

reale distinguendi mentaliter aut essentiam ab attributis aut attributa a se invicem; ergo inter ea debet admitti sola distinctio rationis ratiocinantis.

Resp. *Nego ant.* Nam illud fundamentum est summa et infinita Dei perfectio, quam mens, propter sui tenuitatem, uno conceptu exhaurire non potest.

Prob. ant. Non est fundamentum reale distinguendi per mentem ea quæ sese realiter includunt; atqui essentia et attributa realiter sese includunt. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Si non sint virtualiter multiplicia, *conc.;* si sint virtualiter multiplicia, *nego maj.:* àtqui essentia et attributa sunt virtualiter multiplicia, proindeque præbent intellectui fundamentum ut sine se invicem concipiantur.

Inst. Quæ de se invicem prædicantur, non distinguuntur per mentem cum fundamento in re; atqui essentia et attributa de se invicem prædicantur, vere enim dicitur: *essentia est bonitas; bonitas est essentia.* Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quæ de se invicem prædicantur in sensu formali, non distinguuntur per mentem cum fundamento in re, *conc.;* in sensu reali tantum, *nego maj.:* atqui essentia et attributa de se invicem prædicantur, in sensu reali, *conc.;* in sensu formali, *nego:* unde falsa est hæc prop.: *Essentia, prout essentia, est bonitas.* Ratio est, quia in hac, propria distinctio virtualis essentiæ a bonitate jam formaliter exercetur, et reduplicatur super proprium et explicitum conceptum, huncque reddit sensum: *Essentia, prout virtualiter distincta a bonitate, est ipsamet bonitas,* quod falsum est.

Quæres 1. *An et quomodo attributa, sive absoluta, sive relativa essentiam, et hæc vicissim attributa in suo conceptu essentiali includant?*

Resp. *Sese mutuo includunt in sensu identico, non autem in sensu formali, saltem explicite.*

Prob. 1ª pars. Ea dicuntur sese in suo conceptu essentiali includere in sensu identico, quæ inter se nulla distinctione reali distinguuntur, suntque una simplicissima

entitas; atqui ex probatis, essentia et attributa sunt una simplicissima entitas, quæ nullam distinctionem admittit a parte rei; ergo, etc. Hinc D. August. [1] ait : *Singula sunt in singulis, singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia.*

PROB. 2ª PARS. Illa dicuntur sese in suo conceptu formali includere explicite, quorum unum est de conceptu virtuali et formali alterius; atqui attributa non sunt de conceptu virtuali et formali abstractivo essentiæ, nec vice versa. Ergo.

DICES 1. Deus est ens simplicissimum; ergo quidquid est, ad ejus essentiam pertinet.

RESP. *Dist. ant.* Est ens simplicissimum, re, *conc.;* virtute, *nego.* Est enim virtualiter multiplex. Unde *nego conseq.* Nam hic agimus de essentia et attributis in sensu virtuali et formali rationis.

DICES 2. Essentia divina est simpliciter infinita : ergo omnia quæ Dei sunt includit.

RESP. *Dist. conseq.* Includit in sensu reali, *conc.;* in sensu formali, *subdist.* implicite, modo supra explicato, *conc.;* explicite, *nego conseq.* Ratio est, quia sicut in sensu formali rationis distinguuntur, ita nec se invicem in eodem sensu includunt explicite.

QUÆRES. 2. *An et quomodo essentia de attributis, et attributa de se invicem ac de essentia prædicentur?*

RESP. 1. Attributa et essentia divina in concreto de se invicem prædicantur; sic dicitur : *Deus est justus; justus est Deus, misericors est justus,* etc. Ratio est, quia ut concreta de se invicem prædicentur, sufficit ut habeant commune subjectum; atqui essentiæ et attributorum unum est commune subjectum aut quasi subjectum. Ergo.

RESP. 2. In Deo concreta de abstractis, abstracta de concretis, et abstracta de abstractis, de se invicem prædicantur in sensu reali; sic recte dicitur : *Deus est justitia; deitas*

[1] L. 6. de Trinitate c. 10.

est justa; justitia est misericordia. Ratio est, quia quæ sunt unum et idem in sensu reali actuali, de se invicem in eodem sensu prædicari possunt; atqui attributa sive cum essentia, sive secum invicem comparata, sunt quid prorsus idem in omni sensu reali actuali, ut ostendimus contra Gualterum et Gilbertum Porrhetanum. Ergo.

Resp. 3. In Deo, abstracta de abstractis non possunt de se invicem prædicari in sensu formali per mentem; sic non potest dici in hoc sensu: *Deitas est sapientia, justitia est misericordia.* Hæ enim propositiones, licet veræ in sensu identico, sunt falsæ in sensu formali. *Ratio est,* quia distincta, ut distincta, de se invicem non dicuntur; atqui abstracta secundum sensum formalem sunt distincta et ut distincta considerantur; alius enim est conceptus misericordiæ, alius justitiæ. Ergo.

Hinc ad vitandam equivocationem, ordinarie non expedit dicere: *justitia est misericordia;* sed dicendum: *justitia est idem ens realiter cum misericordia.* Multo minus dici debet: *in Deo intellectus vult,* aut, *voluntas intelligit;* quia illæ propositiones, in quibus agitur de actibus vitalibus, semper sumuntur in sensu formali.

DISSERTATIO IV.

De attributis speciatim.

Nota. Ut cum ordine procedamus, hancce dissertationem in tria capita distribuemus. In 1° agemus de attributis Dei negativis, quæ aliquam a Deo imperfectionem removent. In 2° de attributis positivis, quæ aliquam perfectionem Deo tribuunt. In 3° de attributis positivis, quæ Deo, in ordine ad creaturas spectato, tribuuntur.

CAPUT I.

DE ATTRIBUTIS DEI NEGATIVIS.

Nota. Attributa Dei negativa sex numerantur, simplicitas nimirum, infinitas, immutabilitas, incomprehensibilitas, ineffabilitas et invisibilitas, de quibus sigillatim agemus.

QUÆSTIO I.

DE SIMPLICITATE DEI.

Nota 1. Simplicitas formaliter sumpta nihil aliud est, quam *negatio compositionis*. Dixi *formaliter*, quia fundamentaliter est ipsa Dei entitas, quæ, cum sit actus purus, omnem potentiam ac proinde compositionem omnem excludit. Porro duplex vulgo distinguitur compositio, *realis* nimirum et *rationis*.

Compositio *realis* est plurium partium realiter distinctarum unio. Si sit unio partium physicarum, dicitur compositio *physica*; si sit partium metaphysicarum, dicitur *metaphysica*.

Compositio *rationis*, quæ etiam *logica* dicitur, est plurium partium sola ratione distinctarum unio.

Nota 2. Simplicitatem Dei impugnarunt 1° Gentiles, qui muta simulacra colebant; 2° Antropomorphitæ, qui Deum revera corporeum dixerunt, quorum placitis adhæsisse *Audium* nonnullis visum est; 3° * Qui *realem* somniarunt distinctionem inter divinam essentiam et attributa, ut dictum est supra; 4° Spinosa, qui in sua *Ethica* omnia Deum esse asserit et pantheismum geometrica methodo exponere ac probare contendit, at nihil astruit nisi materiam æternam, improductam et immensam, quam Deum vocat. Ipsum secuti sunt omnes hodierni pantheistæ et nuper Judæus Salvador. Crassissimus ille pantheismus ad triplicem formam revocari posse videtur: scilicet ad formam 1° *emanasticam*, qua mundus consideratur uti generatio aut revolutio

substantiæ divinæ, quæ effunditur, quin multiplicetur. 2° Ad formam *idealisticam*, qua negatur realitas phænomenorum, ut constituatur unica realitas, unica substantia absoluta. 3° Ad formam *realisticam*, quæ mediam tenet viam, nam admittit quamdam realitatem phænomenorum et illa phænomena spectat tanquam sola attributa ac modos immanantes aut creatos substantiæ infinitæ. Patet igitur omnia pantheismi systemata omnem suam habere originem in eo, quod confundatur idea substantiæ absolutæ cum idea substantiæ relativæ et finitæ seu contingentis. Ad evertendum igitur hæc systemata, satis esset duplicem ejusmodi substantiarum existentiam probare, quod maxime effectum est ubi de existentia Dei, et hic efficitur removendo ab eo quidquid ideam implicat multiplicationis et compositionis. Ergo.*

CONCLUSIO I.

Deus omnem a se excludit compositionem realem physicam.
Est de fide.

Prob. 1. *Ex Patribus.* S. Cyrill. [1] *Deus simplex*, inquit, *neque compositus est omnino.* Div. Ambros. [2] ait : *Deus naturæ simplicis est, non conjunctæ atque compositæ. cui nihil accedat.* Unde in Concilio Lateran. III definitum est : *In Deo sunt tres quidem personæ, sed una natura simplex omnino.*

Prob. 2. *Ratione.* Compositio realis physica fit : vel ex materia et forma ; sic in homine est compositio ex corpore et anima : vel ex subjecto et accidente ; sic in homine justo est compositio ex persona hominis et justitia : atqui nulla ex istis compositionibus reperitur in Deo. Ergo.

Prob. min. per partes.

1. *Deus non est compositus ex materia et forma.* Quia substantia mere spiritualis non componitur ex materia et forma, per hoc enim differt spiritus a corpore ; atqui Deus est

[1] Dialogo 1 *De Trinit.* — [2] Lib. 1, *De fide*, cap. 7.

substantia mere spiritualis. Ergo, etc. *Prob min.* Joann. 4: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum,* non modo carnali quasi corpus esset, sed *in spiritu et veritate oportet adorare:* ex quibus verbis Theodoret.[1] ait: *Si autem Deus spiritus est, simplex igitur, incompositus, et figuram non recipiens.*

Confirm. Quia Deus est immensus; atqui quod est immensum non est corpus, alioquin repleret omnia loca, a quibus excluderet omnia alia corpora. Ergo, etc.

2. *Deus non est compositus ex subjecto et qualitate accidentali.* Nam ex D. August.[2]: *Accidens non solet dici, nisi quod aliqua mutatione ejus rei, cui accidit, amitti potest.* Atqui Deus est perfecte immutabilis; ergo in Deo nullum potest concipi accidens.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. In Deo est compositio; ergo non est simplex.

Prob. ant. Deo tribuendum est quod præstantius est; atqui compositio præstantior est simplicitate, nam *bonum additum bono facit melius.* Ergo.

RESP. *Nego min.* Compositio præstantior est simplicitate, in entibus limitatæ perfectionis, *conc.;* in ente infinito, *nego min.* Cum enim Deus, propter suam infinitatem, omnes omnino perfectiones sibi identificet, hinc fit, ut quo strictior est illius divina simplicitas, eo præstantior sit illius divina perfectio.

OBJICIES 2. *cum Antropomorphitis.* Homo factus est ad imaginem et similitudinem Dei[3]; atqui homo constat corpore et anima; ergo et Deus, cui similis factus est.

RESP. *Dist. maj.* Homo factus est ad imaginem Dei, ratione vel animæ solius, vel dominii quod recepit in cæteras creaturas, *conc.;* ratione corporis, *nego maj.* Itaque non una est de hac hominis cum Deo similitudine Patrum opinio; alii censent eam sitam esse in hominis anima, quæ quidem

[1] Q. 20 in Genes. — [2] Lib. 5 *De Trinit.*, cap. 4. — [3] *Genes* 1.

in eo similis est Deo, quod sicut in eo sunt tres personæ, sic in anima sunt tres facultates, intellectus scilicet, voluntas et memoria. Ita S. Ambr. [1].

Alii docent Dei imaginem in homine esse ratione dominii, quod in cæteras creaturas a Deo recepit, eo quod post hæc Geneseos verba : *Faciamus hominem ad imaginem, etc.*, Deus immediate addiderit : *Ut præsit piscibus maris et volatilibus cœli.* Ita Div. Chrysost. [2].

Inst. 1. Quod est extensum in longum, latum et profundum est corpus; atqui Deus est talis. Ergo.

Prob. min. ex Job. 11. Deus dicitur *excelsior cœlo, longior terra, profundior abysso, latior mari.* Ergo.

Resp. *Nego min.* Probationem *dist.* Deus est excelsior cœlo, etc., metaphorice, *conc.;* proprie, *nego.* Itaque Scriptura de Deo interdum modo humano loquitur, ut sese nostro cogitandi et loquendi modo accommodet; et sic per sensum metaphoricum excellentiam Dei exponit, v. g., in textu allato, per *altitudinem* Dei intelligitur ejus divinitas; per *profunditatem,* ejus incomprehensibilitas; per *longitudinem,* æternitas, et per *altitudinem,* immensitas.

Inst. 2. Scriptura, variis in locis, membra humana Deo tribuit, nimirum aures, nares, oculos, etc. Ergo Deus ex ipsis est physice compositus.

Resp. *Dist. ant.* Tribuit in sensu improprio et metaphorico, *conc.;* in sensu proprio, *nego ant.* Itaque Scriptura per *brachia* intelligit Dei omnipotentiam; per *aures,* benignitatem; per *oculos,* scientiam, etc. Per istas ergo locutiones, rudiori nostro intelligendi modo accommodatas, designantur variæ Dei perfectiones quamdam cum facultatibus corporeis analogiam habentes.

Inst. 3. In Deo sunt affectiones corporeæ, v. gr., pœnitentia, ira, etc. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* In Deo sunt pœnitentia, ira, etc.; impro-

[1] L. *De Dignitate hom.*, cap. 2. — [2] Hom. 8 in Genesim.

prie et quoad effectum, *conc.;* proprie et quoad affectum, *nego ant.* Itaque, neque pœnitentia, neque ira, sunt in Deo quoad affectum et interiorem animi motum, nam [1] de Deo dicitur : *Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Et Malachiæ 3 : *Ego Dominus, et non mutor ;* mutaretur tamen si de non pœnitente pœnitens, et de non irato fieret iratus ; pœnitentia ergo et ira sunt in Deo quoad effectum tantum, quia idem facit Deus erga creaturam quæ eum offendit, quod agere solent homines cum malefactores puniunt, et opera sua destruunt, quæ fecisse illos pœnitet.

Objicies 3. In Deo est forma informans ; ergo et corpus. *Prob. ant.* Anima est forma informans ; atqui in Deo est anima [2] : *Justus... si substraxerit se, non placebit animæ meæ.* Ergo.

Resp. *Nego ant.* Ad prob. *Dist. maj.* Anima proprie dicta est forma informans, *conc.;* improprie dicta, *nego maj.* Porro anima in textu allato sumitur improprie, nimirum pro voluntate.

Objicies 4. Deus est compositus ex subjecto et accidente. Ergo, etc. *Prob. ant.* A creatione mundi, multa de novo advenerunt Deo, quibus antea carebat, v. g., tituli Creatoris, Domini, Judicis, etc. *Ex quo esse cœperunt in quæ potestas Domini ageret,* ait Tertull. [3], *ex illo per accessionem potestatis et factus, et dictus est Dominus.* Ergo in Deo sunt accidentia.

Resp. *Dist. ant.* Multa de novo advenerunt Deo denominative et objective, per meram connotationem ad creaturas, *conc.;* intrinsece et subjective, per ordinem ad divinam virtutem, *nego ant.* Licet enim Deus ab æterno non habuerit denominationem *Domini, Judicis, Creatoris,* quia ab æterno nullæ erant creaturæ, in quas potestatem Domini, Creatoris, etc., exerceret; tamen ab æterno habet virtutem creandi, regendi, etc., quæ Deo non advenit, cum sit ipsi essentialis ; hocque sensu esse explicat *ibidem* Tertullianus.

[1] I Reg. 15. — [2] Hebr. 10. — [3] Contra Hermog., lib. 2, cap. 3.

Unde patet totam mutationem cadere in res creatas, quæ ab uno statu transeunt ad alium.

Inst. 1. Athenagoras [1] de bonitate Dei ait: *Secundum accidens inest sibi tanquam color in corpore, sine quo non est.* Atqui color adhæret corpori tanquam verum accidens. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Bonitas secundum accidens inest Deo, juxta nostrum concipiendi modum, *conc.;* reipsa, *nego.* Ita sensit Athenagoras, qui alioquin sibi contradiceret, cum, in eadem oratione apologetica, ait *Deum esse ingenitum, impassibilem et immutabilem;* atqui Deus non esset impassibilis et immutabilis, si in se admitteret accidentia. Ergo.

Inst. 2. D. Aug. [2] docet non omnia quæ de Deo dicuntur, secundum substantiam dici; ergo aliqua dicuntur de eo secundum accidens.

Resp. *Nego conseq.* Nam D. Aug. non opponit substantiam accidenti, sed relationi, asserendo non cuncta, quæ de Deo dicuntur, absolute dici, sed aliqua relative. *In Deo,* inquit, *nihil secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur: dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens... non secundum substantiam hæc dicuntur.*

CONCLUSIO II.

Deus omnem a se excludit compositionem realem metaphysicam.

Prob. Compositio realis metaphysica fit vel ex essentia et existentia; vel ex essentia et personalitate: atqui nulla ex istis compositionibus reperitur in Deo. Ergo, etc.

Prob. min. per partes.

1. *Deus non est compositus ex essentia et existentia,* quia omnis compositio fit ex rebus distinctis; atqui existentia Dei est ipsamet essentia, a qua nequidem per mentem sejungi

[1] Orat. pro Christianis. — [2] Lib. 5, *De Trinit.*, cap. 4 et 5.

potest; nam Deus est *ens a se*; atqui *ens a se* includit existentiam in suo conceptu. Ergo.

2. *Deus non est compositus ex natura et personalitate*, quia, ut diximus, compositio fit ex rebus distinctis; atqui natura divina et personalitas non distinguuntur neque realiter, neque formaliter ex natura rei, nam *personarum proprietates*, ait Div. Bernard.[1], *non aliud quam personas, ipsasque non aliud quam unum Deum, unam divinam substantiam... fides catholica confitetur*.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Deus est compositus ex essentia et existentia. Ergo, etc. *Prob ant.* Essentia Dei distinguitur ab existentia per mentem cum fundamento in re; ergo ex illis Deus est compositus.

RESP. *Nego ant.*

Probatur. Essentia ab attributis distinguitur per mentem cum fundamento in re; ergo et ab existentia.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est quod essentia, licet sit quid idem realiter et actu cum attributis, virtualiter tamen ab eis distinguitur, proindeque præbet intellectui fundamentum, ut possit sine illis concipi. At cum existentia sit de conceptu essentiali Dei, non distinguitur virtualiter ab essentia, ac proinde si intellectus illam distingueret, sine ullo vel levissimo fundamento distingueret.

OBJICIES 2. Tres divinæ personæ faciunt compositionem realiter; ergo Deus est realiter compositus ex natura et personalitatibus.

RESP. *Nego ant.* Nam personæ divinæ conferri possunt vel cum essentia vel inter se : *si primum*, jam sunt una simplex entitas, non plura unita; *si secundum*, jam sunt plura, sed non unita, cum, sic spectatæ, sibi mutuo relative opponantur, ad veram tamen compositionem requiritur unio distinctorum.

[1] Lib. 5 *De Consid.*, *ad Eugenium*, cap. 8.

Prob. ant. Ex D. Greg, Nazianz. [1] dicente : *Trinitatem adorari in unitate, cujus admirabilis et divisio sit et unio*. Ergo inter essentiam et personalitates est unio.

Resp. *Dist. conseq.* Est unio, sumpta pro unitate essentiali, *conc.;* pro distinctorum unione, *nego conseq.* Itaque D. Gregor. Nazianz., sicut et alii sancti Patres, per unionem intelligunt duntaxat perfectam unitatem essentialem, ut probent divinitatem communicari tribus personis sine ulla sui divisione aut diversitate : unde Arianis crebro exprobrabant quod, ipsius divinitatis divisione, pluralitatem deorum inducerent.

Inst. Quod constat ex aliquo communi et aliquo proprio, vere compositum est : atqui in personis divinis natura est communis, personalitas est propria. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Si illud commune et proprium inter se distinguantur, *conc.;* secus, *nego*. Porro natura divina a personis divinis non distinguitur, ut supra fuit probatum.

CONCLUSIO III.

Deus est ita simplex, ut omnem compositionem logicam ex genere et differentia excludat. Est contra Gabriel. Biel., Greg. Ariminensem, Witasse, etc.

Prob. 1. *Ex SS. Patribus*, qui, conceptis verbis, compositionem ex genere et differentia a Deo excludunt. *Alienum est a ratione*, inquit Cyril. Alex. [2], *genus in Deo ullum nominare*. Et [3]: *Videmus id omne, quod differentiam recipit, esse compositum, non simplex ; quare, cum simplex minimeque compositus Deus omnium confessione sit, non potest ingenitum esse illius differentia*. Et Evagrius [4] definiri Deum vetat : *Quia*, inquit, *quæ definiuntur composita sunt*.

Prob. 2. *Ratione*. In omni composito ex genere et differentia, genus se habet ut potentia perfectibilis et actuabilis

[1] Orat. 23. — [2] Dialogo 2, *de Trinit.* — [3] Lib. 3, *Thesauri contra Anomæos*. — [4] Apud Socr., lib. 3, c. 7.

a sua differentia; atqui in Deo, ente purissimo et actualissimo, nihil est per modum potentiæ; ergo Deus non est compositus ex genere et differentia.

OBJECTIONES.

OBJICIES. Si quid obesset quominus Deo inesset compositio ex genere et differentia, maxime quod imperfecti quidpiam argueret in Deo; atqui falsum conseq. Ergo.

Prob. min. Compositio, quæ est in sola mente, nihil imperfecti arguit in Deo : atqui compositio ex genere et differentia est in sola mente. Ergo.

RESP. *Nego maj.* Nam omnis compositio arguit aliquid in Deo, quod se habeat per modum potentiæ : atqui omnis potentialitas repugnat enti perfectissimo. Ergo.

INST. 1. Illa potentialitas est pure mentalis : atqui potentialitas pure mentalis non repugnat Deo, cum nihil ponat in ipso. Ergo.

RESP. *Nego min.* Nam illa prætensa potentialitas vel nullum haberet in Deo fundamentum, vel haberet: *si primum*, frustra mens illam fingeret; *si secundum*, ergo in ipsa Dei natura esset potentialitas saltem mentalis; atqui hujusmodi potentialitas actui purissimo repugnat : efficit enim ut aliud ens purius excogitari possit, illud nimirum in quo non esset talis potentialitas. Ergo.

INST. 2. Distinctio fundamentalis non officit Dei simplicitati; ergo nec compositio fundamentalis.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est quod distinctio fundamentalis nullam importet imperfectionem, cum nihil aliud arguat, quam summam Dei eminentiam ex una parte, et ex altera tenuitatem mentis humanæ, quæ omnia, quæ Dei sunt, unico conceptu attingere non potest. Econtra compositio fundamentalis dicit actum et potentiam, quæ magna est imperfectio, puritati Dei maxime nociva.

INST. 3. Ratio prioritatis et posterioritatis virtualis non officit Dei æternitati, cum una persona sit prior alia; ergo nec compositio rationis officit Dei simplicitati.

Resp. *Dist. ant.* Ratio prioritatis et posterioritatis originis, *conc ;* durationis, *nego ant. et conseq.* Porro nulla est in Deo prioritas durationis, cum ex symbolo Athanasio, *in Trinitate nihil sit prius aut posterius;* sed est tantum prioritas et posterioritas secundum processionis originem, quæ non officit æternitati divinæ; e contra compositio, etiam rationis, aliquam imperfectionem semper invehit secum, ex eo quod unum extremorum habeat rationem potentiæ ac proinde rationem entis perfectibilis; alterum vero rationem actus perfectivi; ipsum vero totum ab utroque dependere concipiatur : quod Dei simplicitati et actualitati maxime officit.

Quæres. *Utrum Deus possit in aliorum compositionem venire?* Ante responsionem

Nota. Duplex a Theologis, cum Div. Thoma, statuitur compositio; una dicitur *ex his,* altera *cum his.* Prior est ea quæ fit ex partibus proprie dictis, quarum nimirum una se habet per modum potentiæ, altera per modum actus informantis; sic homo componitur ex corpore et anima. Posterior est ea quæ fit ex duobus, quæ ita conjunguntur, ut unumquodque remaneat actus; ejusmodi est compositio ex numeris.

Resp. 1. *Deus potest venire in aliorum compositionem, quæ dicitur* cum his.

Prob. Compositio *cum his,* fit cum plura, ad constituendum compositum, ita conjunguntur, ut unumquodque eorum remaneat actus: atqui Deus potest venire in ejusmodi compositionem; nam reipsa Verbum divinum sic componitur in Incarnatione, in qua solius termini rationem habet. Ergo.

Resp. 2. *Deus in aliorum compositionem, quæ dicitur* ex his, *non potest venire.* Est de fide 1. *Contra Priscillanistas* damnatos in Conc. Tolet., sub S. Leone, quod dicerent Deum esse animum mundi. 2. *Contra Almaricum,* qui in Conc. Later. IV insanus dictus est, quod assereret Deum esse

causam formalem hujus mundi. 3. *Contra Davidem de Dinando*, qui, stulte simul et impie, docuit Deum esse materiam primam.

PROB. Compositio *ex his*, fit ex duobus, quorum unum est materia, alterum forma : atqui ea compositio repugnat Deo; nam 1. *Deus non potest habere rationem materiæ*, quia esset in potentia ad formam : atqui actus purissimus non potest habere rationem potentiæ. 2. *Non potest habere rationem formæ*, quia forma informans dependet a materia tanquam a subjecto. 3. *Non potest habere rationem partis proprie dictæ*, nam pars est minor toto et est propter totum; quæ omnia dicunt essentialiter imperfectionem. Ergo, etc.

OBJICIES : Verbum divinum in Incarnatione venit in compositionem Christi. Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Venit in compositionem *cum his, conc.; in* compositionem *ex his, nego ant.* Itaque Verbum divinum, assumendo naturam humanam, ex ipsa et natura divina non fecit compositum, sed eam tantummodo terminavit ac ultimo in existendo complevit : complere autem dicit magnam perfectionem.

INST. 1. Persona Verbi, in Incarnatione, recepta est in natura humana tanquam in subjecto quod informavit ac perfecit : ergo persona Verbi venit in compositionem *ex his*.

RESP. *Nego ant.* Nam actus informans, simul cum subjecto, componit unicam naturam : atqui in Christo sunt duæ naturæ. Ergo.

INST. 2. Ex Symbolo Athanasii : *Sicut anima et caro unus est homo, ita Deus est homo unus est Christus :* atqui anima est forma informans carnem; ergo Verbum divinum est forma informans hominem.

RESP. *Nego conseq.* In hoc enim solummodo stat comparatio, quod sicut anima et caro substantialiter uniuntur, ita Deus et homo substantialiter uniantur in unitate personæ; sed non in hoc stat, quod Deus et homo componant

Resp. *Dist. ant.* Ratio prioritatis et posterio-
nis, *conc ;* durationis, *nego ant. et conseq.* Pon
Deo prioritas durationis, cum ex symbolo
Trinitate nihil sit prius aut posterius ; sed est
et posterioritas secundum processionis
officit æternitati divinæ; e contra con
nis, aliquam imperfectionem semper
quod unum extremorum habeat
proinde rationem entis perfectib
nem actus perfectivi; ipsum ve
pendere concipiatur : quod De
maxime officit.

Quæres. *Utrum Deus possit*
Ante responsionem

Nota. Duplex a Theolo
compositio; una dicitur
quæ fit ex partibus pro
habet per modum pot
mantis; sic homo co
rior est ea quæ fit
unumquodque rer
numeris.

Resp. 1. *Deus*
citur cum his.

Prob. Com
dum compo
rum rema
composit
nitur in
bet. E

Re
non
na
e

...ut, cap. 1. De attributis Dei ...
...m hujus mundi. 3. Contra Durand. ...
simul et impie, docuit Deum esse finite
...ex his, fit ex duobus, quorum unum
...forma : aliqui ex compositio prior
...non potest habere rationem materiæ,
...formam : aliqui actus primus
...potentiæ. 2. Non potest habere
...non dependet a materia
...habere rationem partis
...esse est propter formam. Ergo, etc.

...nenti,

...nabet *terminos;*
...a *molem* et quantita-
...us; infinitum *quoad vir-*
...entiam, de quo infra; et in-
...e quo quærimus.
...oad essentiam et simpliciter, id est,
...ectionis infinitum ?
...domodo contineat omnium rerum per-

ARTICULUS I.

UTRUM DEUS SIT QUOAD ESSENTIAM INFINITUS.

CONCLUSIO.

Deus est quoad essentiam infinitus. Prop- est de fide contra
cinianos, et Vorstium Calvinistam.

Prob. 1. Ex Script. et Patribus : Ille est simpliciter et
quoad essentiam infinitus, in quo est plenitudo totius esse:
atqui in Deo est plenitudo totius esse. *Ergo,* etc.

cript. Psal. 144, dicitur : *Magnus Do-*
ius non est finis. Et Baruch 3 : *Ma-*

: D. Dion. [1] : *Deus non quovis*
r et infinitum, totum in se esse

inter Dei nomina primas
comprehendens, habet
infinitum et inter-

et terminum
enim a se ipso
impotentia suæ cau-
agnoscit causam.
essentiam infinitus, qui totus
est totus in actu. Ergo. *Maj. est*
nihil deest, est in omni genere et
infinitus; sed illi, qui totus est in actu,
si enim aliquid ei deesset, esset in potentia ad
quod deesset. Ergo, etc. *Min. constat,* quia Deus est
mus purissimus.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. *cum Socinianis :* In iis Scripturæ locis, quæ Deum ut infinitum exhibent, est exaggeratio et metaphora; *ergo* ex iis non potest probari Deum esse infinitum secundum essentiam.

RESP. *Nego ant. quoad primam partem.* Licet enim fateamur metaphoricam esse locutionem, qua Scripturæ, de Deo loquentes, ipsi magnitudinem et extensionem tribuunt, negamus prorsus aliquam esse exaggerationem in illis imaginibus, sub quibus infinita essentiæ divinæ perfectio ostenditur, quia ultra veritatis fines metaphora non progreditur.

[1] L. *de Divinis nominibus*, cap. 5. — [2] Lib. 4, *De fide*, cap. 12.

unicam naturam, sicut caro et anima unicum hominem; de fide enim est in Christo duas esse naturas, licet sit unica persona.

INST. 3. Persona Verbi habet rationem partis; ergo sicut anima et caro componunt unicam naturam, ita Deus et homo.

RESP. *Dist. ant.* Habet rationem partis improprie dictæ, *conc.;* proprie dictæ, *nego ant.* : pars proprie dicta est ea quæ perficit et perficitur; pars vero improprie dicta est ea quæ perficit, sed non perficitur.

QUÆSTIO II.

DE INFINITATE ET PERFECTIONE DEI.

Nota 1. Quæ ad infinitatem et perfectionem Dei spectant, simul conjungimus, quia ejusdem sunt omnino argumenti, ex quo colligitur omnimoda Dei pulchritudo.

Nota 2. Infinitum dicitur, quod nullos habet terminos; et triplex est, nempe infinitum quoad *molem* et quantitatem, quod proprium est corporibus; infinitum quoad *virtutem,* quoad spectat omnipotentiam, de quo infra; et infinitum quoad *essentiam,* de quo quærimus.

1. Utrum Deus sit quoad essentiam et simpliciter, id est, in omni genere perfectionis infinitum?

2. Utrum et quomodo contineat omnium rerum perfectiones?

ARTICULUS I.

UTRUM DEUS SIT QUOAD ESSENTIAM INFINITUS.

CONCLUSIO.

Deus est quoad essentiam infinitus. Prop. est de fide contra Socinianos, et Vorstium Calvinistam.

PROB. 1. Ex Script. et Patribus : Ille est simpliciter et quoad essentiam infinitus, in quo est plenitudo totius esse : atqui in Deo est plenitudo totius esse. Ergo, etc.

Prob. min. 1. Ex Script. Psal. 144, dicitur : *Magnus Dominus... et magnitudinis ejus non est finis.* Et Baruch 3 : *Magnus est, et non habet finem.*

Prob. min. 2. Ex Patribus : D. Dion. [1] : *Deus non quovis modo est,* inquit, *sed simpliciter et infinitum, totum in se esse pariter complexus et anticipans.*

D. Joann. Damasc. [2] : *Videtur*, ait, *inter Dei nomina primas tenere,* Qui est : *totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum esse, velut quoddam essentiæ pelagus, infinitum et interminatum.* Ergo, etc.

Prob. 2. Duplici ratione.

Prima : Deus est ens a se ; ergo nullum habet terminum suæ perfectionis; *conseq. est evidens;* nihil enim a se ipso limitatur, sed a libera voluntate, vel impotentia suæ causæ; Deus autem nullam sui esse agnoscit causam.

Secunda : Ille est quoad essentiam infinitus, qui totus est in actu; atqui Deus est totus in actu. Ergo. *Maj. est certa;* nam ille, cui nihil deest, est in omni genere et quoad essentiam infinitus; sed illi, qui totus est in actu, nihil deest: si enim aliquid ei deesset, esset in potentia ad illud quod deesset. Ergo, etc. *Min. constat,* quia Deus est actus purissimus.

OBJECTIONES.

Objicies 1. *cum Socinianis :* In iis Scripturæ locis, quæ Deum ut infinitum exhibent, est exaggeratio et metaphora; ergo ex iis non potest probari Deum esse infinitum secundum essentiam.

Resp. *Nego ant. quoad primam partem.* Licet enim fateamur metaphoricam esse locutionem, qua Scripturæ, de Deo loquentes, ipsi magnitudinem et extensionem tribuunt, negamus prorsus aliquam esse exaggerationem in illis imaginibus, sub quibus infinita essentiæ divinæ perfectio ostenditur, quia ultra veritatis fines metaphora non progreditur.

[1] L. *de Divinis nominibus*, cap. 5. — [2] Lib. 4, *De fide*, cap. 12.

Objicies 2. Corpus infinitum omnem occupat locum, a quo omnia alia corpora excludit; ergo si Deus esset ens infinitum, excluderet omnia alia entia.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est quod sit de essentia corporis infiniti, ut omnibus omnino locis coexistat cum impenetrabilitate, ac proinde non compatiatur alia secum corpora in loco; at vero infinito secundum essentiam, non est essentiale, ut excludat omnes res a se distinctas; sed sufficit, ut omnes earum perfectiones, vel formaliter vel eminenter, contineat.

Objicies 3. Datur aliquid Deo perfectius; ergo non est in omni genere perfectionum infinitus.

Prob. ant. Aggregatum ex Deo et creaturis, Deo seorsim et solitarie spectato, melius est et perfectius. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Quia, ut ait D. Thom. [1] : *Quod est optimum simpliciter, nullo addito potest fieri melius.*

Prob. ant. Perfectiones creaturarum, additæ Dei perfectionibus, faciunt majorem perfectionum numerum; ergo aggregatum ex Deo et creaturis melius est Deo seorsim spectato. *Resp. Nego ant.*

Prob. ant. Perfectiones creaturarum numerice distinguuntur a Dei perfectionibus; nam sapientia creaturæ non est sapientia Dei; ergo si illæ perfectiones addantur Dei perfectionibus, faciunt majorem numerum.

Resp. *Nego conseq.* Perfectiones enim creaturæ vel formaliter vel eminenter continentur in Dei perfectionibus; ergo non faciunt majorem numerum.

ARTICULUS II.

UTRUM ET QUOMODO DEUS CONTINEAT OMNIUM CREATURARUM PERFECTIONES.

Nota 1. Perfectiones triplicis generis a Theologis vulgo distinguuntur, nempe simpliciter simplices, simplices, et secundum quid.

1. 2, q. 34, art. 9, ad 2.

Perfectio *simpliciter simplex* definitur *ea quæ melior est ipsa, quam non ipsa;* id est, quam melius est habere quam non habere. Ad hanc requiritur 1. Ut nihil imperfectionis admixtum habeat; 2. Ut non sit incompossibilis cum alia majori vel æquali; tales sunt sapientia, bonitas, etc.

Perfectio *simplex* est ea quæ, licet nullam imperfectionem importet, tamen incompossibilis est cum alia æquali perfectione; talis est paternitas in Deo, quæ incompossibilis est cum filiatione; ex quo sequitur melius non esse illam habere, quam non habere.

Perfectio *secundum quid* est ea quæ in suo conceptu formali aliquam includit imperfectionem; ut esse corpus, plantam, etc.; hæc semper incompossibilis est cum majori perfectione.

Nota 2. Aliquid in alio potest contineri tripliciter, scilicet, 1. *Formaliter*, quod in alio continetur secundum propriam formam; sic rationalitas est in homine. 2. *Eminenter*, quod nobiliori modo continetur in alio, quam in subjecto in quo reperitur secundum propriam suam formam. 3. *Virtualiter*, quod in alio est tanquam in causa; sic planta continetur in semine. His positis, sit

CONCLUSIO I.

Omnes creaturarum perfectiones, tum simpliciter simplices, tum simplices, continentur in Deo formaliter.

PROB. PRIMA PARS. Quæ de Deo prædicantur in abstracto et secundum propriam rationem, sunt in Deo formaliter: atqui perfectiones creaturarum simpliciter simplices prædicantur de Deo in abstracto et secundum propriam formam, juxta illud Job 12: *Apud ipsum est fortitudo et sapientia.* Et illud, Prov. 8: *Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo,* etc. Ergo sunt in Deo formaliter et quoad propriam rationem et substantiam. *Absit enim,* ait D. Aug. [1], *ut Spiritus secundum substantiam dicatur Deus, et*

[1] Lib. 15 *de Trinit.*, cap. 5.

bonus secundum qualitatem : sed utrumque secundum substantiam.

PROB. SECUNDA PARS. Illa quæ constituunt tres SS. Trinitatis personas, sunt in Deo formaliter: atqui perfectiones, nimirum relationes divinæ, constituunt tres SS. Trinitatis personas. Ergo, etc.

Dices contra 1am partem. Deus non continet formaliter perfectiones creaturarum, v. g., sapientiam, bonitatem, etc. Ergo.

Prob. ant. Sapientia, bonitas, etc., creaturarum, sunt finitæ et imperfectæ; ergo Deus illas non continet formaliter.

RESP. *Dist. ant.* Sunt imperfectæ ratione subjecti in sua natura finiti, *conc.;* ratione sui, *nego ant.* Illæ enim virtutes ex sese possunt esse infinitæ; unde in subjecto finito sunt finitæ, in subjecto infinito sunt infinitæ.

CONCLUSIO II.

Creaturarum perfectiones secundum quid, *non sunt in Deo formaliter, sed eminenter.*

PROB. PRIMA PARS : Quod in suo conceptu dicit aliquid imperfectum, non continetur formaliter in Deo, cum sit ens quo perfectius cogitari non potest; atqui perfectiones *secundum quid,* dicunt aliquid imperfectum, imo excludunt majorem perfectionem, v. g., esse corpus dicit habere partes extra partes in ordine ad locum, quod est imperfectum, imo excludit subjectum quod sit mere spirituale; ergo perfectio *secundum quid,* non continetur formaliter in Deo. Hinc Conc. Later. IV damnavit impietatem *Almarici,* qui, inter cætera, docebat quamlibet creaturam vere ac proprie de Deo prædicari, ita ut Deus vere esset leo, lapis, ostium, etc.

PROB. SECUNDA PARS : Contineri eminenter in aliquo, est contineri nobiliori modo, quam in subjecto in quo reperitur

secundum propriam suam formam : atqui perfectiones *secundum quid*, in Deo continentur nobiliori modo quam in subjecto in quo reperiuntur secundum propriam suam formam; nam *si magnitudinem quæris, major est*, ait D. Aug. [1]; *si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior*, etc. Ratio est quia hæ perfectiones in Deo sunt ab omni prorsus imperfectione defæcatæ; ergo in eo continentur eminenter.

QUÆSTIO III.

DE IMMUTABILITATE DEI.

Nota 1. Immutabile dicitur quod mutari non potest, seu, quod aliter non potest se habere ac est. Porro duplex est mutatio, nimirum *realis*, seu intrinseca, et *impropria*, seu extrinseca.

Mutatio *realis et intrinseca* est ea quæ fit per receptionem aut amissionem alicujus positivæ perfectionis.

Mutatio *impropria et extrinseca* est ea quæ fit per novam denominationem extrinsecam, absque receptione vel amissione ullius qualitatis positivæ. Hic solum agitur de mutatione reali, quæ dicitur mutatio simpliciter et sine addito.

Nota 2. Stoici, ut testatur Origen. [2], censerunt Deum esse corpus mutabile. Sociniani docent Deum esse mutabilem, non quidem in sua substantia, sed in suis decretis. His notatis,

CONCLUSIO.

Deus est omnino immutabilis. Est de fide.

Prob. 1. *Ex Script. et Conciliis.* Num. 23, dicitur : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur ; nec ut filius hominis, ut mutetur.* Et Malach. 3 : *Ego Dominus, et non mutor.* Hinc in Conc. Nicæno I definitum est : *Eos qui dicunt, vel creatum, vel mutabilem Dei Filium, anathematizat Catholica et Apostolica*

[1] Serm. 384, *De verbis Apostol.* — [2] Lib. 3 *Contra Celsum.*

Ecclesia. Et in Conc. Later. IV definitum est quod Deus sit *immutabilis*.

Prob. 2. *Ratione*. Sextuplex potest cogitari mutatio, quarum 1ª est *Substantiæ*, cum res oritur, aut interit. 2ª *Temporis*, cum res transit de tempore in tempus. 3ª *Loci*, cum res transit de loco in locum. 4ª *Quantitatis*, cum res mole crescit vel minuitur. 5ª *Qualitatis*, sive proprie sive improprie dictæ, id est, perfectionis, cum res acquirit vel deperdit aliquam perfectionem. 6ª *Actionis*, cum agens modo hoc, modo aliud intelligit aut vult; atqui nulla harum mutationum reperitur in Deo. Ergo, etc.; et quidem

1. Non reperitur *mutatio substantiæ*. Deus enim ut æternus, ita est immortalis [1] : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*.

2. Non est *mutatio temporis*, quia Deus, utpote æternus, præsens est omnibus temporibus [2] : *Vivo ego in æternum*.

3. Non est *mutatio loci*, quia est immensus [3] *Cœlum et terram impleo*.

4. Non est *mutatio quantitatis*, quia Deus corporis est expers.

5. Non est *mutatio perfectionis*, quia, ut ait Div. August. in Ps. 30 : *Non habet quo perficiatur perfectus, non habet unde deficiat æternus*.

6. Non est *mutatio operationis*, sive illa sit intellectus, sive voluntatis ; quia quæcunque Deus cognoscit et vult, ab æterno cognoscit et vult; alioquin conciperetur in Deo potentia agendi distincta ab ipsa actione ; ac proinde esset compositus ex actu et potentia, nec esset actus purissimus.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Deus dicitur *sapientia æterna* ; atqui ex Sap. 7 : *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia ;* ergo Deus est mutabilis.

Resp. *Dist. min.* Sapientia omnibus mobilibus est mobi-

[1] Psal. 101. — [2] Deut. 32. — [3] Jerem. 23.

lior, active et extrinsece, quatenus motum cunctis creaturis tribuit, *conc.;* passive et intrinsece, quasi hæc motum in se reciperet, *nego min.* Ideoque divina illa sapientia dicitur mobilis, quatenus motrix est et movens, non quatenus mota et agitata.

Inst. 1. Atqui Deus movetur passive et intrinsece. Ergo.

Prob. ant. Qui transit de loco in locum, movetur passive et intrinsece; atqui Deus transit de loco in locum; ait enim, Genes. 11. : *Venite, descendamus.* Ergo.

Resp. *Nego min.* Ad prob. *dist. conseq.* transit de loco in locum, metaphorice, quia ita agit quasi moveretur, *conc.;* vere, *subdist ;* sub specie humana assumpta, *conc.;* juxta propriam naturam, *nego.* Porro *Gen.* 11, sermo est de Deo sub specie humana apparente.

Inst. 2. Deus de non creante factus est creans; ergo mutatus est passive et intrinsece.

Resp. *Dist. ant.* De non creante factus est creans per actum quem semper habuit, *conc.;* per actum qui Deo de novo advenit, *nego ant. et conseq.* Itaque per creationem et similes actiones, nulla nova entitas Deo advenit, sed nova denominatio et relatio ad creaturas : nec enim vult quidquam in tempore, quod non velit ab æterno, licet non pro æterno, sed pro tempore respondente virtuali æternitatis instanti, quo revera illud creat.

Inst. 3. Non potest Deo advenire nova denominatio positiva, quin adveniat nova entitas distincta : atqui per creationem advenit Deo nova denominatio positiva Creatoris, Domini, etc.; ergo advenit nova entitas.

Resp. *Dist. maj.* Si illa denominatio sit absoluta, qualis est denominatio sapientis, boni, etc., *conc.;* si illa denominatio sit relativa, qualis est denominatio creatoris, *nego maj.* Illa enim denominatio nihil intrinsecum Deo contulit, quod antea non haberet, sed tantum aliquid extrinsecum, relationem nimirum actualem ad res creatas, quam acquisivit in tempore.

Objicies. 2. In Deo sunt varii motus iræ, vindictæ, pœnitentiæ, etc.; ergo Deus mutatur.

Resp. *Dist. ant.* In Deo sunt varii motus iræ, pœnitentiæ, etc., metaphorici et quoad effectum, *conc.*; proprii et quoad affectum, *nego ant.* Itaque ira, vindicta, pœnitentia, etc., tribuuntur Deo in Scriptura non quoad affectum, quasi in se hos passionum motus sentiat, sed quoad effectum, quia tranquillus et immotus illos producit effectus, qui in hominibus ex commotionibus illarum passionum oriuntur. Unde D. Anselm. [1] : Deum alloquens, ait : *Misericors es, non quia tu sentis affectum, sed quia nos sentimus effectum.*

Inst. 1. Deus amat Petrum justum, quem odio habet peccatorem ; ergo mutatur.

Resp. *Dist. ant.* Amat justum, quem peccantem odio habet, per unum et eumdem actum, *conc.*; per diversum actum, *nego.* Deus itaque, per unum et eumdem actum voluntatis suæ æternum, amat hominem tempore quo justus est et odit pro tempore quo est peccator ; mutatio vero status justitiæ et peccati est in homine.

Inst. 2. Ex Aug.: *Deus novit mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.* Ergo mutatur.

Resp. *Dist. conseq.* Deus mutatur extrinsece, quatenus eodem modo se gerit ac si mutaret sententiam, *conc.*; intrinsece, quasi novum volendi actum reciperet, *nego conseq.* Itaque, sive Deus puniat, sive condonet, punit et condonat per unum et eumdem actum tendentem in objecta diversa et ideo tota mutatio est in homine.

Inst. 3. Qui est intrinsece liber potest mutare sententiam intrinsece : atqui Deus est intrinsece liber. Ergo.

Resp. *Dist, maj.* Qui est liber intrinsece libertate imperfecta, *conc.*; libertate perfecta, *nego maj.* Porro libertas Dei est perfectissima, et sic Deus unico actu, utpote infinito, potest velle et nolle, amare et odisse.

[1] Cap. 10 Proslogii.

INST. 4. Qui est intrinsece liber potest carere illo actu, quem libere habet : atqui Deus est intrinsece liber. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj*. Potest carere actu libero connotative sumpto, *conc.;* entitative, *nego maj*. Actus Dei liber, entitative spectatus, est ipse Deus; sed connotative spectatus, est actionis Dei immanentis terminatio ad creaturas, vel ad hanc potius, quam ad aliam creaturam: potuit ergo Deus illa terminatione, quæ extrinseca est, carere, sed ipso actu entitativo carere non potest, ut evidens est.

QUÆSTIO IV.

DE DEI INCOMPREHENSIBILITATE.

Nota 1. Comprehensio dupliciter sumi potest; 1. *Late*, pro consecutione alicujus rei, quo sensu Apost. [1] dixit: *Sic currite ut comprehendatis*. Quo etiam sensu beati dicuntur *comprehensores*, quia æternam beatitudinem sunt consecuti. 2. *Stricte*, pro perfecta et adæquata cognitione alicujus rei, cujus nihil prorsus lateat cognoscentem.

Nota 2. Eunomiani, qui et Anomæi, asseruerunt divinam essentiam, nedum a beatis, sed etiam a viatoribus comprehendi, ut testatur D. Epiph. [2]; contra quos sit :

CONCLUSIO.

Deus a nullo intellectu creato comprehendi potest. Est de fide.

PROB. 1. *Ex Script. et Patribus*. Ille est incomprehensibilis, quem Scriptura et Patres incomprehensibilem vocant; quem contendunt perfecte, etiam a beatis, penetrari non posse; atqui id Scriptura et Patres docent. Ergo, etc. *Prob. min*. 1. ex Jerem. 32 : *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu*. Eccl. 43 : *Ne laboretis, non enim comprehendetis*. 2. Ex D. Aug. [3] dicente : *Attingere aliquantulum mente Deum*,

[1] I Cor. 9. — [2] Hæresi 76. — [3] Serm. 38, *De verbis Domini*.

magna beatitudo est; comprehendere autem omnino impossibile. Et D. Greg. Mag. in hæc verba Job : *Excelsior cœlo est*, ait: *Excelsior itaque cœlo est, quia ipsi quoque electi spiritus visionem tantæ celsitudinis perfecte non penetrant.* Ergo, etc.

Prob. 2. Ex Conc. Later. IV, c. Firmiter: *Creditur*, inquit, *quod Deus sit... incomprehensibilis et ineffabilis, etc.;* et Conc. Basileensi, sess. 22, hanc Augustini de Roma prop. damnante : *Anima Christi videt Deum tam clare et intense, quantum clare et intense Deus videt seipsum.*

Prob. 3. *ratione :* Comprehendere Deum est essentiam divinam cognoscere, quantum cognoscibilis est, ipsamque omni ex parte exhaurire; atqui essentia divina ab intellectu creato non potest cognosci quantum cognoscibilis est, neque ex omni parte exhauriri. Ergo, etc.

Prob. min. Quod est infinite cognoscibile, non potest cognosci quantum cognoscibile est, neque ex omni parte exhauriri, nisi per cognitionem infinitam; atqui nulli intellectui creato competere potest cognitio infinita. Ergo, etc.

OBJECTIONES.

Objicies. Beati Deum comprehendunt. Ergo.

Prob. ant. Qui vident Deum, ut est in se, Deum comprehendunt; atqui Beati vident Deum ut est in se. Ergo, etc... *Resp. Nego maj.*

Prob. maj. Qui vident totum Deum, comprehendunt Deum; atqui qui vident Deum ut est in se, vident Deum totum; ergo qui vident Deum ut est in se, Deum comprehendunt.

Resp. *Dist. maj.* Qui vident Deum totum et totaliter, Deum comprehendunt, *conc.*; qui vident Deum totum, sed non totaliter, *nego maj.*; atqui qui vident Deum ut est in se, vident Deum totum, et non totaliter, *conc.;* vident Deum totum et totaliter, *nego min.* Porro ad comprehensionem Dei non sufficit ut totus videatur, sed insuper requiritur ut videatur totaliter, id est tam perfecte ac videri potest

et exigit; ita ut cognitio, in genere cognitionis, tantæ sit perfectionis, quantæ est objectum in genere rei cognoscibilis. Cum ergo Deus sit infinitus, non potest ulla cognitio ei respondere, nisi infinita quoque ea sit; atqui creata mens non est capax cognitionis infinitæ. Ergo.

Inst. 1. Quod est simplicissimum non potest videri totum, quin simul videatur totaliter; atqui Deus est simplicissimus. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Quia ut videatur totaliter, necesse est ut videatur omni modo quo videri potest et exigit; atqui Deus potest et exigit videri modo infinito, cujus non est capax intellectus creatus. Ergo.

Inst. 2. Ut alia res comprehendatur, non necesse est ut videatur modo perfectissimo, quo cognosci potest : alias Angelus ne muscam quidem comprehenderet, cum eadem musca a Deo longe perfectiori modo videatur, quam ab Angelo; ergo licet mens creata longe imperfectiori modo Deum cognoscat, quam Deus ipse se cognoscit, nihilominus potest Deum comprehendere.

Resp. *Nego conseq.* Quamvis enim ad comprehensionem rei, non sit necesse ut videatur modo perfectissimo, quo ab ente superiori potest videri, tamen requiritur ut videatur modo perfectissimo, quo res illa *exigit* videri; atqui Deus infinitus, non vero musca finita, exigit videri cognitione infinita; ergo mens creata potest comprehendere muscam, non vero Deum.

Objicies. 2. Deus comprehendit hominem; ergo homo comprehendit Deum.

Prob. conseq. Ex Apost. [1] dicente : *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum,* nempe a Deo ; atqui cognitus est a Deo cognitione comprehensiva. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Tunc cognoscam sicut cognitus sum, ita ut particula, *sicut,* importet cognitionem Dei immedia-

[1] I Cor. 13, v. 12.

tam et intuitivam, quam opponit cognitioni quam de Deo habemus per creaturas, *conc.;* ita ut particula, *sicut,* æqualitatem perfectionis inter cognitionem Dei et nostram importet, *nego.* Itaque hoc unum vult Apostolus, nos in æterna beatudine visuros Deum immediate sicuti est, non vero per creaturas quasi per speculum. Responsio colligitur ex versu præcedenti : *Videmus nunc per speculum in ænigmate,* inquit, *tunc autem facie ad faciem.*

Inst. D. Aug. [1] ait : *Illud comprehendi, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem;* atqui nihil Dei latet Beatos. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ut nihil ejus lateat videntem, tum quoad rem visam, tum quoad omnem amplitudinem ejus cognoscibilitatis, *nego.;* quoad rem visam duntaxat, *conc.* Porro licet beati videant Deum totum, tamen eorum cognitio, cum sit finita, non adæquat totam cognoscibilitatem Dei, qui modo infinito exigit videri; unde D. Aug. addit : *Aut cujus fines circumspici possunt;* atqui cum Deus sit infinitus, non habet fines qui circumspici possint. Ergo, etc.

QUÆSTIO V.

DE INEFFABILITATE DEI.

Nota : De fide est Deum esse ineffabilem, prout definitum est in Conc. Later. IV, cap. *Firmiter, De summa Trinit.;* verum controvertitur, quo sensu Deus dicatur ineffabilis. Circa quod

CONCLUSIO I.

Deus est ineffabilis hoc sensu, quod a viatoribus nullo nomine perfecte, et ut est in se, possit exprimi.

Prob. Non possumus res aliter per nomina exprimere, quam eas cognoscamus; atqui in hac vita Deum perfecte

[1] Epist. 112.

et ut est in se non cognoscimus; ergo Deum nullo nomine perfecte et ut est in se exprimere possumus. Hinc D. Basil. [1] ait : *Natura divina, ut in se ipsa est, nullis nominibus, quæcunque excogitari possunt, exprimitur*. Et D. August. [2] : *Quid quæris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?*

Dixi, *a viatoribus* : quia in futura vita beati possunt nominare Deum sicuti est, quemadmodum eum cognoscunt sicuti est. De quibus [3] dicitur : *In illa die erit Dominus unus, et nomen ejus unum.*

CONCLUSIO II.

Deus non est ineffabilis, in hoc sensu, quod a viatoribus nullo nomine, etiam imperfecte, possit exponi.

Prob. Quia nomina sunt signa, non tantum rerum sed conceptuum; atqui Deum, saltem obscure et imperfecte, possumus cognoscere, ergo et nominare : sic in Scriptura plura sunt Dei nomina. Jerem. 30 : *Fortissime, magne et potens, et Dominus exercituum nomen tibi*. Et Exod. 3, Moysi quærenti, *Si dixerint mihi : Quod est nomen ejus ? Quid dicam eis? Dixit Deus... Sic dices filiis Israel : Qui est misit me, etc.* Quod nomen est maxime proprium Dei, quia ostendit existentiam esse essentiam Dei, quod nulli alii convenit.

Quæres 1. An nomina Dei sint synonyma, eamdem rem eadem ratione significantia?

Resp. *Negative*. Quia varia nomina quæ diversis conceptibus ejusdem rei respondent, non sunt synonyma; atqui varia Dei nomina diversis de Deo conceptibus respondent. Ergo, etc. Sic justitia et misericordia Dei diversis conceptibus exprimuntur, licet eamdem rem omnino simplicem significent.

Quæres 2. An nomina de Deo et creaturis dicantur univoce?

Resp. *Negative*. Quia nullum nomen convenit Deo et

[1] Epist. 80. — [2] In psalm. 85. — [3] Zach. ult., v. 9.

creaturis secundum eamdem rationem : sapientia, v. g., quæ in nobis qualitas est, in Deo est substantia.

QUÆSTIO VI.

DE INVISIBILITATE DEI.

Nota. Duplex Dei visio distinguitur, *abstractiva* nimirum, sic dicta, quia abstrahit ab objecti præsentia; et *intuitiva*, sic dicta, quia similis est cognitioni quam habemus de rebus quas in se ipsis ac propriis oculis nostris intuemur.

Cognitio *abstractiva* est ea qua Deum, per medium ab eo distinctum, nempe per creaturas, cognoscimus. De hac sufficienter diximus dissertatione prima.

Cognitio seu visio *intuitiva*, est ea qua Deum ut in se est, seu essentiam Dei, cognoscimus; de hac duo habemus solvenda. 1. Utrum essentia Dei videri possit ab oculo corporeo. 2. Utrum videri possit ab intellectu creato per solas naturæ vires.

ARTICULUS I.

UTRUM ESSENTIA DEI VIDERI POSSIT AB OCULO CORPOREO.

Nota. Antropomorphitæ, quibus olim fuit persuasum Deum esse corporeum, consequenter docuerunt ipsum oculis corporeis videri posse : contra quos sit.

CONCLUSIO.

Deus a nemine unquam, aut visus est, aut videri poterit oculis corporeis. Est de fide.

Prob. 1. *Ex Script.* 1 ad Tim. 1 : *Regi sæculorum immortali et invisibili.* Et cap. 6 : *Rex regum qui... lucem inhabitat inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Atqui illi textus non possunt intelligi de visione per mentem, *quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* [1]. Ergo debent intelligi de visione Dei per oculos corporis.

[1] I Joann. 3, v. 2.

PROB. 2. *Ex Patrib.* Origenes, *contra Celsum*, qui hanc opinionem falso exprobrabat Christianis, ait : *Falso nobis imponit Celsus dicens, nos sperare oculis corporis Deum esse visuros, etc.*

S. Cyril. Hierosol., Catech. 8 : *Carneis quidem oculis cerni Deus non potest*, inquit, *nam incorporeum sub corporeos oculos cadere nequit.*

D. Aug. [1] : *Hoc autem*, ait, *oculus videre corporis neque nunc potest, neque tunc*, in cœlo, *poterit.*

PROB. 3. *Ratione.* Nulla facultas vitalis potest ferri extra limites objecti sui adæquati, v. gr., auris non potest percipere nisi sonum, qui est ejus objectum connaturale adæquatum; atqui Deus est extra subjectum adæquatum oculi corporalis, nam objectum adæquatum oculi est coloratum sensibile, quale non est Deus, qui est purus spiritus; ergo oculus corporeus non potest, etiam *de potentia Dei absoluta*, elevari ad intuitivam Dei visionem.

Dixi : *Etiam de potentia Dei absoluta*, quia Deus non potest facere quod implicat; atqui implicat oculum corporeum vitaliter agentem ferri extra limites sui objecti adæquati, alias mutaretur essentialiter. Ergo, etc.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Jacob, Gen. 32 : *Vidi Deum facie ad faciem.* Ex quo sic argumentor : Videre Deum facie ad faciem, est videre Deum intuitive; atqui Jacob oculo corporeo vidit Deum facie ad faciem; ergo oculo corporeo vidit Deum intuitive.

RESP. *Dist. maj.* Videre Deum facie ad faciem in propria natura, *conc.;* sub specie aliena et assumpta, *neg. maj.* Itaque Jacob vidit Deum sub specie Angeli, qui assumpto corpore ei apparuit, vocatusque est *Deus* repræsentative, non realiter; ita interpretatur Oseas [2] dicens : *Et in fortitudine sua directus est* Jacob *cum Angelo.*

INST 1. Deus [3] de Moyse ait : *Ore ad os loquor ei : et palam,*

[1] Epist. 92, alias 62, ad Italicam viduam.—[2] C. 12, v. 2.—[3] Num. 12.

et non per ænigmata et figuras Dominum vidit. Ergo oculis suis corporeis vidit Deum intuitive.

Resp. *Nego conseq.* Ex textu sequitur tantum, quod Moyses viderit Deum in persona ministri sui, nempe Angeli Deum repræsentantis, ad differentiam Prophetarum, quibus apparebat tantum in somniis; ait enim Deus : *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* At non talis Moyses... ore enim ad os loquor ei, etc.

Inst. 2. Job 19 ait : *In carne mea videbo Deum meum.* Ergo Deus videri potest oculis corporeis.

Resp. *Nego conseq.* Cum D. August., qui [1] observat Job dixisse, se, post resurrectionem, visurum Deum *in carne*, id est, resumpto corpore, *non per carnem*, sed per mentem.

Prob. conseq. Job addit : *Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei circumspecturi sunt.* Ergo.

Resp. *Dist. conseq.* Deus in carne assumpta potest videri oculis corporeis, *conc.;* Deus in se, id est essentia divina; *nego.* Porro Job loquitur de Deo redemptore : *Scio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit.* Atqui Christus redemptor potest, quantum ad humanitatem, videri oculis corporeis,

Inst. 3. Job [2] ait: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Atqui ibi loquitur de Deo in se, non de Christo redemptore. Ergo.

Resp. *Dist. Nunc oculus meus videt te,* secundum providentiam, de cujus effectibus multa audierat Job, et quos tunc propius inspexerat, et proprio experimento quasi ad oculum viderat, cum a tot miseriis tandem sanus evasit, *conc.;* secundum essentiam divinam, *nego.* Hæc est germana illius textus interpretatio.

Inst. 4. Lucæ 3 dicitur : *Videbit omnis caro salutare Dei.* Ergo.

Resp. *Dist.* Salutare Dei, id est Christum Salvatorem,

[1] Lib. 22, *de Civit. Dei*, cap. 29.— [2] Cap. 42.

conc.; id est Dei essentiam, *nego*. Ita D. Aug., serm. 277.

OBJICIES 2. D. Aug. variis locis probat oculos corporis, post resurrectionem glorificati, substantiam divinam visuros. Ergo.

Prob. ant. D. Aug.[1] ait: *Longe itaque alterius erunt potentiæ*, oculi beatorum, *si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est, etc.* Ergo videtur agnoscere fieri posse ut beati, post resurrectionem, visuri sint essentiam divinam.

RESP. *Dist. conseq.* Videtur hoc agnoscere ex sententia aliorum et hypothetice, *conc.*; ex propria sententia et absolute, *nego*. Itaque quoque D. Aug. ex propria sententia locutus, constanter docuit Deum oculis corporeis videri non posse. Sed cum locutus est ex sententia aliquorum philosophorum, qui putabant beatos, post resurrectionem, per oculos corporis factos spirituales, Deum in se visuros, semper locutus est hypothetice, ut patet ex textu in objectione; sicut ergo circa eorum opinionem nihil negavit, ita etiam nihil affirmavit, nec in eam unquam propendit: *Sicut aliqui*, ait Epist. 147, cap. 20, *qui eos, qui ad vitam æternam resurgent, etiam per corpus Deum visuros putant, quoniam talem sperant spiritualis corporis qualitatem, ut etiam ipsa, quæ caro fuerat, spiritus fiat. Quod si ita est... id quod in illa Epistola*[2] *mea dixi de istis nostræ carnis oculis, quia nec possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic verum est: non enim dictum est, nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt, si corpus ipsum spiritus erit; ac per hoc corporei oculi nunquam Deum videbunt, quia cum videbitur, spiritus eum, non corpus videbit.* Ubi etiam loquitur hypothetice, *si ita est*.

INST. 1. D. Aug. *ibidem* addit: *Fieri posse ac valde credibile esse, sic nos visuros mundana corpora, ut Deum ubique præsentem, et universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ gestabimus... clarissima perspicuitate videamus.* Ergo.

[1] Lib. 22, *de Civit. Dei*, c. 29. — [2] 92 ad Italicam, citata in nostris probat.

Resp. *Dist. ant.* Fieri posse ut Deum videamus, mediate et per effectus, *conc.;* immediate et per se, *nego ant.* Nam ait ibidem S. Doctor oculos beatorum Deum esse visuros, eo modo quo nunc videmus vitam hominis, quem cernimus exercere actus vitales, *non credimus eum vivere*, ait, sed *videmus*. Atqui non videmus vitam seu animam illius hominis in se ipsa immediate, sed duntaxat per clarissimos effectus. Ergo.

Inst. 2. Div. August. *ibidem*, opponit visionem qua etiam per corpus Deum incorporeum omnia regentem contuebimur, cognitioni abstractivæ, *non sicut nunc invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur per speculum et in ænigmate*. Ergo intuitiva erit illa visio.

Resp. *Nego conseq.* Utramque enim visionem esse abstractivam et per effectus agnoscit D. August.; visionem tamen oculorum corporis glorificati, opponit visioni quæ nunc habetur in ænigmate, quatenus futura est longe perfectior, *quod ex duobus contingit*, ait D. Th. [1], respondens huic D. Augustini objectioni, *scilicet ex perspicuitate intellectus et refulgentia divinæ claritatis in corporibus innovatis*, id est per aspectum cœli novi et terræ novæ.

Objicies 3. Visus est potentia cognoscitiva, Deus vero objectum cognoscibile; atqui potentia cognoscitiva potest extendi ad quodlibet objectum cognoscibile. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Est potentia cognoscitiva, particularis et ad objectum corporeum determinata, *conc.;* universalis, *nego*. Nam est determinata ad objectum coloratum et consequenter corporeum; Deus autem non est corpus.

Instabis. Quælibet potentia intellectiva ad quodlibet objectum intelligibile pertingere potest; ergo quælibet potentia cognoscitiva ad quodlibet objectum cognoscibile.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod potentia intellectiva sit universalis objective, econtra potentia cognoscitiva visiva est intra coloratos limites circumscripta.

[1] 1 p., q. 12, art. 3, ad 2.

Objicies 4. Ideo asseritur Deum videri non posse oculis corporeis, quia oculi cum illo nullam proportionem habent; atqui hæc ratio nulla est. Ergo.

Prob. min. Deus per absolutam suam potentiam potest elevare quamlibet creaturam ad producendos effectus cum quibus nullam habet proportionem; sic utitur igne corporeo ad comburendas animas, aqua in Baptismo ad producendam gratiam, etc. Ergo licet oculi corporei nullam cum essentia divina proportionem habeant, nihilominus possunt elevari ad videndum Deum intuitive.

Resp. *Dist. ant.* Deus potest elevare quamlibet creaturam vitali modo non operantem, *conc.;* vitali modo operantem, *nego.* Ratio disparitatis est, quia creaturæ, quæ non agunt vitaliter, non sunt causæ principales, sed tantum instrumentales effectuum ad quos producendos a Deo assumuntur; in hujusmodi autem causis instrumentalibus Deus proportionem aliquam cum effectu producendo non supponit. Econtra vero creaturæ, quæ agunt modo vitali, sunt essentialiter causæ principales effectuum quos operantur; atqui causæ principales sese ipsas movere debent ad suos effectus; ergo aliquam, saltem inchoatam, cum illis proportionem habere debent.

Inst. Deus potest actum videndi Deum ponere in oculo corporeo; ergo tunc oculus videret Deum.

Resp. *Nego ant.* Visio enim Dei est essentialiter actus vitalis, de cujus natura est ut a sua potentia eliciatur; porro natura rerum mutari non potest.

ARTICULUS II.

UTRUM ESSENTIA DIVINA VIDERI POSSIT AB INTELLECTU CREAT PER SOLAS NATURÆ VIRES.

Nota. Anomæi, IV sæculo, se tantam Dei notitiam propriis naturæ viribus habere jactitabant, quantam sui ipsorum, imo tantam quantam Deus ipse sui haberet : quam

hæresim a Patribus illius sæculi [1] damnatam, renovarunt *Beguardi* et *Beguinæ*, damnati in Concilio generali Viennensi. Contra quos sit

CONCLUSIO.

Deus ab intellectu creato, per solas naturæ vires, non potest videri intuitive. Est de fide definita in Conc. Vienn., in quo hic Beguardorum articulus fuit damnatus: *Quælibet intellectualis natura, in se ipsa naturaliter est beata; et anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum.*

PROB. 1. *Ex Script.* Isai. 64: *Oculus* mentis *non vidit, Deus, absque te* (dante et elevante), *quæ præparasti expectantibus te.* Psalm. 83: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Et Rom. 6: *Gratia Dei, vita æterna;* decretorii sunt isti textus; nam si vita æterna est donum et gratia Dei, ergo non potest acquiri per solas naturæ vires.

PROB. 2. *Ex Patrib.* Origenes [2]: *Mens nostra,* inquit, *ipsum per se,* id est per suas vires naturales, *Deum sicut est non potest intueri.*

D. Ambr. [3] ait: *In potestate nostra non est eum videre, sed in potestate illius apparere.*

D. Aug. [4]: *Non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beate vivere..*

PROB. 3. Visio intuitiva est actus supernaturalis; atqui intellectus humanus per solas naturæ vires non potest elicere actum supernaturalem, ut contra Pelagianos fuit definitum; ergo intellectus humanus non potest per solas naturæ vires elicere visionem Dei intuitivam.

OBJECTIONES.

OBJICIES. Intellectus humanus per solas naturæ vires potest consequi suum finem; atqui visio Dei intuitiva est finis hominis. Ergo.

[1] SS. Basil., Epiphan., Gregor. Nicæn. et Gregor. Nazianz., etc. — [2] Lib. 1, *de Principiis,* cap. 1. — [3] In cap. 1 Lucæ. — [4] Lib. 19, *de Civit. Dei,* cap. 25.

Resp. *Dist. maj.* Potest naturaliter consequi suum finem naturalem, *conc.;* supernaturalem, *nego.* Porro visio intuitiva est finis hominis supernaturalis.

Subsumes. Atqui visio intuitiva est finis hominis naturalis. Ergo, etc. *Prob.* Quod homo naturaliter appetit, est finis hominis naturalis; atqui homo naturaliter appetit visionem beatificam. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Est finis naturalis, quoad propensionem, *conc.;* quoad consecutionem, *nego maj.* Nam *quamvis homo naturaliter inclinetur in finem ultimum,* inquit Boetius [1], *non potest tamen naturaliter illum consequi, sed solum per gratiam; et hoc est propter eminentiam illius finis.*

Inst. 1. Intellectus humanus potest naturaliter consequi quod est intra latitudinem sui objecti specificativi; atqui Deus intuitive videndus, est intra latitudinem objecti intellectus specificativi. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quod est intra latitudinem objecti specificativi sibi proportionati, *conc.;* sibi improportionati, *nego maj.* Porro, licet Deus clare videndus sit intra latitudinem objecti specificativi intellectus, quatenus est potentia visiva, tamen, cum sit ordinis supernaturalis, ipsi est improportionatus, nec potest illum intuitive videre, nisi aliquo supernaturali auxilio roboretur : *Deus clare visus,* ait D. Thom. [2], *non est extra facultatem intellectus velut extraneum quid, sed velut excedens.*

Inst. 2. Quod menti intime præsens est, non est supra ipsam; atqui Deus intime præsens est menti. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quod menti intime præsens est in ratione objecti, *conc.;* in ratione entis, *nego maj.* Porro Deus in ratione entis, est quidem menti intime præsens propter suam immensitatem, sed non est intime præsens in ratione objecti, nisi abstractive et per effectus videndi.

[1] Lib. *de Trinit.*, quæst. ult. — [2] Lib. *Contra Gentes*, cap. 54.

CAPUT II.

DE ATTRIBUTIS DEI POSITIVIS.

Nota. Agemus hic 1° de visibilitate Dei; 2° de ejus æternitate; 3° de ejus immensitate; 4° de ejus bonitate; 5° de ejus intellectu et scientia; 6° de ejus voluntate, sequentibus quæstionibus.

QUÆSTIO I.

DE VISIBILITATE DEI.

Agemus tantum de possibilitate Dei intuitivæ visionis.

ARTICULUS UNICUS.

DE POSSIBILITATE INTUITIVÆ DEI VISIONIS.

Nota. Recentiores Græci, quorum antesignanus fuit *Gregor. Palamus*, docebant, teste Radulpho Archiepiscopo Armachano [1], Dei naturam a beatis non videri, sed aliquam duntaxat lucem ab illa distinctam et profluentem. Contra quos sit

CONCLUSIO.

Intellectus creatus, supernaturali roboratus auxilio, Dei naturam videre potest. Est de fide definita in Concilio Florentino in decreto unionis.

PROB. 1. *Ex Script.* Matth. 5: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* [2] *Videmus nunc per speculum, et in ænigmate, tunc autem, in patria, facie ad faciem.* [3] *Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Atqui videre Deum facie ad faciem, videre eum sicuti est, est videre Deum intuitive; ergo intellectus creatus videre potest naturam divinam, non per solas naturæ vires, ut probavimus; ergo per quoddam Dei auxilium supernaturale.

PROB. 2. *Ex Patribus*, inter quos duos vel tres proferemus.

[1] L. 14, *de quæst. Armenorum*, cap. 1.—[2] I. Cor. 13.—[3] 1. Joann. 3.

D. Iren. [1] sic ait: *Participatio Dei est videre Deum... Homines igitur videbunt Deum, et vivent per visionem, immortales facti, et pertingentes usque ad Deum.*

D. Clem. Alexand. [2] sic loquitur: *Perspicuum est, nullum unquam, vitæ suæ tempore, posse clare Deum comprehendere* (seu intueri); *qui autem sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.*

D. Bernard. [3]: *In hoc erit vita æterna* inquit, *ut cognoscamus Deum sicuti est, id est non modo sicut inest, nobis videlicet, aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso.*

Prob. 3. *Ratione:* Qua, si non potest demonstrari nostræ propositionis veritas, potest saltem suaderi sic: homini possibilis esse debet consecutio beatitudinis ad quam factus est et ab ipso Deo tanquam ad finem ultimum destinatus; atqui beatitudo hominis in clara et intuitiva Dei visione consistit, saltem præsuppositive et causaliter, juxta illud Joann. 17: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, etc.* Ergo homini possibilis esse debet intuitiva Dei visio. Quia tamen hæc beatitudo non est homini naturalis, sed supernaturalis, ideo non nisi auxilio supernaturali corroboratus potest illam consequi.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Deus in Scripturis dicitur *invisibilis*, dicitur *habitare lucem inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Ergo nequidem supernaturaliter potest Deus intuitive videri.

Resp. *Dist. ant.* Dicitur invisibilis, oculo corporeo, *conc.;* menti humanæ, *subdist.:* naturæ viribus, *conc.;* gratiæ beneficio, *iterum dist.:* comprehensive, seu modo infinito, *conc.;* intuitive, *subdist.:* in hac vita, saltem de lege ordinaria, *conc.;* in altera vita, *nego ant. et cons.* Responsio patet ex supra dictis.

Inst. 1. Christus [4] ait: *Non quia Patrem vidit quisquam,*

[1] L. 4 *contra Hæreses*, c. 20. alias cap. 13. — [2] L. 5 *Strom.* — [3] *Serm.* 1. *in Festum omnium Sanctorum.* — [4] Joann. 6, v. 46.

nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem. Ergo nemo Deum potest videre intuitive.

Resp. *Dist. textum.* Non vidit Patrem quisquam hominum, *conc.;* quisquam Angelorum, *nego.* Loquitur ibi Christus de hominibus, quibus porta cœli clausa fuit usque ad ejus in cœlos Ascensionem, unde utitur verbo *vidit* in præterito.

Instabis 2. Atqui Angeli non vident Deum intuitive. Ergo. *Prob. subs.* Qui Deum desiderant prospicere, ipsum non vident; atqui ex 1 Petri, 1 : *In quem,* Deum, *desiderant Angeli prospicere.* Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Qui desiderant Deum videre, desiderio excludente possessionis fastidium, *nego maj.;* desiderio excludente possessionem objecti, *conc.;* et sic ad min. *Desiderant sine labore,* ait Greg. Magn. [1], *quia desiderium satietas comitatur, et satiantur sine fastidio, quia satietas ex desiderio semper accenditur.*

Objicies 2. Multi sancti Patres, quorum testimonia referre non sinit proposita concisio, asserunt Dei naturam non posse intuitive videri, neque a beatis, neque etiam ab Angelis. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Patres enim nunquam claræ Dei visionis negarunt possibilitatem, quam et alibi dilucide astruunt, et in iis istis locis, qui nobis objiciuntur, per non æquivocas expressiones innuunt. Sed unice rejiciunt possibilitatem visionis Dei comprehensivæ, contra quos impugnabant Anomæos, qui, ut ait D. Chrysost. [2], *stulte non minus quam impie jactitabant, se ita Deum nosse, ac Deus se ipse novit.* Apposite ergo ad controversiam, quam versabant, exponi debent hæc eorum verba : *Videri, non videri,* quæ pro varia eorum significatione de Deo dici possunt, ut observat D. Epiphan. [4], et illustrat hac similitudine : *Veluti,* inquit, *si quis per angustum foramen cœlum aspiciat et dicat : Video*

[1] L. 18. *Moral.* cap. 18. — [2] Homil. 2, *advers. Anomæos.* — [4] *Hæres.* 70, n. 8.

cœlum, non utique mentiatur, videt enim revera cœlum. Quod si quis acute ei dicat: Non vidisti cœlum, neque iste mentiatur... quippe non vidit illius exporrectionem, neque latitudinem...Utrumque ergo vere dicitur, et quod Deus videndus aliquando sit; intuitive nimirum, et ut in se est; *et quod videri non possit;* nempe comprehensive, et juxta totam suam amplitudinem, ita ut exhauriatur.

Inst. 1. Saltem negari non potest, quin D. Chrysost. intuitivam Dei visionem Angelis ac beatis negaverit, ut docet Vasquez *in primam partem D. Th., disp.* 36. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Neque in hac parte audiendus est Vasquez, qui solus D. Chrysost., quem omnes vindicant, accusat.

Prob. ant. D. Chrysost.[1] ait : *Id quod est Deus, non modo Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli.* Et infra ex his Apost. verbis : *Qui manifestatus est in carne,* sic arguit, *quod ipse invisibilis sit, non solum hominibus, sed et supernis virtutibus, cum dixisset Paulus manifestatum esse in carne, subdit, visum ab Angelis; ergo ex quo carnem induit, tunc visus est ab Angelis; antea vero non ita videbatur, cum ipsis quoque invisibilis esset substantia.* Atqui qui negat Angelos et beatos videre *id quod est Deus, et substantiam Dei,* prorsus ipsis denegat visionem intuitivam. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Prorsus ipsis denegat visionem intuitivam, adæquatam et comprehensivam, *conc.;* ipsis denegat quamcumque intuitivam visionem, etiam inadæquatam, *nego.* Porro de sola visione Dei comprehensiva hic locutus est D. Chrysost., ut ipse declarat inferius his verbis : *Num omnes in ignorantia vivimus? absit. Sed nemo ita cognovit Patrem ut Filius... qui certam notionem visumque et comprehensionem habet, qualem Filium de Patre habere par est. Sicut enim novit me Pater,* inquit, *et ego cognosco Patrem... hinc,* ex hoc nempe textu, *collige certam Filii de Patre comprehensionem.*

[1] *Hom.* 14, in Joann.

Inst. 2. D. Chrysost. Angelis concedit solam Dei cognitionem, quam per Incarnationem acquisierunt; atqui illa cognitio non fuit substantiæ divinæ, sed humanitatis a Deo assumptæ; ergo, juxta Divum Chrysostomum, Angeli non fruuntur intuitiva Dei visione.

Resp. *Nego maj.* Nam per ista verba : *Ex quo carnem induit, tunc visus est ab Angelis*, solum probat Angelos non vidisse divinam essentiam comprehensive, id est et secundum omnem suam infinitatem, et secundum omnes effectus ad quos extendi ac terminari illa potest, ex eo quod Incarnatio (quæ ab Apost., Eph. 3, vocatur *Sacramentum absconditum a sæculis in Deo*, id est *in sola Dei notitia*, ait Glossa) non ante ab eis visa fuerit, quam Verbum divinum carnem induerit.

Inst. 3. D. Chrysost. quinque homiliis *de incomprehensibili Dei natura contra Anomæos*, totus est ut probet Dei naturam nullo modo videri posse. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Probat Dei naturam nullo modo videri posse comprehensive, *conc.*; intuitive, *nego*. Constat autem D. Chrysost. loqui de sola Dei cognitione comprehensiva contra Anomæos, qui, ut ait homil. 1, *se ita Deum nosse, quemadmodum Deus seipsum novit, asserunt*. Quos sic impetit, homil. 2 : *Non te obruis, qui eo amentiæ proruisti, ut quem glorificare duntaxat debes et adorare, hunc... contendas penitus comprehendere?* Et postquam dixit, homil. 1 : *Ipse*, Deus, *solus est incomprehensibilis*. Et homil. 4 : *Statuerum... omni virtuti creatæ, Deum esse incomprehensibilem, explicare*. Concludit eamdem homil. sic : *Deum incomprehensibilem esse omnium creaturarum generi, late ex his quæ proposuimus, patet*. Constat ergo S. Doctorem, vocabula *videndi ac comprehendi*, tanquam synonyma usurpare.

Objicies 3. Facultas finita non potest videre objectum infinitum; atqui mens creata est finita, et Deus infinitus. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Non potest videre objectum infinitum

modo infinito et comprehensivo, *conc.;* modo finito, *subd.;* per solas naturæ vires, *conc.;* per auxilium quoddam supernaturale, *nego maj.;* et sic ad conseq. Responsio patet ex dictis.

Inst. Inter potentiam et objectum debet esse proportio; atqui inter mentem creatam et Deum infinitum nulla est proportio. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Debet esse proportio *habitudinis,* in eo posita, quod res aliqua contineatur intra objectum alicujus potentiæ, *conc.;* proportio *entitatis,* quæ est similitudo in natura, *nego.* Porro cum Deus contineatur intra verum, quod est objectum intellectus, merito intellectus dicitur habere cum eo proportionem habitudinis, licet non habeat proportionem entitatis. Illa autem proportio habitudinis sufficit cum supernaturali Dei auxilio ad Deum intuitive videndum : alias nequidem abstractive possemus Deum videre.

Subsumes : Atqui inter mentem creatam et Deum nulla est proportio habitudinis. Ergo.

Prob. Inter potentiam naturalem et objectum supernaturale nulla est proportio habitudinis; atqui mens creata, est potentia naturalis, et Deus est objectum supernaturale, Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Nulla est proportio habitudinis completa, *conc.;* inchoata, *nego.* Equidem proportio habitudinis inter mentem creatam et Deum est tantum inchoata et incompleta, ideoque indiget lumine gloriæ, quo compleatur, elevetur et reddatur proxime potens ad Deum intuitive videndum [1].

QUÆSTIO II.

DE DEI ÆTERNITATE.

Nota. Æternum dicitur, quod initio et fine caret. Unde

[1] Alia quæ pertinent ad Dei visibilitatem in cœlo remituntur ad Tract. de Deo creatore.

æternitas recte definitur a Boetio, *interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.*

Dicitur 1. *Possessio,* ut designetur ejus firmitas et quieta stabilitas. Illud enim possidere censemur, quod firmiter, stabiliter, et quiete habemus.

Dicitur 2. *Tota simul,* ut excludatur omnis in duratione successio, quia æternitas unicum est instans indivisibile, quod eminenter omnes temporis præteriti, præsentis, et futuri, continet differentias.

Dicitur 3. *Perfecta,* ut excludatur tum dependentia ab alio, tum mutabilitas. Licet enim momenti præsentis duratio sit tota simul, partibus successivis carens, tamen est imperfecta, utpote dependens a Deo, et statim evanescens,

Dicitur 4. *Interminabilis vitæ,* id est, quæ nec initium habuerit, nec finem habitura sit, imo nec habere possit.

Resolves. Æternitatem differre 1. *A tempore,* quod tempus sit duratio rei successivæ, puta motus, et consequenter admittat prius et posterius; econtra æternitas est tota simul. 2. *Ab ævo;* quod ævum sit duratio rei, non successivæ quidem, sed permanentis, et quæ tota simul existit, nec habitura est finem, licet initium habuerit; talis est Angelorum duratio : unde *tempus* est mensura corporum, *ævum* est mensura spirituum. His notatis, sit

CONCLUSIO.

Deus est æternus. Prop. est de fide, definita in Conc. Later. cap. *Firmiter, De summa Trinit.*

Prob. 1. *Ex Script.* [1] Deus ipse dicit : *Vivo ego in æternum.* Psalm. 9 : *Dominus in æternum permanet.* Ex Dan. 6 : *Ipse est Deus vivens et æternus in sæcula.* Quam æternitatem uno ore SS. Patres asserunt cum Tertull. [2] dicente : *Quis alius Dei sensus, quam æternitas? Qui alius æternitatis status, quam semper fuisse et futurum esse ex prærogativa nullius initii et nullius finis?* Ergo.

[1] Deuter. 31. — [2] *Contra Hermogenem,* cap. 4.

PROB. 2. *Ratione Theologica.* Quidquid est immutabile, illud est æternum: æternitas enim nihil aliud est quam duratio prorsus immutabilis; atqui, ex dictis supra, Deus est omnino immutabilis. Ergo æternus.

OBJICIES. Ille non est æternus, æternitate proprie dicta, cujus duratio successionem importat; atqui existentiæ Dei duratio successionem importat. Ergo, etc.

Prob. ant. Illius duratio, in qua reperitur tempus præsens, præteritum et futurum, successionem importat; atqui in duratione Dei reperitur præteritum, præsens, et futurum. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* In qua reperitur tempus præsens, præteritum, et futurum formaliter, *conc.;* eminenter, *nego maj.* Atqui in duratione Dei reperitur præteritum, præsens, et futurum eminenter, *conc.;* formaliter, *nego min.* Itaque nulla in duratione Dei reperitur successio, et consequenter nulla temporis differentia formaliter; sed reperitur differentia temporis eminenter, quatenus Deus sua æternitate complectitur omnia tempora, utpote respondens omnibus motibus, qui in diversis temporis partibus fiunt. Ita docet D. Aug. [1].

INST. 1. Quod rei successivæ coextenditur, est vere successivum; atqui æternitas coextenditur temporis spatiis, quæ vere successiva sunt. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Quod rei successivæ coextenditur proprie et formaliter, est vere successivum, *conc.;* improprie duntaxat et eminenter, *nego.* Porro æternitas coextenditur temporum spatiis eminenter, non formaliter; inter utrumque autem hoc discrimen est, quod res coextensa formaliter sit mutabilis sicut res successiva cui coextenditur, res vero coextensa eminenter sit immutabilis.

INST. 2. Si æternitas non sit successiva, in eodem instanti durationis duo contradictoria erunt simul vera, v. g., quod

[1] Aug. *Tract.* 99, in Joann.

Petrus in eodem instanti durationis ambulet et non ambulet : absurdum conseq. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Si non sit successiva, neque formaliter, neque connotative, *conc.;* si non sit successiva formaliter, sit tamen successiva connotative, *nego maj.* Atqui æternitas, licet non sit formaliter successiva, est tamen talis extrinsece et connotative, quatenus nimirum rerum omnium tempora, quæ successiva sunt, ipsi correspondent. Unde assimilari solet mundi centro, circa quod immutabiliter stans cœlorum orbes rotato occursu volvuntur.

Quæres. *An æternitas sit ita propria Deo, ut nulli creaturæ communicari possit?*

Resp. *affirm.* Nam quidquid necessario habere debet initium, non potest esse æternum; atqui omnis creatura habet necessario suæ existentiæ initium, cum sit necessario facta ex nihilo quod præcessit. Ergo, etc. Hac ratione utuntur unanimiter sancti Patres, ut ostendant Verbum non esse creaturam, et quod sit æternum : sic D. Athanas.[1] argumentatur : *Res creatæ æternæ esse non possunt, quia ex non exstantibus sunt, et non erant antequam fierent.*

Dices. Deus ab æterno est omnipotens; ergo ab æterno potuit producere creaturas.

Resp. *Dist. ant.* Potuit ab æterno producere creaturas in tempore, *conc.;* in æternitate, *nego.* Hoc enim repugnat, cum æternitas nihil aut tempore aut natura prius supponat; atqui omnis creatura supponit nihilum, quod sui creationem præcedit; ergo, etc.

QUÆSTIO III.

DE IMMENSITATE DEI.

Nota 1. Immensitas differt ab ubiquitate tanquam actus primus ab actu secundo; nam

Immensitas est illimitata substantiæ divinæ diffusio, per

[1] Orat. 2 contra Arianos.

quam apta est coexistere omnibus rebus et locis. *Ubiquitas* vero est actualis Dei existentia in omnibus rebus et locis.

Nota 2. Triplici modo res aliqua potest esse in loco : 1. *Per potentiam,* quando scilicet virtus ejus in aliquo loco operatur, etiamsi ejus substantia non sit ibidem; sic sol est in visceribus terræ. 2. *Per præsentiam,* quando videt quæ fiunt in loco. 3. *Per substantiam,* quando substantia ejus locum implet.

Nota 3. Triplici iterum modo res potest esse in loco per substantiam, nempe, 1. *Circumscriptive,* quando res per diversas sui partes respondet totidem loci partibus, ita ut ulterius non extendatur. 2. *Definitive,* quando res tota est in toto loco, et tota in qualibet parte loci, ita ut existentia locati non excedat locum. 3. *Repletive,* quando res tota est in toto loco, et tota in qualibet parte loci, nec a loco definitur, sed est ubique.

Prior modus existendi in loco convenit corporibus, *secundus* spiritibus finitis, et *tertius* soli Deo, qui solus sic replet omnia loca, ut non terminetur loco, sed sit etiam extra omnem locum.

Nota 4. Hic investigandum habemus, 1. Utrum Deus sit immensus. 2. Utrum sit ubique. Ideo

CONCLUSIO I.

Deus est immensus. Est de fide.

Prob. Tum ex Script. [1] ubi dicitur : *Excelsus et immensus.* Tum ex Concilio Lateran, IV, cap. 1 : *Firmiter credimus... quod unus solus est verus Deus, æternus, et immensus.* Tum ex symbolo D. Athanas.: *Immensus Pater,* etc.

Ratio est, quia Deus omnes perfectiones simpliciter simplices in se continet formaliter; atqui immensitas est perfectio simpliciter simplex, cum melius sit nullum habere terminum quam habere; nam habere terminum, imperfectionem sonat. Ergo.

[1] Baruch. 3.

CONCLUSIO II.

Deus est ubique, seu existit in omnibus rebus et locis tum per potentiam, tum per præsentiam, tum per substantiam. Propositio est de fide quoad omnes partes.

PROB. PRIMA PARS : Ille est ubique per potentiam, qui operatur in quocumque loco; atqui Deus operatur in quocumque loco; nam ex Apost. [1]. *Deus omnia operatur in omnibus.* Et Act. 17 : *Non longe est ab unoquoque nostrum : in ipso enim vivimus, movemur et sumus.* Ergo.

PROB. SECUNDA PARS. Ille est ubique per præsentiam, cujus cognitioni omnia nuda sunt et aperta; atqui ex Apost. [2], *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Unde D. August. [3] ait : *Procedis ? videris. Lucerna extincta est ? videris. Cubile ingrederis ? videris. In corde versaris ? videris.* Ergo.

PROB. TERTIA PARS : contra Socinianos, et Vorstium Calvinistam, qui admittunt quidem præsentiam Dei in rebus quoad virtutem et operationem, sed negant quoad essentiam; contra quos

PROB. 1. *Ex Script.* Jerem. 23. *Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo, dicit Dominus? Numquid non cœlum et terram ego impleo?* Psalm. 138 : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in Infernum, ades.* Ex quibus argumentor : Illi textus eodem modo loquuntur de præsentia Dei in terra et in Inferis, ac de ejus præsentia in cœlo; atqui, ex ipsis adversariis, Deus est in cœlo præsens per substantiam, et hanc substantialem præsentiam colligunt ex his textibus; ergo est quoque præsens in terra et in Inferno per substantiam, quam substantialem præsentiam debent colligere ex iisdem testimoniis.

PROB. 2. *ex SS. Patribus.* Pro omnibus sint D. August. [4] : *Est Deus per cuncta diffusus : ipse quippe ait per Prophetam :*

[1] 1. Cor. v, 6. — [2] Hebr. 4, v. 8. — [3] *Serm.* 46, *de verbis Domini.* — [4] Epist. 57.

Cœlum et terram impleo... substantialiter Deus est ubique diffusus. Et D. Bernard. [1] : *Æqualiter ubique totus est per suam substantiam.*

PROB. 3. *Ratione theologica.* Deus est ubique per operationem, ut ipsi fatentur Sociniani; ergo est ubique per substantiam; nam in Deo operatio entitative sumpta, idem est cum illius substantia. *Idem est esse Dei et potestas ejus,* ait S. Anselm. [2]; *sicut itaque potestas Dei est semper et ubique, ita quidquid est Deus, et ubique et semper est.*

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Scriptura indicat Deum esse in cœlo, Psalm. 113: *Deus autem noster in cœlo;* ergo non est ubique.

RESP. *dist. ant.* Indicat Deum esse in cœlo, quod in eo sit peculiari modo, *conc.;* quod non sit alibi; *nego.* Dicitur itaque esse in cœlo, *quod locus ille,* inquit S. Damascen. *magis particeps sit operationis ipsius interioris et gratiæ, ideo cœlum ipsius est thronus.*

INST. 1. Atqui Deus ita dicitur esse in cœlo, ut significetur eum non esse in terra. Ergo.

Prob. ant. Eodem Psalm. dicitur: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Ergo.

RESP. *dist. ant.* Cœlum cœli Domino, quoad peculiarem modum manifestandæ suæ gloriæ, *conc.;* quasi unicum sit ejus domicilium, *nego.* Est eadem responsio. Præterea potest dici cum S. Athanas. [3], hunc textum metaphorice sumi debere, atque David sic locutum fuisse, ut supremam Dei majestatem, et hominum humilem statum exprimeret.

INST. 2. Scriptura id tanquam proprium justis assignat, quod in ipsis sit Deus, *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* [4]. Ergo.

RESP. *dist. ant.* Quod in ipsis sit per inhabitantem gratiam, *conc.;* per substantiam duntaxat, *nego ant.* Ita D. Au-

[1] *Hom.* 5, *de Adventu.* — [2] L. *de Incarnat.*, cap. 4. — [3] L. 1, *Contra Sabellium.* — [4] 1 Joann. 4.

gust. Epist. 57. *Fatendum est*, inquit, *ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam.*

INST. 3. Horrendum est dicere Deum esse in dæmonibus, in locis fœtidissimis; ergo non est ubique.

RESP. *Nego ant.* Nam purus spiritus incapax est, qui sordibus locorum, ubi est, inquinetur, nec magis iis inquinatur Deus, quam sol dum easdem fœditates radiis suis perlustrat, et anima dum est in corpore corrupto et leproso, etc.

INST. 4. Clem. Alexandr. *lib.* 2 *Stromatum*, dicit: *Deus appropinquans ego sum, ait Dominus; procul quidem substantia: quomodo enim quod est genitum appropinquaret ingenito? Proxime autem est potestate:* ergo censet Deum non esse ubique per substantiam.

RESP. *Dist. ant.* Deus est procul substantia a rebus, *conc.;* id est, absens est substantia e rebus, *nego ant.* Responsio colligitur ex ipso textu; *quomodo enim,* inquit, *quod est genitum appropinquaret ingenito?* id est quomodo esset ejusdem naturæ.

INST. 5. Atqui Clem. censet Deum non esse in rebus substantialiter. Ergo, etc.

Prob. subseq; lib. 5. Strom. refutans Stoicos, ait: *Illi Deum omnem permeare substantiam asserunt: nos autem eum solum dicimus effectorem:* Ergo censet Deum non esse in rebus substantialiter.

RESP. *Dist. conseq.* Non esse in rebus substantialiter per modum partis res omnes animantis, *conc.;* per modum totius res omnes penetrantis, *nego ant.* Itaque Clem. Alex. disputabat contra Stoicos, qui contendebant Deum esse in omnibus rebus tanquam earum animam, quod negat posse fieri; nunquam vero negavit Deum esse per substantiam in omnibus rebus, nam [1] de justo loquens, ait: *Ejusmodi est, cui persuasum est Deum ubique adesse; non autem certis ac definitis locis esse conclusum.*

[1] Lib. 7 *Strom.*

Objicies 2. Qui est ubique, non est capax motus localis; atqui Deus movetur localiter, Genes. 11 : *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem, etc.* Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Ad prob. *dist.* Deus dicitur descendere, metaphorice, *conc.;* proprie, *nego.* His itaque figuris utitur Scriptura, ut se captui nostro accommodet. *Descendere dicitur Deus*, inquit D. Aug.[1], *quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur.*

Objicies 3. Si Deus est ubique, est extensus; atqui Deus non potest esse extensus. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Est extensus virtualiter, *conc.;* formaliter, *nego.* Extensio *formalis* est spatiosa magnitudo, hæc convenit solis corporibus. Extensio *virtualis* est aptitudo qua Deus potest et exigit esse præsens in omnibus rebus et locis; hæc maxime convenit Deo, qui est immensus.

Objicies 4. Scriptura et SS. Patres passim innuunt Deum non esse in rebus, nisi per suam actionem. Act. 17 : *Non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, etc.* Joann. Damasc.[2] : *Ibi locus Dei esse asseritur, ubi perspicua ejus operatio existit.* Ergo.

Resp. *Nego ant.* Nam duntaxat præsentiam Dei substantialem ex ejus operatione colligunt; operatio enim Dei ab ejus substantia non distinguitur.

Inst. 1. Atqui Scriptura et Patres existentiam Dei in rebus ex ejus operatione non colligunt; ergo.

Prob. subsumpt. Existentia substantialis Dei in rebus ex ejus operatione non potest efficaciter probari. Ergo.

Prob. ant. Ex actione solis in visceribus terræ, non potest colligi quod iis in locis sit substantialiter præsens; ergo neque ex eo quod Deus operetur ubique, colligi potest eum esse ubique substantialiter præsentem.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod sol, dum agit in visceribus terræ, agit per virtutem a se ipso distinctam, ac proinde mirum non est, quod ex ejus operatione non recto

[1] Serm. 70, *de Tempore.* — [2] L. 1 *Orthod. fidei*, cap. 5.

colligatur ejus substantialis præsentia; econtra Dei virtus non distinguitur actu ab ipsa Dei substantia, proindeque fieri non potest ut alicubi operetur, quin ibi sit substantialiter præsens.

Inst. 2. Ex actione illius qui potest agere in distans, non potest colligi præsentia substantialis; atqui Deus, utpote omnipotens, potest agere in distans. Ergo.

Resp. *Nego min.* Nam Deus licet omnipotens, non potest facere quod repugnat; atqui repugnat aliquam causam agere in distans, quia omnis causa debet effectum contingere, vel per se, vel per virtutem suam; porro virtus Dei et ejus substantia sunt unum et idem re. Hinc concludit Hugo Victorin. [1], *ubicumque præsens est opere, præsens etiam necesse est ut sit deitate.*

Quæres, *An Deus sit ita immensus, ut sit extra mundum, nempe, ut sit ultra ambitum cœlorum?* Ante responsionem

Nota. Duplici modo potest Deus intelligi esse extra mundum, positive scilicet et negative. *Positive* quidem, si illic sit tanquam in spatio reali, cui coexistat, *Negative* autem, si illic existat, sed non extra se, nec cum ulla ad locum coexistentia et connotatione. His positis,

Resp. *Deus est extra mundum negative, non vero positive.* Est de fide.

Prob. prima pars. Si Deus non esset extra mundum, cœlorum ambitu coarctaretur; atqui non potest cœlorum ambitu coarctari. 3 Reg. 8 : *Cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt.* Et quomodo capere eum possent, qui ex Job 11: *Excelsior cœlo est... profundior Inferno... longior terra mensura ejus et latior mari?* Ergo, etc. Unde Greg. Magn. [2] ait : *Ipse est juxta omnia, infra omnia, supra omnia.*

Prob. secunda pars. Nempe, quod sit ultra mundum negative, non positive; Deus est extra mundum, quomodo jam erat antequam mundus fieret; atqui Deus antequam

[1] L. 7 *Eruditionis Theologicæ*, c. 19. — [2] Lib. 2 *Moral.*, c. 12.

mundus fieret, non erat in loco a se distincto, sed erat in se ipso; ergo et nunc est extra mundum in se ipso. *Prob. min.* ex D. August. in Psalm. 122, ubi quærit : *Antequam faceret Deus cœlum et terram ubi habitabat ?* respondet, *in se habitabat Deus; apud se habitabat, et apud se est Deus.* Unde canit poeta :

Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset.
Tunc ubi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.

Quare de spatiis imaginariis controversia tam prolixe, quam operose, a nonnullis tractata, est prorsus imaginaria et a Scholis Theologicis eliminanda.

QUÆSTIO IV.

DE BONITATE DEI.

Nota 1. Bonitas alia est absoluta, alia respectiva, et alia moralis.

Bonitas absoluta est plenitudo essendi rei, quæ habet tales, quales debet habere perfectiones; unde bonum absolute, idem est ac perfectum.

Bonitas relativa est perfectio entis conveniens alteri, ab eoque appetibilis. Unde bonum respective, idem est ac alteri conveniens.

Bonitas moralis est perfectio, qua quis a sua regula non deflectit. Unde bonum moraliter idem est ac sanctum.

Nota 2. Bonum, aliud est per essentiam, aliud per participationem.

Bonum per essentiam est ens, quod habet bonitatem vi essentiæ suæ solius, et independenter ab omni alio.

Bonum per participationem est ens, quod habet bonitatem dependenter ab alio, a quo participatur.

CONCLUSIO I.

Deus est bonus bonitate absoluta, relativa et morali. Est de fide.

Prob. prima pars. Ille est bonus bonitate absoluta, qui est summe perfectus; atqui Deus est summe perfectus; est

enim ens quo nihil melius et perfectius excogitari potest. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Ille est bonus bonitate relativa qui est summe conveniens creaturis, ab eisque appetibilis; atqui Deus creaturis est summe conveniens et appetibilis, cum omnes earum perfectiones sint participationes divini illius esse, quod eis reipsa communicatur. Ergo.

PROB. TERTIA PARS. Bonitas moralis est perfecta sanctitas; atqui Deus est perfecte sanctus, neque enim a bono deficere potest, qui *universa propter semetipsum*, qui est *finis* summe bonus, *operatus est* [1]. Ergo, etc. Hinc scriptum est: *Non est iniquitas apud Deum* [2]. Qui *sanctus est in omnibus operibus suis* [3].

CONCLUSIO II.

Deus triplici illa bonitate bonus est per essentiam. Est de fide.

Prob. Ille bonus est per essentiam, qui est bonus per se, et independenter a quocumque alio; atqui Deus sic bonus est, tum bonitate absoluta, tum respectiva, tum morali; quare dixit Christus [4] : *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Nempe per essentiam et independenter, cum tamen creaturæ sint bonæ per participationem. Hinc D. Aug. *Epistol.* 54, ait: *Nullius participatione bonus est, quoniam bonum, quo bonum est, ipse sibi est.*

CONCLUSIO III.

Deus in quocumque genere boni est summe bonus. Est de fide.

Prob. Qui est bonus bonitate infinita, quæ Deus ipse est, est summe bonus; atqui Deus est bonus bonitate infinita, quæ Deus ipse est, quo sensu dixit Christus [5] : *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus.* Quia, ut ait D. Aug. [6]: *est summum bonum, quod a purgatissimis mentibus cernitur.* Ergo, etc.

[1] Prov. 16.— [2] Rom. 9.— [3] Psalm. 144. — [4] Luc. 18.— [5] Matth. 19. — [6] Lib. 1. *De Trinit.* cap. 2.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Quod est summe bonum debet se summe diffundere, cum bonum sit sui diffusivum; atqui Deus se summe non diffundit; ergo non est summe bonus.

RESP. *Dist min.* Non se summe diffundit ad intra, *nego*, ad extra, *subdist.;* propter conditionem creaturæ, *conc.;* propter defectum bonitatis infinitæ ex parte Dei, *nego;* summa itaque bonitas non potest nisi personæ divinæ summe communicari, quomodo ad intra communicatur Spiritui Sancto in ejus productione.

OBJICIES 2. Si Deus esset in quocumque genere bonus, nullum esset malum, etiam extra Deum; falsum conseq. Ergo, etc.

Prob. maj. Summum in aliquo genere, quodcumque contrarium, tum a subjecto, tum ab aliis extra ipsum positis excludit; v. g., si calor existeret infinitus, non posset cum eo subsistere minimum frigus; ergo si Deus sit summum in quocumque genere bonum, debet excludere omne malum, tum a se, tum a quocumque alio ente.

RESP. *Dist. ant.* Si illud summum agat necessario, ut agit ignis, *conc.;* si agat libere, ut Deus agit ad extra, *nego ant.;* ideoque, licet Deus sit infinite bonus, cum agat libere, mala esse et fieri permittit, quia *melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere*, ait D. Aug. *Enchiridii* cap. 26.

INST. Vitiosum est, peccatum permittere, cum possumus illud impedire; atqui Deus quodcumque malum potest impedire; ergo illi vitiosum est illud permittere.

RESP. *Dist. maj.* Cum possumus et tenemur illud impedire, *conc.;* cum non possumus nec tenemur illud impedire, *nego maj.*, et sic distincta minore, *nego cons.;* Itaque Deus, utpote causa universalis, non tenetur impedire singula hominum peccata, imo non debet illa impedire, ne violet leges providentiæ suæ, secundum quas reliquit homini liberum arbitrium, quo per gratiam, quam nemini de-

negat, corroboratus, potest homo, et singula vitare peccata, et æternam mereri gloriam.

QUÆSTIO V.

DE INTELLECTU ET SCIENTIA DEI.

Nota. Hanc quæstionem in sex articulos partiemur, quorum 1us Erit de existentia, proprietatibus et divisione scientiæ Dei. 2us De scientia simplicis intelligentiæ. 3us De scientia visionis. 4us De scientia conditionata, seu conditionatorum. 5us De causalitate scientiæ Dei. 6us De ideis divinis.

ARTICULUS I.

DE EXISTENTIA, PROPRIETATIBUS ET DIVISIONE SCIENTIÆ DEI.

CONCLUSIO I.

Est in Deo scientia, et quidem perfectissima, sumpta pro cognitione cujuscumque rei certa et evidente.

Prob. 1. *Ex Script.* Esther. 14 : *Domine, qui habes omnium scientiam.* Et Coloss. 2 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei.* Ergo, etc.

Prob. 2. *Ratione theologica.* Scientia est perfectio simpliciter simplex, cum sit melior ipsa quam non ipsa; atqui omnes perfectiones simpliciter simplices sunt formaliter in Deo. Ergo, etc.

Objicies. Scientia est accidens; atqui nullum est accidens in Deo. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Scientia quæ est in creaturis, *conc.;* quæ est in Deo, *nego maj.:* nam in Deo scientia non distinguitur ab essentia; non *aliud est in Deo esse, aliud intelligere,* inquit D. Aug. [1].

Inst. 1. Scientia proprie dicta est discursiva; atqui cognitio discursiva repugnat Deo, cum maximam involvat imperfectionem. Ergo, etc.

[1] Ep. 102.

Resp. *Dist. maj.* Scientia spectata in homine est discursiva, *conc.;* spectata in se ipsa, *nego maj.* Tantum itaque abest, ut discursus pertineat ad scientiam scientiæ, quin potius sit ejus defectus et imperfectio. Porro cum aliqua creaturæ perfectio tribuitur Deo, oportet ab illa excludi omnem modum imperfectum, secundum quem competit creaturæ.

Inst. 2. Deus cognoscit minus notum per notius, conclusiones per principia; ergo ejus scientia est discursiva.

Resp. *Nego ant.* Nam Deus uno et simplicissimo actu omnia simul pervadit et penetrat, unde ejus scientia est simplicissima, eminenter continens omnes intellectus creati virtutes, scilicet intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam, et artem; *unde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest.* Div. Th. [1].

Quæres 1. *Quot, et quænam sunt scientiæ Dei proprietates?*

Resp. Præter substantialitatem et simplicitatem, de quibus jam egimus, sunt tres, scilicet *infinitas, æternitas et immutabilitas.*

1. Scientia Dei est *infinita;* tum extensive, quia omnia cognoscit [2]: *Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua;* tum intensive, quia ejus cognitio est certissima, evidentissima, et omnium comprehensiva [3]: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem..... hominum corda intuentes in absconditas partes.*

2. Scientia Dei est *æterna;* quia nunquam habuit initium, nunquam fuit interrupta, nunquam finem habitura est; unde sapientia divina de se ipsa ait [4]: *Ab æterno ordinata sum.*

3. Scientia Dei est *immutabilis*, quia Deus est immutabilis; atqui essentia Dei non est quid realiter et entitative distinctum a Deo, ut fides docet. Ergo, etc. Ita docet Div. Aug. [5]: *Sicut omnino tu es*, inquit, *tu scis solus qui es incom-*

[1] 1 p. q. 14, art. 1, ad 2. — [2] Ps. 138. — [3] Eccl. 23. — [4] Prov. 8. — [5] L. 13 *Confess.*, cap. 13.

mutabiliter, et scis incommutabiliter, et vis incommutabiliter.

Dices : Scientia visionis est mutabilis et variabilis ; ergo non omnis scientia in Deo est immutabilis.

Prob. ant. Deus potest plura scire, quam quæ scit. Ergo, etc.

Prob. ant. Deus potest facere plura quam quæ fecit; ergo et plura scire.

Resp. *Dist. ant.* Deus potest facere plura absolute, *conc.;* hypothetice et supposito decreto, *nego ant.* Itaque neque alia scire potest, quam quæ scit, neque potest non scire, quæ novit actu.

Quæres 2. *Quotuplex sit in Deo scientia?*

Resp. Licet a parte rei unica sit, et quidem simplicissima in Deo scientia, tamen propter multiplicem ordinem quem dicit ad varia objecta ad quæ se extendit, variaque media sub quibus illa diversa objecta considerat, multiplex a Theologis cum fundamento assignatur scientiæ Dei divisio.

1. *Dividitur* in necessariam seu naturalem, et liberam seu contingentem. *Necessaria* dicitur, quæ terminatur ad ea quæ aliter non possunt se habere; hujusmodi sunt Deus et res possibiles; hæc antecedit omne decretum divinæ voluntatis. *Libera* dicitur, quæ terminatur ad res contingentes, nempe ad creaturas vel præteritas vel existentes vel aliquando futuras. Hæc supponit liberum Dei decretum.

2. *Dividitur* in speculativam et practicam. *Speculativa* est ea, quæ in objecti sui contemplatione quiescit; talis est scientia qua Deus res mere possibiles cognoscit. *Practica* est ea qua Deus res creatas producit.

3. *Dividitur* in scientiam approbationis, et improbationis. *Scientia approbationis* est ea qua Deus cognoscit ea, quæ illi placent. *Scientia improbationis* est ea qua Deus cognoscit ea quæ illi displicent..... hæc divisio prodest ad intelligenda quædam Scripturæ loca, in quibus Deus dicitur nescire peccatores et peccata. Sic, Matth. 25, Deus dicit fatuis virginibus : *Nescio vos.* Et, Habacuc 1 : *Mundi sunt oculi tui, ne*

videant malum. Neque enim sensus est quod Deus peccatores et peccata non cognoscat; sed quod non cognoscat scientia approbationis.

4. *Dividitur* in scientiam simplicis intelligentiæ, scientiam visionis, et scientiam sub conditione futurorum.

Scientia *simplicis intelligentiæ* est ea qua Deus cognoscit res mere possibiles, seu res consideratas secundum ipsarum essentiam, abstrahendo ab omni earum futuritione et existentia. Hæc antecedit omne Dei decretum.

Scientia *visionis* est ea qua Deus cognoscit res vel existentes vel aliquando futuras, sive sit Deus, sive aliquid extra Deum. Hæc pro rebus extra Deum supponit decretum Dei absolutum, atque pro varia temporum differentia sortitur varia nomina, nimirum, ut est futurorum cognitio, dicitur *præscientia*, ut præteritorum, *memoria*, ut præsentium, *visio*.

Scientia *sub conditione futurorum* est ea per quam Deus cognoscit res quæ nunquam evenient, sed tamen evenirent, si quædam conditio poneretur, sive postea ponatur sive non.

Circa hanc ultimam scientiæ Dei divisionem, est in Scholis celeberrima controversia, quam magis apposite exponemus articulo quarto.

ARTICULUS II.

DE SCIENTIA SIMPLICIS INTELLIGENTIÆ.

Nota 1. Quæritur hic 1. Utrum Deus cognoscat res possibiles, non tantum secundum esse eminens quod habent in Deo, sed etiam secundum esse proprium et formale quod haberent in seipsis extra Deum, si producerentur. 2. In quo medio Deus creaturas possibiles cognoscat.

Nota 2. Per medium cognitionis intelligitur id in quo, tanquam in ratione prius cognita, Deus certissime et perspicacissime ea novit, quæ per suam scientiam attingit.

Nota 3. Essentia divina duobus modis spectari potest. 1. Prout est causa creaturas possibiles continens. 2. Prout est species intelligibilis quæ illas repræsentat.

CONCLUSIO I.

Deus certissime cognoscit omnes creaturas possibiles, et quidem secundum esse proprium et formale, quod haberent in se ipsis si producerentur. Est de fide.

PROB. PRIMA PARS. Eccl. 23 : *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic et post perfectum respicit omnia.* Rom. 4 : *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Atqui entia ante sui creationem, et ea quæ non sunt, sunt tantum possibilia; ergo Deus certissime cognoscit possibilia. *Ratio est,* quia Deus perfecte comprehendit suam omnipotentiam; ergo perfecte cognoscit ea omnia, ad quæ potest sese extendere; atqui se extendit ad omnia possibilia. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS : Deus videt creaturas omni modo, quo, absque ulla imperfectione, videri possunt; atqui creaturæ possibiles videri possunt secundum esse quod haberent in se ipsis, si producerentur, sic enim habent verum esse, nec iste modus videndi ullam in Deo importat imperfectionem, nec excludit perfectionem cognoscendi modum, in essentia nimirum tanquam in causa. Ergo, etc.

CONCLUSIO II.

Deus creaturas possibiles videt, non tantum in essentia tanquam in causa earum effectrice, sed etiam in se ipsis, prout in essentia divina, tanquam in specie intelligibili, repræsentantur.

PROB. PRIMA PARS, 1. Ex D. Aug.[1] qui ad hæc Joan. verba : *Quod factum est, in ipso vita erat,* ait : *In qua vita vidit omnia quando fecit, non propter se ipsum videns, sed in se ipso.*

[1] L. 5, *de Genes. ad litteram.*

PROB. 2. *Ratione Theologica.* Deus comprehendit suam essentiam; ergo in ea videt omnes res possibiles tanquam in causa earum effectrice. *Prob. conseq.* Comprehendere essentiam divinam est eam cognoscere, tum secundum id quod est in se, tum secundum id ad quod potest se extendere; sed qui divinam essentiam sic cognoscit, in ea videt res possibiles, tanquam in causa earum effectrice. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Ut Deus videat res possibiles in se ipsis, prout in essentia divina tanquam in specie intelligibili repræsentantur, sufficit quod in essentia divina reperiatur ratio speciei illarum intelligibilis; atqui in essentia divina reperitur ratio speciei illarum intelligibilis. Ergo, etc.

Prob. min. Ex D. Thom.[1] dicente : *Cum enim,* Deus, *sciat alia a se per essentiam suam, in quantum est similitudo rerum, vel ut principium actuum earum, necesse est quod essentia sua sit principium sufficiens cognoscendi omnia quæ per ipsum fiunt, non solum in universali, sed etiam in singulari.*

OBJECTIONES.

OBJICIES CONTRA PRIMAM PARTEM : Repugnat Deum habere medium cognitionis; ergo non cognoscit possibilia in se ipso.

RESP. *Dist. ant.* Medium cognitionis, per illationem, *conc.;* nam tale medium dicit pluralitatem actuum, et imperfectionem importat, unde repugnat Deo. Medium cognitionis, per simplicem intelligentiam, *nego ant.;* nam in tali medio, tanquam prius cognito, aliud noscitur per eumdem cognitionis actum, quod, cum nullam importet imperfectionem, potest Deo convenire.

INST. 1. Deus non prius cognoscit suam essentiam, prout est causa rerum effectrix, quam res possibiles; ergo essentia sic considerata non est medium cognitionis divinæ.

RESP. *Dist. ant.* Non prius cognoscit, tempore, *conc.;* ratione, *nego :* cognoscere rem prius tempore, est illam co-

[1] 1. p. . 14. art. 11, in fine corp.

gnoscere in instanti quo alia nondum cognoscitur, quod Deo ut imperfectum repugnat. Cognoscere prius ratione, est unum esse rationem cognoscendi aliud, per eumdem cognitionis actum, ita ut unum per se directe et immediate concipiatur cognosci, aliud vero non nisi mediate, indirecte et per aliud; atqui Deus suam essentiam, ut est rerum causa effectrix, sic prius cognoscit, quam res possibiles; nam cognoscendo suam essentiam ut causa rerum effectricem, simul, per eamdem cognitionem, cognoscit res possibiles, propter connexionem quam habet cum illis.

Inst. 2. Atqui essentia Dei, ut est causa effectrix, non habet necessariam connexionem cum possibilibus. Ergo.

Prob. subsumpt. Si essentia divina, prout rerum effectrix, habeat necessariam connexionem cum rebus possibilibus, ab ipsis penderet; absurdum cons. Ergo.

Resp. *Nego seq. et maj.* Tum quia unum relativum est necessario connexum cum suo correlativo, nec tamen ab eo pendet, cum relativa sint simul natura et cognitione. Tum quia medium cognitionis non pendet a rebus cognitis; econtra medium est id a quo alia, ut cognoscantur, dependent, quæ consequenter sunt objecta cognitionis secundaria.

Objicies contra secundam partem. Si Deus cognosceret res possibiles in se ipsis, cognitio divina specificaretur a creaturis; falsum cons. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Cognitio specificatur a suo objecto primario et motivo, *conc.;* secundario et terminativo, *nego maj.*, et sic ad min. Itaque, res ut sunt in se ipsis, non sunt objectum motivum divinæ cognitionis, sed terminativum tantum; objectum vero primarium et motivum est sola essentia divina, quæ independenter ab esse quod creaturæ habent in se ipsis, perfecte terminat cognitionem divinam, quatenus omnium species in se comprehendit. *Ipsum intelligere non specificatur per id quod in alio intelligitur,*

ait D. Thom. [1], *sedper principale intellectum, in quo alia intelliguntur, quod in Deo nihil aliud est, quam essentia sua; unde non oportet quod ipsum intelligere divinum, vel potius ipse Deus specificetur per aliud, quam per essentiam divinam.*

INST. 1. Cognitio divina ab illo specificatur, a quo Deus perficitur; atqui si creaturæ possibiles in se ipsis a Deo viderentur, Deus ab illis perficeretur. Ergo, etc.

Prob. seq. min. Cognoscens a suo objecto perficitur. Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Cognoscens creatum, *conc.;* increatum, *nego ant.* Itaque intellectus creatus perficitur ab objecto, quatenus illius speciem impressam, quæ est forma ipsum perficiens, recipit: at Deus non cognoscit creaturas per species ab ipsis emendicatas, sed illas cognoscit in se ipsis per suam essentiam, in qua tanquam in speculo seu specie intelligibili, repræsentantur.

INST. 2. D. Thom. [2] ait: *Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per suam essentiam; alia autem a se videt, non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipsa.* Ergo res creatas non videt in se ipsis.

RESP. *Dist. cons.* Non videt res in se ipsis, per species a rebus emendicatas, *conc.;* per terminationem cognitionis ad ipsas res, *nego conseq.* Neque enim possibilia cognoscuntur a Deo per propriam speciem extra ipsum positam, alias illam speciem reciperet et ab ea perficeretur; quod de Deo dici repugnat; sed cognoscuntur per essentiam, ut continet omnes omnium creaturarum species. Unde D. Thom. ibidem ait: *In se ipso cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adæquantem ipsi cognoscibili, sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis: in alio autem videtur id quod videtur per speciem continentis, sicut cum homo videtur in speculo per speciem speculi.*

INST. 3. Res possibiles in se ipsis non sunt; ergo Deus eas non potest cognoscere in se ipsis.

[1] p. 1. q. 14, art. 5, ad 3. — [2] Art. 3.

Resp. *Dist. ant.* In se ipsis non sunt formaliter, *conc.*; objective, *nego*. Equidem possibilia non habent actu esse proprium, sed possunt habere, et reipsa haberent, si producerentur. Deus autem res, quas producere potest, cognoscit, et quidem secundum eorum esse proprium, non quod habent, sed quod haberent, si producerentur.

Quæres. *An Deus videat impossibilia, entia rationis, negationes, privationes, etc., et quomodo?*

Resp. *Ad* 1 *affirm.* Cum D. Thom. [1] quia Deus cognoscit quidquid est cognoscibile, atqui illa omnia sunt cognoscibilia, et de facto cognoscuntur ab homine. Ergo.

Resp. *Ad* 2. Deus cognoscit impossibilia, videndo eorum extremorum oppositionem; videt entia rationis, quatenus videt intellectus creati figmenta, dum illius operationes omnes penetrat. Videt negationes et privationes, non quidem positive, cum sic nihil sint, sed negative, quatenus videntur formæ quæ ipsis oppositæ sunt; unde non mirum, si Deus *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* [2].

ARTICULUS III.

DE SCIENTIA SEU OBJECTO VISIONIS.

Nota. Cum scientia visionis attingat præsentia, præterita et futura, hunc articulum in duas sectiones distribuemus: in prima quæremus, utrum Deus videat omnia præsentia et præterita, et quo in medio; in secunda, utrum videat futura, et in quo medio.

SECTIO PRIMA.

Utrum Deus videat præsentia et præterita, et in quo medio.

CONCLUSIO I.

Deus se ipsum videt, et quidem comprehensive. Prop. est de fide.

Prob. 1. *Ex Script.* 1 Cor. 2 : *Spiritus omnia scrutatur,*

[1] Ibid. art. 8. — [2] Rom. 4.

etiam profunda Dei... quæ Dei sunt nemo cognovit, comprehensive, *nisi Spiritus Dei.*

PROB. 2. *Ratione.* D. Thom., art. 7 : *Illud comprehenditur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile.* Atqui Deus se ipsum tantum cognoscit quantum est cognoscibilis, se infinitum cognoscit cognitione infinita. Ergo, etc.

DICES. Ex D. Aug. [1] *Quidquid scientia comprehenditur, scientia comprehensione finitur.* Atqui Deus, utpote infinitus, nullo modo potest finiri. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Finitur negative, *conc.;* positive, *nego.* Deus itaque se sua comprehensione finit negative, quatenus cognitio ejus adæquat totam sui cognoscibilitatem; non vero se finit positive, quasi per suam intellectionem aliquem sibi terminum præscribat.

CONCLUSIO II.

Deus omnia præsentia, et præterita, occultas etiam cordium cogitationes, certissime, distincte et sigillatim cognoscit ut sunt in se ipsis. Est de fide.

PROB. 1. *Ex Script.* Job. 28 : *Ipse fines mundi intuetur, et omnia quæ sub cœlo sunt respicit.* Et c. 31 : *Nonne ipse considerat vias meas et cunctos gressus meos ipse dinumerat?* Et Eccl. 23 : *Omnis homo qui transgreditur lectum suum... dicens : Quis me videt? Tenebræ circumdant me... quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus : Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius; et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum... et hominum corda intuentes in absconditas partes.* Illi certe textus non indigent expositione.

PROB. 2. *Ratione.* Dei scientia est infinita; ergo cognoscit omne agnoscibile : atqui omnia præsentia et præterita, sive sint bona, sive mala, occultæ etiam cordis cogitationes, sunt cognoscibilia. Ergo, etc.

[1] L. 12 *De Civ. Dei*, cap. 18.

Dices 1. Deus non cognoscit mala. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Mala enim, vel sunt naturæ, ut monstra, et *monstra scit antequam fiant;* vel sunt pœnæ, et eorum est auctor, Is. 45 : *Ego Dominus creans malum,* ac proinde ea cognoscit; vel sunt culpæ, et ea cognoscit; psal. 68 : *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.* Ergo videt omnia mala.

Prob. ant. Deus non cognoscit, nisi illa quorum est causa efficiens aut exemplaris; atqui non est causa efficiens, aut exemplaris peccatorum. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam Deus videt omnia, etiam mala, non quidem in se ipsis, sed in forma illis opposita, *sicut per lucem cognoscuntur tenebræ,* ait D. Thom. hic.

Dices 2. Deus non agnoscit secreta cordis. Ergo, etc.

Prob. ant. Deus [1] ait : *Descendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ut ita sciam.* Ergo ante illud de Sodomorum sceleribus experimentum, illa ignorabat.

Resp. *Dist. conseq.* Sic enim locutus est Deus, non quod clamorem Sodomorum ignoraret; dicit enim ibidem, *clamor Sodomorum multiplicatus est,* sed ut modo loquendi humano sese accommodaret; id enim perfecte scire dicimur quod proprio experimento comprobamus.

Quæres. *Quo in medio Deus videt omnia præsentia et præterita?*

Resp. 1. Deus se ipsum videt per suam essentiam absque ullo medio : ratio est, quia nihil prius est essentia divina; ergo nihil potest esse prius cognitum, in quo ipsa videatur.

Resp. 2. Deus videt entia præsentia et præterita, tum in ipsis, tum in sua essentia tanquam in specie intelligibili, quia in ea, tanquam in speculo, repræsentatur realis eorum existentia.

[1] Gen. 18.

Resp. 3. Deus videt peccata in forma, quæ illis est opposita; nam ex D. Thom. art. 10 : *Sic est cognoscibile unumquodque secundum quod est : unde cum hoc sit esse mali quod est privatio boni, per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebræ.*

SECTIO SECUNDA.

Utrum Deus videt entia futura, et quo in medio.

Nota. 1. Futurum duplex est, *necessarium*, scilicet, quod a causa necessaria pendet, et *contingens*, quod pendet a causa libera.

Nota 2. Futurum contingens aliud est a solo Deo, ut gratia danda; aliud ab homine solo, ut peccatum, aliud a Deo et ab homine, ut quælibet actio, sive sit naturalis, sive supernaturalis ordinis.

Nota 3. Futura contingentia libera alia sunt *absoluta*, quæ licet sint a causa libera, absolute tamen et independenter a quavis conditione habitura sunt existentiam in certa temporis differentia. Alia sunt *conditionata*, quorum futuritio pendet ab aliqua conditione aliquando ponenda, vel nunquam ponenda. Hic autem de solis futuris necessariis, et liberis absolutis agimus, de liberis conditionatis articulo sequenti acturi.

Nota 4. Certum est Deum cognoscere distincte et certissime omnia futura necessaria, et alia a se uno pendentia, ut fides docet, Sap. 8 : *Signa et monstra scit antequam fiant, eventus temporum et sæculorum.*

Nota 5. Certum est etiam Deum videre omnia futura necessaria in sua essentia, prout ad illorum futuram productionem determinata est per decretum efficax, quod de eorum productione, in tempore facienda, latum est ab æterno. De solis ergo futuris absolutis liberis potest esse controversia, quam dirimemus duobus paragraphis.

§ I.

An Deus cognoscat omnia futura libera absoluta?

Nota. Sociniani certam futurorum contingentium liberorum notitiam Deo inesse inficiantur, docentque ea conjecturis duntaxat verosimilibus esse Deo perspecta. Ita Socinus. Contra quos sit [1]

CONCLUSIO

Deus omnia et singula futura contingentia libera absoluta certissime cognoscit. Prop. est de fide.

PROB. 1. *Ex Script.* Daniel 13, sic Susanna Deum alloquitur : *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me.* Psalm. 138 : *Intellexisti cogitationes meas de longe... et omnes vias meas prævidisti.* Joann. 6 : *Sciebat ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* Ex his textibus sic argumentor : Illa loca intelliguntur de liberis hominum actionibus futuris; atqui Deus illas cognovit de longe, antequam fiant, illas prævidet. Ergo. Hinc D. Aug. [2], ait : *Confiteri esse Deum, et negare præscium futurorum, apertissima insania est.*

PROB. 2. Deus de liberis hominum actionibus futuris multa prædixit, quæ adamussim, ut prædicta erant, evenerunt, v. gr., infidelitatem Judæorum, negationem Petri, proditionem Judæ, conversionem gentium, etc. Ergo certissime ea noverat Deus; ita concludit Tertull. [3], dicens : *Præscientiam Dei tantos habere testes, quantos fecit Prophetas.*

PROB. 3. *Ratione.* Si omnes creaturarum liberas actiones Deus non cognosceret ab æterno, sed duntaxat quando fiunt, sequeretur Deum singulis momentis infinitas propemodum res de novo cognoscere; atqui id evidenter repu-

[1] Prælect., cap. 11. — [2] Lib. 5 *de Civit. Dei*, cap. 9. — [3] L. 2 *contra Marcion.*, c. 5.

gnat infinitati et immutabilitati scientiæ divinæ; ergo omnes istas actiones ab æterno cognoscit.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Deus cum dubitatione prædicit futura libera; ergo non certo illa novit.

Prob. ant. Deus, cum prædicit futura contingentia, sæpe utitur particulis *forte*, *forsitan*. Jerem. 26 : *Noli subtrahere verbum, si forte audiant, et convertantur.* Lucæ 20 : *Mittam Filium meum dilectum; forsitan, cum hunc viderint, verebuntur.* Atqui illæ particulæ dubitationem et incertitudinem loquentis aperte præ se ferunt. Ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Particulæ, *forte, forsitan*, præ se ferunt dubitationem hominis loquentis, *conc.;* Dei loquentis, *nego min.*: in Deo enim particula, *forte*, significat, *utique*, quæ particula est vox affirmantis : sic usurpatur, *Prov.* 24, ubi dicitur : *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, ne forte videat Dominus, et displiceat ei.* Certum est autem quod Dominus videat. Item Christus dicit [1] : *Si me sciretis, et Patrem meum forsitan sciretis.* Atqui non potest cognosci Filius, quin cognoscatur Pater; ergo illa particula, *forsitan*, in Deo non est verbum dubitationis, sed increpationis, ut docet Div. Augustinus his verbis [2] : *Ille qui omnia scit, quando dicit, forsitan, non dubitat, sed increpat..... Dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia nesciente : cum vero dicitur a Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

OBJICIES 2. D. Aug. [3], videtur negare quod Deus habeat præscientiam futurorum. Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Videtur negare quod Deus habeat futurorum præscientiam, quoad nomen, *conc.;* quoad rem, *nego.* Non itaque negat præscientiam Div. Augustinus, quod Deus futura contingentia non cognoscat, sed quod

[1] Joann. 8. v. 19. — [2] *Tract.* 37, in Joann. — [3] L. 2 *ad Simplician.*, qu. 2.

illa quæ futura sunt in se, non sint futura et absentia respectu Dei, qui illa videt tanquam præsentia, et æque perfecte ac si actu existerint: *Quid est præscientia*, inquit, *nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia prætergreditur tempora? Si enim essentia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes, et per hoc jam non præscientia, sed essentia dici potest.*

Objicies 3. Id non potest a Deo certo cognosci, quod non habet determinatam veritatem; atqui futura contingentia libera non habent determinatam veritatem. Ergo, etc.

Resp. *nego min.* Qui enim de hujusmodi futuris dicit: Erunt pro tali tempore, verum dicit: ergo habet determinatam veritatem.

Inst. 1. Quod est indifferens ad esse vel non esse non habet determinatam veritatem; atqui futura contingentia libera sunt hujusmodi. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quod est indifferens ad esse vel ad non esse pro omni tempore, *conc.;* pro aliquo tantum tempore, *nego maj.* Atqui futura contingentia libera sunt indifferentia ad esse vel non esse pro tempore præsenti, *conc.;* pro quolibet tempore, *nego min.* Sunt enim determinata pro tempore futuro, pro quo futura prævidentur.

Inst. 2. Futura contingentia libera non habent causam determinatam; ergo non habent veritatem determinatam.

Resp. *Dist ant.* Non habent causam determinatam pro præsenti, *conc.;* pro futuro, *nego ant.* Deus enim videt determinationem causarum futuram eo tempore, pro quo earum effectus præsciuntur futuri, unde jam habent veritatem certam et determinatam pro futuro, saltem respectu Dei, licet eam nos ignoremus.

Objicies 4. Præscientia futurorum stare non potest cum libertate hominis. Ergo.

Resp. *nego ant.* Nam præscientia est simplex et speculativus Dei intuitus, quo videt omnia futura, relinquens ea suæ naturali conditioni, ut scilicet eveniant necessario,

vel contingenter, juxta causarum suarum veritatem; sicut visio nostra non immutat rerum visarum naturam, nec in illas influit.

Prob. ant. Quod Deus prævidit, necessario eveniet : alioquin falli posset præscientia divina; ergo præscientia libertatem hominis penitus evertit.

Resp. *Dist. ant.* Eveniet necessario, necessitate hypothetica et consequente, *conc.;* necessitate absoluta et antecedente, *nego ant.* Duplex itaque est necessitas, antecedens nimirum seu absoluta, et consequens seu hypothetica. *Necessitas antecedens* est ea, quæ præcedit liberam creatæ voluntatis determinationem, oriturque a causa, quæ voluntatem ita determinat ad agendum, ut potestatem ad oppositum non relinquat. *Necessitas consequens* est ea, quæ sequitur liberam creatæ voluntatis determinationem : sic ex hypothesi quod loquor, non possum non loqui, quia actum non actu componere simul non possum. Porro quod Deus præscivit futurum, necessario futurum est necessitate consequente liberam voluntatis determinationem, quam Deus liberam futuram esse cognovit, non autem necessitate antecedente, quia, ut ait D. Hieron. [1]. *Non ex eo quod Deus scit futurum aliquid, ideo futurum est; sed quia futurum est, ideo Deus novit.* Unde addit D. Aug. [2] : *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt.* Et proinde non officit libertati.

Inst. 1. Atqui quod Deus prævidit, necessario eveniet, necessitate etiam antecedente; ergo nulla allata distinctio.

Prob. ant. Præscientia Dei, quæ est ab æterno, longe antecedit actiones nostras, quæ sunt in tempore; ergo si Deus illas prævideat, necessario futuræ sunt, necessitate etiam antecedente.

Resp. *Dist. ant.* Præscientia Dei antecedit actiones nos-

[1] In cap. 26 Jerem. — [2] D. 13, de lib. Abitrio, cap. 3,

tras, ut existentes actu, *conc.;* ut futuras et a nobis eliciendas, *nego ant.* Nam prius, secundum aliquod instans rationis, actiones nostræ futuræ sunt, quam a Deo prævideantur.

Inst. 2. Si præscientia Dei non imponat necessitatem antecedentem rebus prævisis, illæ res possunt non evenire; atqui repugnat res a Deo prævisas non evenire, tunc enim falleretur Dei præscientia. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Res illæ possunt non evenire, nulla facta hypothesi, *conc.;* facta hypothesi quod eventuræ sint infallibiliter, *nego.* Sicut enim homo ambulans, nulla facta hypothesi, potest non ambulare, sed, facta hypothesi quod actu ambulet, non potest non ambulare; ita nulla facta hypothesi, seu antecedenter ad futuram creatæ voluntatis determinationem, res a Deo prævisæ possunt non evenire; sed facta hypothesi quod infallibiliter futuræ sint, seu consequenter ad futuram creatæ voluntatis liberam determinationem, non possunt non evenire, alioquin essent infallibiliter futuræ et non essent.

Inst. 3. Posito possibili in actu, nihil sequitur absurdi; atqui, si res a Deo prævisæ non evenirent, sequeretur maximum absurdum, nimirum præscientiam Dei posse falli; ergo non est possibile ut res a Deo prævisæ non eveniant.

Resp. *Dist. maj.* Nihil sequitur absurdi, si nulla hypothesis præcesserit, *conc.;* si aliqua præcesserit hypothesis, *nego.* Res illustratur exemplo; si nulla præcesserit hypothesis, nihil sequitur absurdi, si homo qui potest sedere, sedeat : sed si præcesserit hypothesis quod actu ambulet, non potest pro illo instanti sedere; ergo a pari, si nulla præcesserit hypothesis, nihil sequitur absurdi, si actio hominis eveniat vel non eveniat; sed si ponatur hypothesis, quod infallibiliter futura sit, et sic prævideatur a Deo, non potest non evenire, hæc enim pugnant.

Objicies 5. Si actio prævisa a Deo, sit infallibiliter fu-

tura, frustraneæ sunt consultationes et deliberationes; atqui falsum consequens, cum dicat Div. Petrus, Epist. 2, cap. 1 : *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*. Ergo.

Resp. *nego maj*. Nam Deus non aliter prænoscit res futuras, quam futuræ sint; atqui res non sunt futuræ, nisi per suas causas et principia : ergo Deus prænoscit res futuras per tales causas; atqui inter rerum causas numerantur consultationes et deliberationes; ergo sedulo sunt adhibendæ.

Prob. maj. Vel Deus prævidit me salvum fore, vel damnandum; *si primum*, quidquid egero, sive bonum, sive malum, salvus ero; *si secundum*, quidquid egero, damnabor; ergo, posita præscientia divina, frustraneæ consultationes et deliberationes.

Resp. 1. *Retorq. argumentum :* Vel Deus prævidit me fame moriturum, vel non; *si primum*, sive manducem, sive non manducem, fame moriar; *si secundum*, etiamsi non manducem, fame non moriar. Quid illo argumento insanum magis?

Resp. *Dist. ant*. Deus prævidit me salvum fore, vel damnandum, propter bona, vel mala opera mea, eaque libera, *conc.;* independenter a bonis vel malis meis operibus liberis, *nego ant*. Nempe, non nisi per bona opera obtinendam esse salutem æternam præordinavit Deus; quæ si fiant, Deus obtinendam salutem prævidet; si vero non fiant, salutem non obtinendam Deus prævidet; sed de hoc argumento infra.

Objicies 6. Si Deus bonus esset, et præscius futuri, et avertendi mali potens, non pateretur hominem labi de obsequio legis in mortem; atqui tamen hoc patitur : ita objicit Marcion[1].

Resp. *Nego seq. maj*. Deus enim (ut Tertull. respondet) liberum et sui arbitrii instituit hominem, qua perfectione

[1] Apud. Tertull. l. 2, contra Marcio., cap. 5.

abutitur homo dum peccat; eam vero homini, propter talem abusum, adimere non debuit Deus qui est provisor generalis, et qui etiam peccata hominum in manifestationem suæ justitiæ convertit.

§ II.

In quo medio, seu motivo, Deus videat futura libera absoluta [1].

Circa hanc celebrem controversiam quatuor præcipuæ sunt opiniones.

Prima est eorum, qui, ut omnem difficultatem fugiant, docent futura hæc videri in reali eorum cum æternitate coexistentia; cum enim, inquiunt, æternitas sit tota simul, omnesque temporis differentias absque divisione contineat, nihil ei futurum est, aut præteritum, sed omnia præsentia; ita *Cajetanus, Capreolus, Ferrariensis, Paul. a Lugd.*

Secunda est eorum, qui arbitrantur futura hæc videri in propriis eorum causis, proxime completis, et in actu primo consideratis. Ita *Alvarez, Cabrera, et multi Thomistæ.*

Tertia est Thomistarum, qui docent Deum omnia absoluta futura certo cognoscere in suis decretis absolutis et prædeterminantibus, quia, inquiunt, nihil est futurum libere in quocumque ordine vel statu, nisi quia Deus illud futurum prædefinivit et prædeterminavit.

Quarta est aliorum, qui, cum contendant Deum circa liberas hominis actiones nihil omnino absolute determinare ac prædefinire, nisi prius cognoverit quid homo facturus esset, si in his vel illis circumstantiis collocaretur, si hæc vel illa gratia ipsi conferretur, omnia decreta absoluta et prædeterminantia rejiciunt, docentque illas a Deo videri, 1. In seipsis, objective ac determinative; 2. In essentia sua tanquam specie intelligibili infinita in repræsentando.

[1] *Nota.* * Medium essentiæ juxta philosophos et theologos, est causa cognitionis, seu medium illud per quod devenitur in alicujus cognitionem : Sic speculum est medium cognoscendi formam nostram; axiomata seu principia sunt media ad cognoscendas consequentias.

3. In decreto, quo, post operationem causæ secundæ prævisam per scientiam conditionatam, si concursum illi decernat, reipsa eidem concursum decernit. Ita multi Doctores Sorbonici, *Dumetz, Grandin*, etc. * Quid autem circa hanc controversiam sentiamus, responsum nobis suppeditat S. Aug. [1] his verbis : *Non hoc a me, Fratres, expectetis, ut explicem vobis quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico : non sic cognoscit ut homo; non sic cognoscit ut angelus, et quomodo cognoscit dicere non audeo, quoniam et scire non possum.*

ARTICULUS IV.

DE SCIENTIA CONDITIONATORUM.

Nota. Duplici sectione quæremus 1. Utrum Deus certo videat contingentia libera sub conditione futura. 2. Quo in medio, seu motivo, illa videat.

SECTIO I.

Utrum Deus certo videat futura libera conditionata.

Futura libera conditionata Deus certo novit, etiam ea, quorum non est ponenda conditio. Est communis inter theologos.

Prob. 1. *Ex Script.* Id Deus certo et determinate cognoscit, quod futurum prædixit : atqui Deus certo et determinate prædixit futura sub conditione, etiam ea quorum nunquam est ponenda conditio. Ergo.

Prob. min. Tribus Sacræ Scripturæ textibus.

Primus, 1. Reg. 23, cum David in urbem Ceilam fugisset, et Saul ad urbem obsidendam Davidemque capiendum accederet, David de duobus Dominum interrogat, dicens : *Si tradent me viri Ceila in manus ejus*, Saul? *et si descendet Saul?... Et ait Dominus : Descendet... tradent.* Ista interrogatio est de futuro, et quidem sub conditione non ponenda, si nempe ibi maneret David, et tamen respondit Dominus : *Descendet... tradent.* Ergo hoc certum futurum noverat.

Secundus, Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum*

[1] In psalm. 49. n. 18.

ejus. Ergo certo noverat Dominus animum esse immutandum, si homo ille diutius vixisset; super illa verba loquens D. August. [1] ait: *Certo poterit illos Deus, præsciens esse lapsuros, auferre de hac vita.*

Tertius, Matth. 11 : *Væ tibi, Corozaim: væ tibi, Bethsaida; quia si in Tyro et Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent*. Compertum ergo id erat Christo, et quidem certo et infallibiliter, alioquin nullus exstitisset justæ exprobrationi locus.

Prob. 2. *Ratione*. Quidquid est determinate verum, scitur a Deo; atqui futura conditionata sunt determinate vera; tum quia possunt fieri de iis contradictoriæ propositiones, quarum necesse est alteram esse determinate veram, alteram determinate falsam; tum quia propositio absoluta de futuro conditionato, v. g., *Petrus positus in tali occasione peccabit*, est vera; ergo et hæc prop. conditionalis vera est: *Si Petrus poneretur in tali occasione, peccaret*. Imo conditionalis ista prius vera est, quam illa absoluta.

OBJECTIONES.

Objicies 1. SS. Patres, maxime Augustinus, Fulgentius et Prosper, affirmant nihil a Deo præsciri, nisi quod re ipsa futurum est. *Scimus namque*, ait Div. Fulgent. [2], *præscientiam Dei sic esse veram atque incommutabilem, ut quæ futura præscit, vere futura sint*. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Affirmant nihil a Deo præsciri absolute, nisi quod reipsa futurum est, *conc.*; conditionate, *nego ant.* Itaque aliquando SS. Patres statuunt scientiam absolute futurorum, ut probent contra semi-Pelagianos Deum non puniturum aut præmiaturum ea opera quæ futura duntaxat fuissent ex aliqua conditione nunquam ponenda; sed ea duntaxat opera quæ reipsa futura sunt absolute. Verum iidem Patres non rejiciunt scientiam conditionatam, quam infinitis locis propugnant.

[1] L. *de Dono persever.* c. 9. — [2] L. 1, *de Veritate prædest.* cap. 7.

INST. 1. Illi rejiciunt scientiam conditionatorum, qui eam in semi-Pelagianis damnant ac irrident; atqui SS. Patres in semi-Pelagianis scientiam conditionatam damnant et irrident. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Qui eam simpliciter et in se spectatam damnant, *conc.;* qui eam damnant ratione abusus illius scientiæ a semi-Pelagianis facti, *nego maj.* Atqui sancti Patres damnant, etc.; ratione abusus, *conc.;* ratione sui ipsius, *nego min.* Itaque semi-Pelagiani abutebantur scientia Dei conditionata, docentes, causam prædestinationis ad fidem et gloriam, esse bona opera ex solis viribus liberi arbitrii elicita, quæ Deus futura prævidebat; et cum urgerentur exemplo infantium, qui, meritis pares, a Deo tamen, occulto judicio, ita secernuntur, ut alii sine Baptismate decedant ex hac vita, alii contra, Baptismate donati, salutem consequantur, respondebant [1] : *Deus in eis quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus esset quisque, si viveret; et ideo quem nequiter novit fuisse victurum, sine Baptismo fecit emori, sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus sit.* Quod manifeste falsum est, quodque reprobat D. August. [2] : *Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, ut futura, quæ non sunt futura, puniantur aut honorentur merita parvulorum?*

INST. 2. Ex Aug. [3] *Omnia quæ vere futura sunt, sine dubio fient; si autem facta non fuerint, futura non erant.* Atqui quæ futura sunt sub conditione non ponenda, nunquam fient; ergo non sunt futura; ergo illa non præscit Deus.

RESP. *Dist. maj.* Si autem facta non fuerint, futura non erant, absolute, *conc.;* conditionate, *nego maj.* Ex hoc loco colligi duntaxat potest, futura sub conditione non ponenda, non esse vere futura, quod verum est: sed inde male infertur, quod non fuerint futura si quædam conditio fuisset posita; porro Deus non tantum cognoscit vere futura, sed etiam

[1] Test. Aug. et Prosp. epist. 194, ad Sixtum. — [2] L. *de præd. Sanct.*, cap. 12. — [3] L. *contra Faustum*, cap. 4.

ea quæ futura fuissent, si aliqua conditio posita fuisset.

Objicies 2. D. Thom. [1] duplicem solum scientiam distinguit; alteram simplicis intelligentiæ, alteram visionis; ergo nullam agnoscit scientiam conditionatorum.

Resp. *Dist. conseq.* Non agnoscit scientiam conditionatorum, distinctam a scientia simplicis intelligentiæ, *conc.*; quæ sit veluti ejus pars, *nego*. Itaque juxta Div. Thom. scientia conditionata non tam est distincta specie a scientia simplicis intelligentiæ, ut opponitur scientiæ visionis, quam ejus pars, quæ opponitur alteri parti, quæ est rerum mere possibilium : nam *scientia media* est rerum, non ut mere possibilium, sed ut exstiturarum sub conditione, abstrahendo a positione conditionis et proinde ab eo quod actu exstituræ sint : atque ideo *media* dicitur, quod sit objecti medii inter res mere possibiles et existentes actu. Unde quod scientia Dei adæquate dividatur *in scientiam simplicis intelligentiæ, visionis* et *mediam*, vel quod dividatur tantum in *scientiam simplicis intelligentiæ, et visionis*, nobis est indifferens, cum sit quæstio de nomine; modo tamen Deo tribuatur scientia conditionatorum, de qua infra.

SECTIO II.

Quo in medio, seu motivo, Deus videat libera sub conditione futura, seu, ut alii loquuntur, futuribilia.

Nota 1. Si quæ sit Scholæ controversia in qua omnia præjudicia necessario sint deponenda, hæc certe est quam aggredimur, quæ licet tota sit scholastica, origo tamen fuit omnium Congregationum *de auxiliis*, quæ tanto æstu coram SS. Pontificibus Clemen. VIII et Paulo V inter PP. Dominicanos ex una parte, et PP. Societatis ex altera, fuerunt agitatæ, in quibus nihil fuit definitum, sed utraque opinio liberæ Scholasticorum voluntati fuit permissa, graviterque prohibitum fuit, ne quis alterutram

[1] 1. p., q. 14, art. 9.

ulla Pelagianismi et semi-Pelagianismi aut Calvinismi censura notaret.

Nota 2. Totus hujusce controversiæ cardo in eo consistit, utrum scientia conditionatorum futurorum sit posterior decreto absoluto Dei prædefinientis et prædeterminantis illius scientiæ objectum; affirmant Thomistæ, negant alii; sed ut comperta fiat utraque sententia, exponendus est ordo decretorum Dei, qui in utroque systemate statuitur.

* EXPONITUR SYSTEMA THOMISTARUM.

Duo potissimum Thomistarum systema constituunt : præmotio physica et gratia sufficiens.

1° Præmotio physica, juxta veteres Thomistas, est actio Dei virtuosa, quæ physice et instar motionis voluntati impressæ, mentem jam ante a sufficienti auxilio adjutam ad actum applicat. Alii dicunt eam esse entitatem animæ supervenientem, et a Deo productam; sed nusquam dilucide exposuerunt Thomistæ quid sit illa motio virtuosa, seu entitas animæ superveniens. Clarius eloquuntur Thomistæ recentiores, qui præmotionem asserunt esse ipsamet decreta divina actus nostros prædeterminantia, seu voluntatem Dei talem actum decernentis. Huic voluntati divinæ resisti potest, juxta Thomistas. Hinc valde differt eorum opinio a decima nona Quesnelli propositione : *Dei gratia nihil aliud est quam omnipotens illius voluntas*, quam intelligebat ille auctor de voluntate Dei omnipotentissima, et cui resisti non potest, et quam eo sensu tantum Ecclesia proscripsit.

2° Præmotionem physicam admittunt Thomistæ, sive pro actibus naturalibus, et hæc *præmotionis* seu *prædeterminationis* physicæ nomen retinet, sive pro actibus supernaturalibus, et vocatur *gratia ex natura sua efficax*.

3° Admittunt etiam præmotiones ad actus indeliberatos, sive naturalis, sive supernaturalis ordinis, verum eo loco de solis actibus liberis agitur.

4° Præmotio duplex distinguitur: alia generalis, alia particularis. Præmotio *generalis* est impulsus seu determinatio voluntatis versus bonum in genere. Ejusmodi præmotio saltem aliquo sensu ab omnibus admittitur; inest enim omnibus amor innatus boni in genere. Præmotio *particularis* est determinatio seu impulsio mentis versus bonum particulare.

5° Præmotionem physicam in quolibet statu, sive naturæ innocentis, sive naturæ lapsæ, necessariam asserunt Thomistæ, et quidem duplici titulo, sive ut salvum sit supremum Dei in creaturas dominium, sive ut salvetur Dei scientia. Existimant enim Deum non posse, nisi in decretis prædeterminantibus futura certo cognoscere, nec sine illis hominum voluntates ad nutum flectere. Quidam insuper titulo infirmitatis pro præsenti statu illam necessariam admittunt.

6° Præmotio physica, quando ad aliquem actum datur, ex natura sua et infallibiliter habet suum effectum, nec supponi potest suo effectu carere, licet ad actum oppositum supersit libertas; Deus enim per præmotionem physicam non tantum vult actum, sed vult etiam modum actus; vult, decernit quidem ut sit actus, sed ut sit libere, et ideo actus fit libere, id est cum libertate ad oppositum.

7° Præmotio physica dat actum, sed non dat potentiam agendi, verum illam supponit. Gratia sufficiens mentem ad potestatem supernaturalem evehit, seu dat potentiam actum supernaturalem agendi. Adhortationes, suavitates internæ, motiones sunt præviæ gratiæ sufficienti; quinimo sunt partes illius gratiæ, quæ quidem ipsa est motio seu impressio divina mentem ad actum supernaturalem impellens.

8° Gratia sufficiens vires sufficientes ad agendum suppeditat, sed ita ut, nisi adsit præmotio physica, actus nunquam peragatur. Nam, juxta Thomistas, qui præmotione physica destituitur, soloque sufficienti auxilio adjuvatur,

nunquam supponi potest actum peragere, licet illum actum producere valeat.

9° Deus, juxta Thomistas, non præmovet ad morale peccati, sed tantum ad materiale et physicum quod in peccato reperitur. Imo recentiores quidam Thomistæ asserunt Deum nequidem ad materiale peccati præmovere.

10° Licet Thomistæ præmotionem physicam admittant, sive pro statu naturæ innocentis, sive pro statu naturæ lapsæ, non inde tamen concludendum est ipsos inter utrumque statum discrimen nullum agnoscere : *Nam*, inquiunt, *in statu naturæ innocentis gratia intellectus sufficiebat, nunc vero requiritur gratia voluntatis, seu gratia quæ voluntatem afficiat et moveat; alioquin non esset sufficiens.*

11° Deus infallibiliter et visione metaphysice certa in suis decretis prædeterminantibus futura absoluta et libera cognoscit; datur enim connexio infallibilis et essentialis inter decreta prædeterminantia et actum.

12° Deus futura conditionata, quorum conditio est ponenda, videt in suis decretis absolutis; et ea quorum conditio non est ponenda, in decretis absolutis ex parte sui, et conditionatis ex parte objecti : sic videt conversionem futuram Tyriorum, si vidissent Christi miracula, sicque refert suum decretum : *Volo Tyriis, si videant miracula Christi, dare præmotionem physicam qua convertantur*. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ rerum essentiis fundatam, cognoscit revera Tyrios esse conversuros, si haberent præmotionem physicam; pariter Deus voluisset dare illam præmotionem Tyriis, si selegisset ordinem in quo vidissent Christi miracula, consequenter videt illos Christi fidem fuisse amplexuros, si perspexissent Christi miracula.

In systemate Thomistarum, hic fingitur decretorum Dei ordo.

1. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit omnia quæ potest efficere.

2. Deus, voluntate, saltem generali et antecedente, vult

omnium salutem, eisque sufficientia gratiæ auxilia vult subministrare, quibus possint salvari.

3. Decreto suo absoluto, ac præcedente omnem conditionatorum scientiam, statuit aliquibus hominibus auxilia gratiæ ex sese efficacia concedere; aliis vero non concedere, nisi ea quæ, licet sufficientia, non sunt tamen efficacia. Et ne cogantur dicere omnia futura esse absolute futura, duplex distinguunt in Deo decretum absolutum, nempe absolutum, tum ex parte subjecti, scilicet Dei, tum ex parte objecti, nempe hominis, v. g.: *Decerno Petrum cras oraturum*. Et decretum absolutum ex parte subjecti, sed conditionatum ex parte objecti, v. g. : *Decerno Petrum cras moriturum, si eat in Ecclesiam*.

4. Absoluto et efficaci decreto Deus alios efficaciter ad gloriam et gratiam ex sese efficacem prædestinat, alios vero, saltem negative, reprobat.

5. Per scientiam visionis Deus cognoscit quidquid facturus est, tum absolute, tum sub aliqua conditione ponenda: nam si conditio nunquam sit ponenda, illius futuri cognitio pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ. *

EXPONITUR SYSTEMA CONGRUISTARUM.

In systemate scientiæ conditionatorum, quæ postea dicta est *scientia media*, Dei decretorum ordo sequens fingitur.

1. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ videt omnia quæ efficere potest, et, ex iis omnibus, produxit Angelos et homines quos ad finem supernaturalem destinavit.

2. Prævidit et permisit lapsum Angelorum et hominis.

3. Redemptorem destinavit hominibus omnibus, eosque antecedenter ad prævisionem meritorum sincera voluntate decrevit salvare, si vellent obedire mandatis, atque eis præparavit generalia saltem gratiæ sufficientis auxilia, quibus ad salutem æternam pervenire possent, si vellent.

4. Per scientiam conditionatorum videt quidquid homo facturus esset, si in his vel illis circumstantiis collocaretur,

si hæc vel illa gratiæ auxilia ipsi conferrentur, non quod prævisus sub tali gratia voluntatis consensus, sit Deo causa et ratio, quæ illum certo moveat atque determinet ad gratiam concedendam; absit: non ita est: multi enim sunt quorum futurus prævidetur consensus, quibus tamen gratia illa, occulto sed justo Dei judicio, denegatur, ut exemplo Tyriorum et Sidoniorum manifestum est: gratia itaque ex mera Dei benignitate, pro beneplacito ipsius confertur; ideo prævisus ille consensus est tantummodo ratio, qua Deus, juxta nostrum concipiendi modum, dirigitur in suis decretis absolutis formandis, et sub efficaci Dei motione salva remanet humana libertas.

Porro, in scientia conditionatorum reperitur decretum conditionatum ex parte Dei, seu, ut accuratius loquar, scientia conditionatorum includit conditionate decretum, quod est pars necessaria conditionis, sub qua effectus eveniret; v. g., quando Deus futuram sub conditione Tyriorum conversionem prævidit, non dixit: *Vellem, ut si fierent miracula, converterentur*: velleitates enim illæ, et actus suspensionis, sonant imperfectionem, quæ a Deo prorsus removeri debet. Sed dixit: *Si vellem fieri apud Tyrios miracula, quæ facta sunt apud Corozaitas, eisque gratiam concedere, quam concessi Corozaitis, converterentur*. Ubi evidens est decretum esse partem ipsius conditionis, sub qua prævisa fuit Tyriorum conversio.

5. Inter multa gratiæ auxilia, quibus homo, vel consensurus, vel non consensurus prævidetur, illa Deus, ex mera benignitate absoluto decreto conferre statuit, quibus homo est reipsa consensurus, quæ certe gratia est speciale donum in ratione beneficii, cum detur talis, et tunc, quando prævidetur profuturа.

6. Per scientiam visionis, certo et infallibiliter cognoscit Deus, quidquid homo, gratia præmunitus, simul cum illa in tempore operaturus est.

Nota 3. Juxta systema Thomistarum, certitudo divinæ

scientiæ reperitur ex decretis Dei absolutis, quibus, antecedenter ad prævisionem hominis consensus, decernit ac determinat quid homo facturus sit, ac proinde hæc decreta conditionalem actuum liberorum futuritionem antecedunt, prioritate, non tantum temporis, sed et causalitatis. E contra in systemate scientiæ mediæ, decreta Dei absoluta sequuntur, non vero antecedunt scientiam conditionatorum. Unde

Scientia media definitur, *cognitio certa et infallibilis actuum liberorum sub conditione futurorum, independens ab omni decreto Dei absoluto, eoque anterior.* * Utraque sententia suas habet intricatissimas difficultates. Thomistæ arguuntur quod ad extendendam Dei voluntatem omnipotentem, nimis hominis deprimant libertatem, eamque videantur prorsus annihilare, et homini præcepta impossibilia imponere; ac proinde non satis Dei bonitati consulere, neque à Lutheri et Calvini erroribus sufficienter distare. At Congruistæ, juxta Thomistas, impingunt in errorem contrarium, et cum libertatem hominis asseverare ac tueri volunt, voluntati Dei omnipotenti limites assignare videntur, et efficacem gratiam sufficiente non esse majorem; et hominem seipsum discernere, et primam esse suæ discretionis radicem contendere, sicque SS. Patribus et Sacris Scripturis aperto contradicere [1]. Nos vero, pro more nostro ab his abivimus, dicendo cum S. Aug. : *Quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter diversis et innumerabilibus modis vocentur, aut reformentur, absit ut dicamus judicium luti esse, sed figuli.* Unica nobis est gratia semper necessaria, semper parata, semper in nostra reali potestate posita, nempe gratia orationis, per quam omnes alias obtinere possumus tempore opportuno. *

[1] Prov. 21, 1. Ezech. 11, 19 et 20; et alibi passim.

ARTICULUS V.

DE CAUSALITATE SCIENTIÆ DEI.

Nota. Causa rerum duplex est, *directiva* nimirum, quæ dirigit operantem ad opus; sic artifex, per habitum cognoscitivum artis, dirigit se ad operandum; et *efficiens*, quæ per veram causalitatem influit in ipsum opus; sic idem artifex, per facultatem executricem, exequitur quod ejus voluntas, juxta regulas artis, præcipit.

Certum est 1. Scientiam Dei practicam esse causam rerum ab eo productarum, Sap. 8 : *Quis horum magis quam illa* (Sapientia) *est artifex?* Unde *de Verbo*, quod est sapientia increata dicitur [1]: *Omnia per ipsum facta sunt.*

Certum est 2. Scientiam Dei esse causam rerum directricem, quia se habet ad res creatas, sicut scientia artificis ad arteficiata; atqui scientia artificis est causa arteficiatorum directrix, quatenus per ideam quam in mente habet, dirigit opus quod exequitur. Ergo. Unde, [2] dicitur : *Omnia in sapientia fecisti.*

Certum est 3. Scientiam Dei, ut sit causa rerum, non solum directiva, sed efficiens, debere adjunctas habere voluntatem et omnipotentiam, quia illa tria attributa ad rerum productionem concurrunt; nam scientia dirigit opus, voluntas illud imperat, et omnipotentia illud exequitur.

Dubium vero est, quænam scientia Dei sit causa rerum, an scientia simplicis intelligentiæ, vel scientia visionis? Si sit scientia simplicis intelligentiæ, verum erit dicere : *Non ideo res futuræ sunt, quia cognoscuntur a Deo, sed ideo potius cognoscuntur quia futuræ sunt.* Si sit scientia visionis, verum erit dicere : *Res ideo futuræ sunt, quia prævidentur a Deo;* particula, *quia*, veram causalitatem inferente.

Congruistæ contendunt : *Scientiam simplicis intelligentiæ, quatenus habet adjunctam voluntatem, non vero scientiam visio-*

[1] Joann. 1. — [2] Ps. 103.

nis esse causam rerum. Etenim ea scientia est causa rerum, quæ Deum, tanquam supremum artificem dirigit ad operandum; atqui talis est scientia simplicis intelligentiæ, quæ, Deo essentias et proprietates rerum omnium possibilium repræsentando, proponit modum quo fieri possunt. Ergo.

Præterea scientia, quæ est causa rerum, est ea quæ dirigit potentiam executricem ad res producendas; *atqui* scientia visionis non est hujusmodi; nam scientia quæ versatur circa res jam productas pro aliqua temporis differentia, non potest dirigere potentiam executricem ad *illas* producendas; atqui scientia visionis versatur circa res jam pro aliqua temporis differentia productas. Ergo, etc.

Thomistæ vero dicunt: 1. D. Aug.[1] ait: *Nos ista quæ fecisti videmus, quia sunt; tu autem quia vides, ea sunt.* Ergo scientia visionis est causa rerum.

2. Scientia, quæ est causa rerum, debet esse libera; atqui scientia simplicis intelligentiæ non est libera. Ergo.

3. Scientia, quæ jungitur decreto, non est scientia simplicis intelligentiæ, sed visionis. Ergo.

4. Scientia, quæ terminatur ad esse rerum actuale, non est scientia simplicis intelligentiæ, sed visionis; atqui scientia, quæ est causa rerum, terminatur ad esse rerum actuale. ergo.

5. D. Thom.[2] ait: *Scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis.* Sed scientia illa approbationis est scientia visionis. Ergo.

ARTICULUS VI.

DE IDEIS DIVINIS.

QUÆR. 1. *Quotuplex, et quid sit idea?*

RESP. Duplex, objectiva scilicet et formalis.

Idea objectiva est forma quædam, seu exemplar, in mente

[1] L. 13 *Confess.*, cap. ult. — [2] Quæst. 14, art. 8 in corp.

artificis existens, ad cujus imitationem extra se operatur. Hæc simpliciter est idea.

Idea formalis est cognitio formæ, seu exemplaris, quod artifex sibi in suo opere exprimendum proponit. Quare *idea formalis* in Deo, nihil aliud est quam scientia simplicis intelligentiæ, spectata quatenus dirigit Deum in rerum productione.

QUÆRES 2. *An sint in Deo ideæ?*

RESP. *affirm.* Nam, [1] dicitur : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Quatenus scilicet in mente divina existebat secundum esse ideale et objectivum, quod habent ab æterno in Verbo Dei omnia quæ fiunt in tempore; *ratio est,* quia Deus, tanquam summus rerum omnium artifex, operatur sciens et volens; sed, qui operatur sciens et volens, habet ideas rerum omnium, quas producit conformes illis ideis. Ergo, etc.

DICES. Idea non requiritur, nisi ad dirigendum artificem; sed Deus non eget directione, cum non possit deficere. Ergo.

RESP. *dist. min.* Non eget directione per aliquid extra se, *conc.*; per regulam quæ sit ipsemet Deus, *nego min.* Deus enim per suam sapientiam est sibi ipsi directio et regula.

QUÆRES 3. *Quid sit idea Dei objectiva?*

RESP. Est essentia Dei, prout est conceptus objectivus et imitabilis, seu participabilis a creaturis. Ita D. Thom. [2] *In quantum,* inquit, *Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam hujus creaturæ.*

QUÆRES 4. *An plures sint in Deo ideæ?*

RESP. 1. In Deo est unica idea formalis, quia in Deo unica est rerum omnium cognitio.

RESP. 2. In Deo sunt plures ideæ objectivæ; quia idea objectiva est forma in mente divina existens, ad quam respiciens Deus omnia entia producit, vel producere potest, sed illa entia sunt plura; ergo et illorum ideæ.

[1] Joann. 1. — [2] 1. p. quæst. 15, art. 2.

QUÆSTIO VI.

DE VOLUNTATE DEI.

Nota. Ut cum methodo procedamus, hanc quæstionem in quatuor articulos partiemur, quorum *Primus* erit de existentia et quidditate; *secundus*, de divisione; *Tertius*, de proprietatibus; *quartus* de objecto divinæ voluntatis.

ARTICULUS I.

DE EXISTENTIA ET QUIDDITATE DIVINÆ VOLUNTATIS.

CONCLUSIO I.

In Deo est voluntas proprie dicta.

PROB. 1. Ex Scriptura, Matth. 6 : *Fiat voluntas tua.* Unde Synodus VI, adversus Monothelitas, definiit duplicem esse in Christo voluntatem, divinam nimirum et humanam.

PROB. 2. Omnis perfectio simpliciter simplex est in Deo; atqui talis est voluntas. Ergo.

CONCLUSIO II.

Voluntas Dei est ipsamet essentia divina, concepta per modum facultatis appetitivæ rationalis.

PROB. PRIMA PARS : Quia quæcumque in Deo sunt, non distinguuntur ab essentia realiter, sed tantum virtualiter; ergo voluntas divina est ipsamet essentia divina.

PROB. SECUNDA PARS : Conceptum de divina voluntate formamus secundum conceptum quem formare solemus de voluntate creata, removendo tamen ab illa imperfectiones quæ in voluntate creata deprehenduntur; atqui voluntas creata est facultas appetitiva rationalis. Ergo.

OBJICIES *contra secundam partem* : In Deo nihil potest concipi per modum facultatis, seu potentiæ. Ergo.

Prob. ant. Deus est actus purissimus; ergo nihil in eo potest concipi per modum potentiæ.

Resp. *Dist. conseq.* Nihil in Deo potest concipi per modum potentiæ, distinctæ ab ipsa Dei essentia, *conc.*; indistinctæ ab essentia, *nego conseq.* Licet ergo voluntas divina concipiatur per modum potentiæ, nihilominus est actu semper volens, utpote indistincta ab essentia.

Inst. De ratione potentiæ est, quod sit principium per se influens in operationem; atqui voluntas in Deo non potest esse, nec concipi cum fundamento in re, ut principium influens in volitionem divinam. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* De ratione potentiæ creatæ, *conc.*; de ratione potentiæ divinæ, *nego maj.* Responsio est D. Thom. [1] dicentis: *Potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus; sic igitur in Deo salvatur ratio potentiæ, quantum ad hoc quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc quod est principium actionis, quæ est divina essentia.*

ARTICULUS II.

DE DIVISIONE DIVINÆ VOLUNTATIS.

Nota. Licet voluntas Dei a parte rei sit unica et simplicissima, qua Deus unico actu, a natura indistincto, vult quæcumque vult; tamen propter varia objecta ad quæ fertur, et multiplices ad illa objecta respectus, secundum nostrum concipiendi modum, multipliciter dividitur. Unde:

Voluntas Dei dividitur in voluntatem beneplaciti, et voluntatem signi.

Voluntas beneplaciti est ipsa volitio Dei qua aliquid vult, vel non vult: de qua Apost. [2] ait: *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Talis est voluntas dandi gloriam.

Voluntas signi est signum quoddam externum declarans

[1] 1. p. quæst. 25, art. 1, ad 3. — [2] Rom. 12, v. 2.

Dei volitionem, de qua Christus, [1] ait : *Qui facit voluntatem Patris mei*, id est, mandata, prohibitiones, etc. servat, *ipse intrabit in regnum cœlorum*. Ubi mandata Dei dicuntur voluntas Dei ; quia iis significatur Deum velle fieri, quod lege sua sanxit.

Porro voluntas signi semper significat aliquam voluntatem beneplaciti, sed non semper eam quæ prima fronte intellectui humano occurrit; sic quando Deus præcepit Abrahamo, ut immolaret filium suum, volebat quidem ejus obedientiam probare, sed non volebat revera Isaac immolari. Sic quando permittit peccatum, vult quidem ut homo non agat coacte, sed non vult ut peccatum perpetret, quod alio signo prohibet, etc.

QUÆRES 1. *Quodnam est discrimen inter voluntatem signi, et voluntatem beneplaciti ?*

RESP. Est hoc discrimen, quod voluntas; beneplaciti sit proprię dicta voluntas Deo intrinseca; voluntas vero signi sit metaphorica, Deoque extrinseca, eo fere modo quo testamentum, quod est signum ultimæ hominis voluntatis, vocatur ultima hominis voluntas.

QUÆRES 2. *Quotuplex numeratur voluntas signi ?*

RESP. Quintuplex, quæ hoc versu comprehendi solet:

Præcipit, et prohibet, permittit, consulit, implet.

Hæc enim omnia a nobis, ut totidem signa voluntatis, spectantur. Nam volumus fieri quod præcipimus, non fieri vero quod vetamus; indirecte velle censemur quod permittimus, cum possumus impedire; volumus et optamus ea quæ consulimus; et tandem id vere volumus quod facimus, sponte scilicet, et non inviti.

QUÆRES 3° *Quomodo voluntas beneplaciti dividatur.*

RESP. 1. Dividitur in antecedentem, et consequentem.

Voluntas antecedens est ea, qua Deus aliquid vult secundum se spectatum, abstrahendo a circumstantiis quæ illi

[1] Matth. 12.

adjungi possunt. Hac voluntate Deus vult omnes homines salvos fieri, quia hoc in se bonum est.

Voluntas consequens est ea, qua Deus aliquid vult simpliciter et absolute, spectatis omnibus circumstantiis particularibus. Hac voluntate Deus vult hominem in impœnitentia finali morientem damnari. Hanc divisionem tradit S. Damas. [1]: *Hoc itidem nosse oportet*, inquit, *Deum primaria et antecedente voluntate velle omnes salvos fieri... quia bonus est... peccantes vero puniri vult, quia justus est. Itaque prima illa voluntas, antecedens dicitur, et beneplacitum cujus ipse causa sit. Secunda autem consequens voluntas et permissio, ex nostra causa ortum habens.*

Resp. 2. Dividitur in absolutam et conditionatam.

Voluntas absoluta est illa, quæ a nulla conditione pendet, et est semper efficax : talis est voluntas de mundo condendo.

Voluntas conditionata est ea, quæ ex aliqua conditione pendet; unde non est semper efficax, quia non semper ponitur conditio requisita, qualis est voluntas qua Deus statuerat Ninivem infra 40 dies subvertere, nisi resipisceret. [2].

ARTICULUS III.

DE PROPRIETATIBUS DIVINÆ VOLUNTATIS.

Nota. Quatuor sunt divinæ voluntatis proprietates, nimirum: *causalitas, efficacia, libertas*, et *omnipotentia*, de quibus sequentibus paragraphis.

§ I.

De causalitate divinæ voluntatis.

CONCLUSIO.

Voluntas Dei est causa rerum imperans.

Prob. 1. Ex Scriptura : Psalm. 113, *Omnia quæcumque vo-*

[1] L. 2. *de fide orthod.*, cap. 29, — [2] Jonæ 3.

luit fecit. Et Ephes., *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

Prob. 2. Duplex tantum est modus agendi, scilicet per naturam et per voluntatem; atqui Deus non agit per naturam. Ergo, etc. *Prob. min.* Agens per naturam ad certum et determinatum finem, certosque effectus, est determinatum; atqui Deus non est sic determinatus, nam *omnia quæcunque voluit fecit;* ergo non est agens naturale; ergo per liberam voluntatem est causa rerum.

Dices 1. D. Thom. [1] docet Deum operari per naturam ergo non agit per voluntatem.

Resp. *dist. ant.* Docet Deum operari per naturam identice, *conc.;* formaliter, *nego.* Id itaque docet D. Thom. ex eo quod intelligere et velle Dei, identificentur essentiæ. Porro, *ibid.* dicit, *Deum agere per voluntatem, non per necessitatem naturæ.*

Dices 2. Ex dictis supra, Deus est causa rerum per scientiam; ergo non per voluntatem.

Resp. *nego conseq.* Deus enim agit per intellectum et voluntatem, quatenus *intellectus est causa dirigens, qua concipitur forma operis; et voluntas est causa imperans, quia forma ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc quod sit, vel non sit in effectu,* ait D. Thom. hic.

Dices 3. Si Deus est causa rerum, rebus volitis necessitatem imponit; falsum conseq. Ergo.

Resp. *Dist. seq. maj.* Imponit necessitatem rebus volitis quibus aptavit causas necessarias, *conc.*, quibus aptavit causas contingentes defectibiles, id est, quæ non habeant eodem modo semper operari, *neg. seq. maj.* Porro Deus quibusdam effectibus aptavit causas contingentes defectibiles; tales sunt actiones humanæ, quæ pendent ab hominum voluntatibus, quæ sunt contingentes, ac defectibiles, ad quas licet concurrat Deus, tamen illis non imponit necessitatem;

[1] Quæst, 19, art. 4, ad 2.

quia concursus Dei séquitur liberam voluntatis creatæ determinationem.

INST. D. Thom. [1] docet necessitatem et contingentiam volitorum repetendam non esse a causis mediis; ergo non est repetenda a causa prima.

RESP. *Nego conseq.* Non enim hoc docuit D. Thom. quod causæ secundæ non sint necessitatis et contingentiæ causæ proximæ, sed quia voluntas divina est prima radix et causa necessitatis et contingentiæ : *Non propterea,* inquit, *effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes; sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit.*

§ II.

De efficacia divinæ voluntatis.

Nota. Quæritur hic utrum voluntas Dei semper impleatur, ita ut effectum semper obtineat, quem intendit.

CONCLUSIO I.

Voluntas signi non semper impletur.

Prob. Quia consilia et præcepta Dei sunt signa divinæ voluntatis; atqui non tantum consilia, sed et præcepta Dei non semper implentur, cum multi contemnant ejus consilia, et mandatis non obediant, PROV. 1. *Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.*

CONCLUSIO II.

Voluntas Dei antecedens, et conditionata, cujus nempe conditio non a solo Deo, sed a libera etiam creatæ voluntatis cooperatione pendet, non semper impletur.

PROB. 1. Deus voluntate antecedente vult omnes salvos fieri, et damnari neminem, *omnes homines vult salvos fieri* [2], et, *nolo mortem peccatoris* [3]. Atqui non omnes homines sal-

[1] Quæst. 19, art. 8. — [2] 1. ad Tim. 2, v. 4. — [3] Ezech. 18, v. 32.

vantur, quia conditionem quæ a Deo simul et a libera humanæ voluntatis cooperatione pendet, homines ex sua parte non implent. Ergo.

PROB. 2. Ex infinitis Scripturæ testimoniis, quibus declaratur Deum aliquid velle, quod tamen, defectu hominis Deo reluctantis, non fit. Ezech. 24 : *Mundare te voluit, et non es mundata a sordibus tuis.* Matth. 23 : *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.* Unde D. Aug. [1] ait : *Deus vult homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistant misericordiæ Creatoris sui.* Ergo, etc.

CONCLUSIO III.

Voluntas Dei consequens et absoluta, tum circa objectum a solo Deo pendens, tum circa liberas hominis actiones, semper impletur, nec illi unquam resistitur.

PROB. PRIMA PARS. Ex Script. Ps. 113 : *Omnia quæcunque voluit fecit.* Esther 13 : *Domine Deus, rex omnipotens... non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.* Atqui in his locis agitur de externis operibus omnipotentiæ divinæ : ergo circa illa, Dei voluntas semper impletur.

PROB. SECUNDA PARS. Ex Script. Isaiæ 46 : *Consilium meum stabit et omnis voluntas mea fiet.* Roman. 9 : *Voluntati ejus quis resistit?* Atqui in his locis agitur de liberis hominis actionibus; ergo circa illas consequens et absoluta voluntas Dei semper impletur.

Hinc D. Aug. [2] dicit : *Neque veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quoniam quidquid vult, potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

DICES : Non potest conciliari humana libertas cum absoluta Dei voluntate circa liberas nostras actiones. Ergo, etc.

[1] L. *de Catechiz. rudibus*, cap. 26. — [2] Enchirid. 96.

Resp. *Nego ant.* Quia voluntas Dei absoluta circa liberas hominis actiones supponit liberam hominis determinationem a Deo conditionate prævisam; qua præsupposita, Deus, pro suo beneplacito, absolute decernit hanc actionem, quare vocatur *voluntas consequens.*

Inst. Necesse est ut homo faciat quod Deus absolute vult ut faciat; ergo cum absoluta Dei voluntate non potest conciliari humana libertas.

Resp. *Dist. ant.* Necesse est necessitate consequente liberam hominis determinationem a Deo ab æterno prævisam, *conc.*; necessitate antecedente, *nego ant.* Porro cum necessitas consequens supponat liberi arbitrii exercitium, non nocet libertati.

§ III.

De libertate divinæ voluntatis.

Nota. Hic non est quæstio de libertate actuum Dei ad intra, quales sunt amor sui, generatio Verbi, etc. Certum est enim ista omnia esse necessaria. *Tota ergo difficultas est,* an Deus sit liber, quando agit circa creaturas, et in quo consistat talis libertas. Itaque sit

CONCLUSIO I.

Deus vere et proprie liber est circa creaturas. Prop. est de fide.

Prob. 1. *Ex Script.* Is enim est vere et proprie liber, qui quod vult, quando vult, et prout vult, facit; atqui Deus ita se habet circa res a se distinctas. Ps. 113: *Omnia quæcumque voluit fecit.* Et Psalm. 93: *Deus ultionum libere egit.* Ergo, etc.

Prob. 2. *Ratione theologica.* Libertas in se spectata, est perfectio simpliciter simplex, omnis expers defectus et imperfectionis; at omne genus perfectionum est in Deo, qui est perfectissimus. Ergo.

Objicies 1. Ille non est liber, qui non potest peccare; atqui Deus peccare non potest. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Peccandi enim facultas ad libertatis naturam non pertinet, sed est ejus defectus, ex imperfectione creaturæ proveniens.

Objicies 2. Ille non est liber, qui non habet indifferentiam ad agendum, vel non agendum; atqui Deus non habet indifferentiam, etc.

Prob. min. Qui semper fuit determinatus ad agendum, vel non agendum, non est indifferens ad agendum, vel non agendum; atqui Deus fuit determinatus ad agendum, vel non agendum. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Qui semper fuit determinatus, non est indifferens, indifferentia passiva et suspensionis, *conc.;* indifferentia activa, *nego maj.;* et similiter ad consequens.

Itaque indifferentia activa est vis ad agendum, vel non agendum, quæ competit ei qui ad certum quid agendum non alligatur; hæc Deo competit. *Indifferentia passiva* reperitur in eo qui, aliquid libere decernens, novum actum immanentem producit ac in se recepit. *Indifferentia suspensionis* reperitur in eo, qui, anceps consilii, quod agat, nondum decrevit: neutra harum Deo competit, in quo nulla est indeliberatio, et inquisitio eorum quæ agenda sunt, et qui, cum sit suus actus et sua volitio, nullum actum novum producit aut in se recipit, cum aliquid libere decernit; ac proinde nulla fit in eo mutatio, sed in creaturis duntaxat, quas de novo producit, vel sanctificat.

Objicies 3. Deus non potest non ponere suam volitionem; ergo vult necessario quæcumque vult.

Resp. *Dist. ant.* Si ille actus sumatur entitative, *conc.;* si sumatur secundum suam terminationem ad creaturas, *nego ant.* Hæc solutio manifesta fiet conclusione sequenti, ad quam remittimus cæteras objectiones.

CONCLUSIO II.

Libertas divinæ voluntatis posita est in entitate divinæ voluntatis, quatenus pro nutu intrinsece connotat objecta extra se posita.

PROB. In eo reponenda est Dei libertas, quod melius ac facilius explicat actum ejus liberum; atqui talis esse videtur modus in nostra conclusione expressus. Ergo.

Prob. min. Ad libertatem Dei duo requiruntur. 1. Ut sit perfectio quædam Deo intrinseca. 2. Ut dicat indifferentiam activam; atqui in nostra sententia hæc duo facile intelliguntur convenire libertati Dei. *Primum* quidem, nam actus liber est ipsa divina voluntas, quæ est perfectio Dei intrinseca. *Secundum* quoque, nam ille actus voluntatis divinæ ita connotat creaturas, ad quas terminatur, ut potuerit illas non connotare, proindeque dicit indifferentiam. Ergo, etc.

OBJICIES 1. Deus non potest libere tendere in objectum per actum entitative necessarium; ergo actus Dei liber non est idem cum actu Dei necessario.

RESP. *Nego ant.* Nam cum actus divinæ voluntatis sit infinite perfectus, potest *necessario* tendere ad quædam objecta, et *libere* in alia.

INSTABIS 1. Idem non potest esse necessarium simul et liberum; atqui actus divinæ voluntatis est necessarius. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Sub eodem respectu, *conc.*; sub diverso, *nego maj.* Porro actus divinæ voluntatis est necessarius quoad entitatem, liber vero quoad terminationem ad creaturas.

INST. 2. Terminatio divinæ voluntatis partim est intrinseca, partim extrinseca, ergo Dei libertas coalescit ex intrinseco ac extrinseco, etc.

RESP. *Nego conseq.* Solum enim respectus intrinsecus illius terminationis libertatem Dei formaliter constituit, quatenus nempe se tenet ex parte voluntatis divinæ, non

quatenus se tenet ex parte creaturarum; ille enim extrinsecus respectus libertatem Dei sequitur; ergo non eam constituit. Quod ut concipiatur

Nota. Terminatio, seu connotatio ad duo pertinet; nempe ad id quod terminat, et ad id quod terminatur : qua parte pertinet ad id quod terminat, est intrinseca; qua parte pertinet ad id quod terminatur, est extrinseca : porro libertas Dei collocata est in ipsa actus entitativi connotatione.

Objicies 2. Si Deus hoc, vel illud connotare possit, non est immutabilis, falsum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Dist. seq. maj.* Non est immutabilis terminative, *conc.;* entitative, *nego.* Porro mutatio terminativa immutabilitati non nocet : res enim ipsa eadem semper manet.

§ IV.

De omnipotentia divinæ voluntatis.

Nota. Per omnipotentiam intelligitur *vis*, seu *potestas infinita producendi omnia possibilia*, id est, omnia quæ non repugnant, aut in se, aut respectu Dei : sic Deus non potest facere, ut quod factum est, non sit factum, quia hoc repugnat in se; item non potest mentiri, quia hoc repugnat respectu Dei.

CONCLUSIO.

Deus est omnipotens. Est de fide.

Prob. Ex Scriptura[1] : *Scio quia omnia potes.* Eccli. 1 : *Deus est altissimus creator omnipotens.* Matth. 14. Christus dicit : *Pater, omnia tibi possibilia sunt.* Ratio est, quia Deus est infinitus; ergo habet infinitam virtutem; atqui infinita virtus idem est ac omnipotentia. Ergo.

Objicies 1. Deus ex quolibet non potest facere quodlibet; nam non potest facere ut lapis videat. Ergo, etc.

[1] Job. 42.

RESP. *Nego ant.* Nam Matth. 3: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.* Ad prob. *Dist.* Non potest facere ut lapis videat, in sensu composito naturæ lapideæ, *conc.;* quia sic esset animal et non esset, quod repugnat. In sensu diviso, *nego.* Potest enim Deus mutare lapidem in animal vivens, et tunc erit capax actionis vitalis immanentis, qualis est visio.

OBJICIES 2. Deus non potest facere alia ab iis quæ vult facere, et actu facit. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* De potentia ordinaria, *conc.;* de potentia absoluta, *nego ant.* Potentia ordinaria spectatur cum decreto, vi cujus non potest facere quæ non facit, cum nihil possit fieri sine decreto. Potentia absoluta spectatur seorsim a decreto, per quam potest alia facere, quam quæ fecit.

INST. 1. Potentia et voluntas non distinguuntur in Deo; ergo Deus non potest plura facere, quam quæ vult.

RESP. *Dist. ant.* Non distinguuntur realiter, *conc.;* virtualiter, *nego ant.* Fundant enim diversos conceptus; nam voluntas concipitur ad instar facultatis decernentis et præcipientis; omnipotentia vero ad instar facultatis exequentis, unde vocatur in Scriptura, *manus, brachium,* etc.

INST. 2. Deus [1] sic alloquitur Lot: *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc;* ergo non potest omnia

RESP. *Dist. conseq.* Non potest potentia ordinaria, *conc.;* potentia absoluta, *nego.* Deus potentia absoluta potest quidquid non implicat contradictionem, sed potentia ordinaria non potest, nisi quæ statuit; porro Deus statuerat non opitulari Lot, nisi post illius egressum e Sodomis.

ARTICULUS IV.

DE OBJECTO DIVINÆ VOLUNTATIS.

Nota. Hic investigandum habemus. 1. Quodnam sit ob-

[1] Genes. 19.

jectum divinæ voluntatis. 2. Quomodo Deus velit et amet seipsum et creaturas. 3. An Deus velit mala. 4. An velit omnium salutem.

§ I.

Quodnam sit objectum divinæ voluntatis?

Nota. Objectum divinæ voluntatis est id omne quod habet rationem boni; illud autem objectum, aliud est *primarium* et *motivum,* ad quod divina voluntas principaliter fertur, et propter quod fertur ad cætera. Aliud est *secundarium* et *terminativum,* ad quod secundario fertur et in ordine ad aliud.

CONCLUSIO.

Objectum primarium et motivum divinæ voluntatis est ipsemet Deus; objectum vero secundarium et terminativum sunt omnes creaturæ, tum in aliqua temporis differentia existentes, tum mere possibiles.

PROB. PRIMA PARS. Illud est objectum primarium et motivum divinæ voluntatis, quod est summum bonum, et ratio volendi et amandi cætera; atqui Deus est summum et infinitum bonum, estque una et tota ratio amandi cætera bona, juxta illud Prov. 16: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus,* Ergo etc.

PROB. SECUNDA PARS. Quia voluntas Dei cum sit infinita, fertur in illud omne quod habet bonitatem; atqui omnes creaturæ in aliqua temporis differentia existentes habent aliquam bonitatem actualem, et possibiles bonitatem possibilem; ergo sunt objectum divinæ voluntatis, et divini amoris; atqui non sunt objectum primarium et motivum, nam Deus illas amat propter semetipsum; ergo sunt secundarium et terminativum. Hinc D. Thom.[1] ait: *Deus vult... ea quæ sunt vel possunt esse bona.*

[1] Lib. 3. *Contra gentes,* cap. 84.

§ II.

Quomodo Deus amet seipsum et creaturas?

Nota. Duplex distinguitur amor, nimirum amor *complacentiæ*, qui est inefficax et necessarius; et amor *benevolentiæ*, qui est efficax et liber.

CONCLUSIO I.

Deus seipsum amat necessario amore complacentiæ.

PROB. Summum bonum clare et intuitive visum, necessario amatur; sed Deus suam summam bonitatem videt clare, intuitive, imo comprehensive; ergo seipsum amat necessario; non quidem *amore benevolentiæ*, quia nihil suæ perfectioni addit per suum amorem; ergo *amore complacentiæ*, quo sibi complacet in propria sua bonitate, seu perfectione infinita.

CONCLUSIO II.

Deus amat creaturas possibiles amore complacentiæ et inefficaci; creaturas vero, in aliqua temporis differentia existentes, amat amore benevolentiæ et efficaci.

PROB. PRIMA PARS. Ille creaturas amat amore simplicis complacentiæ, qui sibi complacendo in earum possibilitate, nihil statuit circa earum existentiam; atqui sic se habet Deus circa creaturas mere possibiles; ergo illas amat amore simplicis complacentiæ, et quidem eadem necessitate, qua amat suam omnipotentiam, in qua tanquam in causa continentur.

PROB. SECUNDA PARS. Illas creaturas Deus amat amore benevolentiæ, quibus libere vult et confert aliquod bonum; atqui Deus, etc., cum velit eas esse et conservari, quod potuisset non prædefinire. Ergo.

OBJICIES CONTRA PRIMAM PARTEM. Possibilia sunt pure nihil; atqui Deus non potest amare pure nihil. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj*. Possibilia sunt pure nihil, in se, *conc.*;

in potentia Dei, in qua continentur, et a qua non distinguuntur, *nego maj*. Ideo quando Deus amat possibilia, amat suam potentiam, in qua sibi complacere concipitur.

Inst. 1. Amare est velle et conferre bonum amato : sed Deus nullum vult, nec confert bonum possibilibus. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj*. Amare amore benevolentiæ, *conc.;* amore simplicis complacentiæ, *nego maj.;* ad hunc enim amorem sufficit approbatio quædam et complacentia in objecti amati bonitate qualiscumque sit.

Inst. 2. Illa simplex complacentia non est actus voluntatis, sed intellectus approbantis naturas rerum; ergo non est verus amor.

Resp. *Nego ant.* Nam illa complacentia est verus voluntatis actus, sequens ad judicium intellectus.

Inst. 3. Omnis actus voluntatis Dei est efficax, juxta illud Psalmistæ : *Omnia quæcumque voluit, fecit*. Atqui simplex complacentia est actus inefficax. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj*. Textus enim ille intelligitur de voluntate Dei efficaci, et libere se determinante; actus vero simplicis complacentiæ est inefficax et necessarius.

Inst. 4. Deus non amat necessario creaturas possibiles. Ergo.

Resp. *Nego ant*. Nam si Deus vellet contingenter res possibiles, posset facere ut non essent possibiles, eodem modo, quo potuisset facere, ut res futuræ non essent futuræ, eo quod contingenter illas vult futuras; atqui falsum et impossibile consequens. Ergo, etc.

Prob. ant. Deus non amat necessario, nisi summum bonum, sed possibilia non sunt summum bonum. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min*. Non sunt summum bonum, ut considerantur in se, *conc.;* ut considerantur in potentia divina, a qua non distinguuntur, *nego*. Sic enim considerantur entitative, non terminative solummodo.

§ III.

An Deus velit mala?

Nota 1. Triplex est mali genus: nimirum *naturæ, pœnæ*, et *culpæ*.

Nota. Aliquis duplici modo potest aliquid velle, nempe, 1. *directe et per se*, quando illud vult ratione sui ipsius; 2. *indirecte et per accidens*, quando illud vult ratione alterius, in quod directe fertur.

CONCLUSIO I.

Neque mala naturæ, neque mala pœnæ Deus vult per se directe, bene vero per accidens et indirecte.

PROB. PRIMA PARS. Deus non vult directe et per se, nisi quod habet rationem boni; atqui mala naturæ et pœnæ, quia talia, nullam habent rationem boni, cum mala naturæ sint defectus naturæ, et mala pœnæ ex peccato originem trahant. Ergo.

PROB. SECUNDA PARS. Ut Deus dicatur indirecte, et per accidens, velle mala naturæ et pœnæ, satis est, quod per se et directe velit aliquid positivum, cum quo ista mala conjuncta sint; atqui Deus vult directe et per se aliquid positivum, cum quo mala naturæ et pœnæ sunt conjuncta: sic, v. g., vult servari naturæ ordinem, quocum aliqui naturæ defectus conjunguntur; item vult justitiam suam servari, quod sine irrogatione pœnæ non potest fieri. Ergo, etc. Hinc Scriptura dicit: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus* [1]; et, *bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt* [2]. Qui textus non possunt intelligi, nisi de malis naturæ et pœnæ.

CONCLUSIO II.

Deus nulla ratione vult mala culpæ, licet illa permittat.

Propositio est de fide definita a Concil. Tridentin. [3] his

[1] Amos 3, v. 6. — [2] Eccl. 11, v. 14. — [3] Sess. 6, can. 6.

verbis : *Si quis dixerit non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum... anathema sit.*

Prob. 1. Ex Script. Psalm. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Et Jac. 1 : *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur ; Deus enim intentator malorum est.*

Prob. 2. Deus neque directe et per se, neque indirecte et per accidens vult peccatum; ergo nullo modo, etc.

Prob. prima pars. ant. Si Deus vellet peccatum directe et per se, vel appeteret malum quatenus malum, vel appeteret malum sub ratione boni; atqui neutrum dici potest, etc. *non primum,* quia sic non est appetibile ; *non secundum,* quia Deo res apparent tales, quales sunt. Ergo.

Prob. secunda pars ant. Velle aliquid indirecte et per accidens, est illud velle per aliquid positivum, cui necessario conjunctum est; atqui Deus non sic vult peccatum; nam non posset velle malum culpæ per aliquid positivum, v. g., per entitatem peccati, cum qua necessario conjunctum esset, quin vellet malitiam peccati, nos enim ita solummodo eam volumus; atqui Deus non potest velle malitiam peccati; ergo, ut concludit Div. Thom. [1] *malum culpæ, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult.*

Dixi in Prop. *Licet ea permittat :* quia ut ait D. August. [2] *non fit aliquid, nisi Omnipotens velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.*

Nec dicas, Deum male agere permittendo peccatum quod non potest impedire.

Resp. enim cum D. Aug. [3] : *Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcumque fiunt male : non enim hoc, nisi justo judicio sinit : et profecto bonum est, quod justum est.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. Deus vult et amat potentiam peccandi; ergo vult saltem indirecte peccatum.

[1] Quæst. 19, art. 9, in corp. — [2] In Enchiridio, cap. 95. — [3] Ibidem, cap. 96.

Resp. *Dist. ant.* Amat potentiam peccandi, secundum substantiam, *conc.;* secundum ejus defectum, *nego ant.* neque enim peccandi facultas ad libertatis naturam pertinet, sed est defectus proveniens ex ejus limitatione.

Inst. 1. Deus amat quidquid connexum est cum sua omnipotentia; atqui entitas peccati connexa est cum Dei omnipotentia. Ergo.

Resp. 1. *Retorq. arg.* Deus amat quidquid connexum est cum sua scientia; atqui peccatum formaliter connexum est cum Dei scientia. Ergo. Ideo,

Resp. 2. *Nego maj.* Neque enim Deus amat quidquid connexum est cum sua omnipotentia, qualis est entitas peccati: nam licet velit permissionem peccati, peccatum tamen, quod ex ea sequitur, et quod detestatur, non vult, nequidem interpretative, si non teneatur impedire, uti non tenetur.

Inst. 2. Deus amat quidquid vult facere; atqui vult facere peccati entitatem. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus amat quidquid vult facere, suo nomine, aut ad quod impellit, aut cujus agendi vim imprimit, *conc.;* quod facit tantum ex conditione causæ universalis, *nego maj.* Itaque Deus non concurrit ad entitatem peccati tanquam causa particularis quæ se determinet per se ad talem actum, sed ad illam concurrit tantum ut causa universalis quæ per accidens tantum se determinat ad talem actum, quatenus scilicet constituit dare concursum omnibus causis secundis; porro quidquid Deus vult ex munere causæ universalis, illud non tam vult, quam non vult impedire ne fiat.

Inst. 3. Atqui Deus impellit ad entitatem peccati. Nam [1], dicitur quod Herodes, Pilatus, et populus Israel, *Convenerunt adversus puerum tuum Jesum, facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.* Ergo.

[1] Act. 4.

Resp. *Nego ant.* Ex textu sequitur quidem, quod Deus voluerit redemptionem hominum per mortem Christi; sed non sequitur, quod voluerit peccatum quod Judæi interficiendo Christum patrarunt, quorum propensam ad malum voluntatem potius ad Deicidium ferri permisit, ob finem et rationes quas divina providentia sibi præscripsit.

Inst. 4. Qui vult absolute effectum, censetur velle illius causam; atqui Deus voluit absolute redemptionem hominum per mortem Christi; ergo censetur voluisse Deicidium.

Resp. *Dist. maj.* Censetur velle illius causam, quando illius causa unica potest esse, *conc.*; quando illius causa esse potest multiplex, *nego maj.* Porro redemptio hominum poterat per alias causas evenire, nempe per mortem Christi vi amoris causatam, vel alio quocumque modo.

Objicies 2. Rom. 9, Deus Pharaoni dicit : *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Ergo, inquit Calvinus, Deus excitavit Pharaonem ad peccandum, ad hoc ut illum puniret.

Nota. Apostolus citat Scripturam [1], ubi, loco istius vocis, *excitavi te*, legitur, *posui te*, nempe super thronum, in Hebræo legitur, *stare feci te*, in LXX, *et propter hoc conversatus es.* Hoc notato

Resp. *Nego conseq.* Sensus enim hujus textus est, quod Deus excitaverit Pharaonem prævidens futurum eum impium et puniendum, unde textus non est intelligendus de mandato, sed de permissione peccatorum.

Inst. Atqui Scriptura intelligenda est de mandato peccatorum; dicitur enim, [2]. *Induravitque Dominus cor Pharaonis;* atqui indurare cor hominis, est velle ut homo peccet. Ergo, etc.

Resp. *Nego subsumpt.* Ad argumentum, *dist. min.*; indurare positive, *conc.*; negative, *nego min.* nam, ut ait August. [3], *non*

[1] Exod. 9. — [2] Exod. 9. — [3] Epistol. 105.

obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam, subtrahendo nempe gratiam specialem et uberiorem ob peccata præterita, qua subtracta, homo frequentius cadit, nec resurgit.

OBJICIES 3. Ps. 104, dicitur Deum convertisse Ægyptios ad odium Israelitarum : *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus.* Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Deus convertit Ægyptios in odium Israelitarum occasionaliter, *conc.;* positive, *nego ant.* Ex eo enim quod Deus Israelitas multiplicaverit in Ægypto, inde Ægyptii sumpserunt occasionem illos odio habendi.

§ IV.

An Deus velit omnium salutem; et an Christus mortuus sit pro salute omnium?

Nota 1. Has duas quæstiones conjungimus, quia inter se ita connexæ sunt, ut separari a se invicem nullatenus possint; de fide enim est Patrem æternum voluisse ut Christus moreretur pro salute eorum omnium, quos ipse Pater vult salvari, et Christum omnem Patris voluntatem implevisse. *Descendi de cœlo,* inquit, *non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*

Nota 2. Et recole ex dictis, voluntatem aliam esse *signi,* aliam *beneplaciti,* quæ vel est *antecedens* et conditionata, nec semper habet suum effectum; vel *consequens,* quæ absoluta est, semperque efficax.

Nota 3. Cum quæritur utrum Deus velit omnes salvos fieri, non est quæstio, 1. utrum in statu naturæ innocentis, Deus voluntate beneplaciti antecedente, voluerit omnium salutem; neque 2. utrum etiam in statu naturæ lapsæ Deus id velit voluntate signi, aut voluntate simplicis complacentiæ, otiosæ et sterilis; id enim fatentur omnes hæretici; sed

[1] Joann. 6.

Quæstio est, utrum Deus antequam, secundum nostrum concipiendi modum, præviderit merita aut peccata hominum, omnes salvos fieri velit voluntate sincera et activa, conditionata tamen, scilicet modo in gratia moriantur. Negarunt olim Prædestinatiani, dicentes ex hominibus alios ad gloriam, alios vero ad sempiternum exitium, sola Dei voluntate, ab æterno destinatos fuisse; quem errorem renovarunt Calvinus [1] et Jansenius [2]; affirmant vero omnes Catholici.

Nota 4. Cum quæritur utrum Christus sit mortuus pro omnibus, quæstio non est: utrum Christus moriendo sufficiens pretium pro omnibus obtulerit : id enim fatentur omnes; sed quæstio est : utrum Christus voluntate, non quidem absoluta et consequente, sed conditionata et antecedente, voluerit omnibus et singulis hominibus ad salutem prodesse sanguinem suum, illumque in hunc finem Deo Patri obtulerit. Negant Calvinus [3] et Jansenius [4], cum hac differentia, quod Calvinus doceat nullis reprobis ullam gratiam ex meritis Christi concedi; e contra Jansenius, licet doceat Christum non magis pro reproborum salute sanguinem suum fudisse, quam pro salute Diaboli, fatetur tamen multis reprobis, propter merita mortis Christi, conferri fidem et justificationem, in qua non possunt perseverare. Contra quos sit

CONCLUSIO I.

De fide est Deum vera et sincera voluntate beneplaciti, velle alios salvos fieri quam prædestinatos.

Prob. 1. Ex isto celebri testimonio [5] : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ex quo sic argumentor : De fide est, Deum vere et sincere velle ut omnes qui credunt in Christum, habeant vitam æternam; atqui

[1] L. 1 instit., cap. 24. — [2] L. 3 *de gratia Christi*, cap. 20. — [3] In Epist. 1 Joann., c. 2. — [4] L. 3 *de gratia Christi*, c. 21. — [5] Joann. 3.

non omnes, qui credunt in Christum, sunt prædestinati. Ergo.

Prob. 2. Fuit in Deo vera et sincera voluntas salvandi Apostolos, juxta illud [1] : *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Atqui tamen Judas, qui erat unus ex eis, non erat prædestinatus. *Quos dedisti mihi,* inquit Christus [2], *custodivi : et nemo ex his periit, nisi filius perditionis.* Ergo de fide est Deum velle sincere salvare alios, quam prædestinatos. Decretorium est illud testimonium , nec illius vim eludere possunt Janseniani.

Dicunt quidem Judam non fuisse unum ex eis quos Deus Christo dederat, ut vitam æternam haberent; sed

Contra est interpretatio omnium Patrum. Div. August. [3] qui in hæc verba : *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo,* ait : *Quanquam et hæc omnia de futuris omnibus fidelibus dici potuerunt... sed ut de his solis, quos tunc habebat discipulis, hæc loqui intelligatur, illud magis urget quod paulo post ait :* Cum essem cum eis, servabam eos in nomine tuo ; quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur, *Judam significans, qui tradidit* eum : *ex isto quippe duodenario numero Apostolorum solus periit.*

Et D. Cyrill. Alex. [4] hæc ait : *Suos discipulos ita servasse ait... ut nemo, præter unum, perierit.* Et in hæc verba : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, illic sint,* ait : *Volo igitur, o Pater, ut qui ad te per fidem accedunt, et qui per tuam illuminationem mei facti sunt* (id est fideles), *mecum sint, et meam claritatem videant.* Ergo omnes fideles Deus dedit Christo ; ergo sincere vult ut omnes salventur.

[1] Joann. 6, v. 39. — [2] Joann. 17, v. 22. — [3] Tract. 105 in Joann., cap. 17. — [4] L. 11 Commentar. in Joann.

CONCLUSIO II.

Deum velle sincere salutem omnium omnino hominum, nullo excepto, si non est expresse de fide, certe est fidei proximum et catholicum, cui nihil deest ut sit expresse de fide, præter expressam et publicam Ecclesiæ definitionem.

Prob. 1. Illa propositio est catholica et saltem fidei proxima, cui tum Scriptura, tum SS. Patrum et Conciliorum traditio, tum universæ Scholæ consensus suffragatur; atqui talis est nostra propositio. Ergo, etc.

Prob. min. 1. Ex Script. [1]: *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Atqui hanc Dei voluntatem extendi ad omnes et singulos homines, probant, tum votum Apostoli monentis ut fiant *orationes pro omnibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt,* licet fuerint Pagani, et in paganismo obierint, quia *bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri;* tum ratio, quam illius Dei voluntatis reddit, quia nimirum *unus est Deus, unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ergo sicut Apostolus monet *fieri orationes pro omnibus hominibus;* sicut Deus omnium omnino hominum, nullo excepto, Deus est; ita et omnium Salvator et Redemptor; ita vult omnes omnino et singulos homines salvos fieri.

Ezech. 36 : *Vivo ego,* dicit Dominus, *nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, et vivat.* Atqui si vel unum Deus nollet salvari, vellet ejus mortem, id est æternam damnationem. Ergo. Sunt infiniti textus hujusmodi quos, brevitatis causa, omittimus.

Prob. 2. Ex Concil. Carisiaco [2] : *Deus omnipotens omnes homines, sine exceptione, vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.*

[1] 2 ad Timoth. 2. — [2] Gallice, *Crecy*, in Picardia.

PROB. 3. Ex Patribus, inter quos sufficiat unus August. quem ad suas partes trahere nituntur Janseniani; Lib. De Spir. et litt., cap. 33; quærit si bona voluntas, qua creditur, sit donum Dei, quare non detur omnibus, cum *omnes homines vult salvos fieri?* etc. Respondet : *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, justissime judicentur; quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt : nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.* Ibi loquitur de iis qui, non credentes, faciunt contra voluntatem Dei, cui per liberum arbitrium et resistunt et justam sibi damnationem acquirunt.

PROB. 4. De consensu Scholasticorum, inter quos duos refero : Magistrum nempe Sententiarum, qui in collectaneis in Epist. Pauli, quærit : *Si Deus, qui omnipotens dicitur, omnes homines vult salvos fieri, cur non impletur hæc ejus voluntas?* Respondet : *In hac locutione sensus et locutio latet; unde Petrus ait : Omnis Scriptura indiget interpretatione. Vult ergo Deus omnes salvos fieri, si accedant ad eum : non enim sic vult ut nolentes salventur, sed vult eos salvari, si et ipsi velint.* En voluntas Dei conditionata clare et nitide expressa, conditione se tenente ex parte creaturæ; ergo Deus, quantum est ex se, vult omnes et singulos salvos fieri. Et Div. Thom. [1] dicit textum Apostoli : *Deus vult omnes salvos fieri,* intelligi *de voluntate antecedente, non de consequente.* — Et in cap. 12 Epist. ad Hebræos, ait : *Vult omnes salvos fieri; et ideo gratia Dei nulli deest; sed omnibus, quantum in se est, se communicat.* En voluntas beneplaciti antecedens, actuosa, clarissime expressa, pro omnibus, nullo excepto.

[1] Quæst. 13, art. 9, ad 1.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Hæc Apost. verba : *Deus vult omnes salvos fieri,* significant tantum voluntatem signi ; ergo Deus non vult sincere, et voluntate beneplaciti, omnes salvos fieri.

RESP. *Nego ant.* Tum quia illa verba in sensu proprio significant voluntatem beneplaciti, qua Deus vere et sincere vult et desiderat salutem omnium et singulorum, tum quia illa voluntas est beneplaciti, vi cujus destinavit omnibus redemptorem, eisque præparavit media, quibus salvari possent, ita ut sola sua culpa non salventur; atqui Deus, vi voluntatis salvandi omnes, *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; omnibusque et singulis præparavit media salutis æternæ consequendæ sufficientia; gratias nempe vere sufficientes, quibus saluti suæ consulere possent, ut fuse probabimus tomo 3 *de Gratia,* cap. 3. Unde Œcumenius[1] ait : *Si ergo Deus vult, quare non fit quod vult ? Non fit, quia illi nolunt.*

OBJICIES 2. D. August. generalem Dei voluntatem omnes et singulos homines salvandi, damnat in Pelagianis et semi-Pelagianis. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Voluntatem Dei generalem damnat in sensu perverso Pelagianorum, *conc.;* absolute et in se, *nego.* Est enim propositio vera et catholica.

Itaque Pelagiani et semi-Pelagiani docebant 1. Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, solis nempe liberi arbitrii viribus; quod tanquam falsum reprobat Div. Aug., sed nusquam negavit Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint per gratiam suam : *Verum est omnino,* ait[2], *omnes homines hoc posse, si velint, sed præparatur voluntas a Domino.*

2. Docebant Deum velle indifferenter, seu æqualiter omnium hominum salutem, ita ut nulla sit Dei specialis voluntas erga electos. Quod recte damnavit D. Aug. ex hoc

[1] In cap. 2 Epist. 1, ad Timoth. — [2] Lib. 1 retract., c. 10.

Apostoli [1] : *Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium.*

INST. 1. Atqui Div. Aug. generalem Dei voluntatem salvandi omnes et singulos damnavit absolute, et in se. Ergo.

Prob. sub. Div. August. *Enrichid.* [2], ista verba Apost. : *Vult omnes salvos fieri,* exponit : 1. Per distributionem accommodam negativam, hoc sensu, *quod nullus salvus fiat, nisi quem* (Deus salvus fieri) *velit.* 2. Per distributionem accommodam affirmantem de generibus singulorum, non de singulis generum, hoc sensu, quod Deus quosdam homines ex omnibus nationibus et conditionibus salvari velit. 3. Exponit de voluntate causali, ita ut dicatur, *quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle,* et, quantum possumus, procurare. Atqui omnes illæ expositiones omnino sunt alienæ ab illa voluntate generali, quæ omnes et singulos complectitur; ergo illam voluntatem in Deo non agnoscit D. Doctor.

RESP. *Dist. min.* Sunt alienæ a generali Dei voluntate salvandi omnes, quam non excludunt, *conc.;* quam excludunt, *nego min. et conseq.*

Itaque D. Aug. agens hic contra Pelagianos, qui docebant voluntatem Dei absolutam frustrari posse ab hominibus, apposite ad eorum mentem, istam sententiam : *Deus vult omnes salvos fieri* (ex suppositione quod intelligatur de voluntate absoluta et efficaci ex parte Dei), exponit non de singulis generum, sed de generibus singulorum, ita ut Deus quosdam homines ex omnibus regionibus et conditionibus, absolute velit salvari, quæ voluntas efficax salvandi electos, non excludit voluntatem sinceram, licet inæqualem, salvandi omnes omnino homines, nullo excepto; tum quia eam aliis in locis admittit; tum quia hic de illa Apost. sententia, ait : *Quocumque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum vo-*

[1] 1 ad Tim. 4. — [2] cap. 103.

luisse fieri, voluntate scilicet efficaci, *factumque non esse.*

INST. 2. Ex div. August. [1] : *Omnipotentis voluntas Dei semper invicta est.* Atqui tamen omnes non salvantur; ergo Deus non vult omnes salvari.

RESP. *Dist. ant.* Voluntas Dei absoluta et consequens, *conc.;* conditionata et antecedens, *subdist.* Invicta est, hoc sensu, quod qui antecedenti voluntati Dei omnes salvandi resistunt, incidunt in ordinem voluntatis consequentis eos damnandi, qui salutem æternam omnibus oblatam respuunt, *conc.;* hoc sensu, quod voluntas antecedens semper impleatur ratione salutis, quam proxime intendit, *nego ant.* Ita D. Aug. [2] : *Infideles,* inquit, *contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt : nec ideo tamen eam vincunt... experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt, ita voluntas Dei semper invicta est.*

INST. 3. Deus non potest simul velle et non velle salutem hominis; atqui si admittatur illa duplex voluntas antecedens et consequens in Deo, Deus vult et simul non vult salutem ejusdem hominis. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Sub eodem respectu, *conc.;* sub diverso, *nego.* Voluntas itaque antecedens spectat salutem hominis in se præcise considerati, præcisione facta omnium circumstantiarum consensus vel dissensus, meriti vel demeriti, etc., voluntas vero consequens spectat salutem ejusdem hominis spectatis circumstantiis meriti vel demeriti, ita ut Deus velit absolute salvare hominem in gratia morientem, et damnare eum qui in peccato mortali moritur.

INST. 4. Ergo voluntas antecedens versatur circa salutem hominis, præcisis omnibus circumstantiis; atqui peccatum originale est circumstantia hominis; ergo voluntas illa abstrahit a peccati originalis prævisione.

RESP. *Dist. ant.* Præcisis omnibus circumstantiis persona-

[1] Ibid. cap. 102. — [2] L. *de Spiritu et littera,* c. 33.

libus, *conc.;* naturæ communibus, *nego maj*. Atqui peccatum originale est circumstantia hominis, toti naturæ communis, *conc.;* est circumstantia hominis personalis, *nego min.* Porro Deus hominem salvandum considerat quatenus est obnoxius peccato toti naturæ humanæ communi, quo supposito, vult eum salvum fieri voluntate antecedente prævisionem ejus meritorum vel demeritorum.

Objicies 2. S. Fulgentius [1] arguit Pelagianos et semi-Pelagianos, quod hanc sententiam : *Omnes homines vult salvos fieri,* intelligerent de voluntate generali salvandi omnes homines. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Quod hanc sententiam intelligerent de voluntate generali, æqualiter efficaci erga reprobos et prædestinatos, *conc.;* inæquali et inefficaci, *nego ant.* Admittebant itaque Pelagiani et semi-Pelagiani voluntatem in Deo salvandi omnes omnino homines æqualem et efficacem ex parte Dei, ex quo sequebatur voluntatem Dei efficacem suo effectu frustrari in omnibus qui non salvantur, quod falsum et absurdum est, ut demonstrat D. Fulgent.

Inst. 1. Illa voluntas Dei, si non sit efficax, est simplex velleitas; atqui velleitas est Deo indigna. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Nam illa voluntas, licet non sit efficax, est tamen sincera, ex qua in homines defluunt media sufficientia ut salutem æternam possint consequi, ita ut per Deum non stet, ut effectus dependens ab hominis arbitrio, non ponatur.

Inst. 2. D. Thom. [2] asserit quod voluntas illa antecedens, *magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas.* Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Potest dici velleitas, comparate ad voluntatem absolutam et consequentem quæ semper impletur, *conc.;* absolute et in se, quasi esset in Deo mera circa salutem reproborum complacentia, *nego ant.* Sese explicat D. Thom. hic, et lib. *Contra gentes* c. 159 : *Deus, quantum*

[1] L. 2 *de Incarnat. et gratia*, cap. 29.— [2] 1 p., q. 19, art. 6, ad 1.

est in se, inquit, *paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri*. Ergo ex D. Thom. illa voluntas non est otiosa et sterilis; ergo non est simplex velleitas, sed est sincera voluntas, licet inefficax.

Inst. 3. Voluntas inefficax derogat omnipotentiæ divinæ; ergo repugnat Deo. *Resp. nego ant.*

Prob. ant. Voluntati Dei inefficaci resistit homo pro suo libero arbitrio; ergo voluntas inefficax derogat omnipotentiæ divinæ; *ita Janseniani.*

Resp. *Nego conseq.* Quæ potest retorqueri in adversarios; illi quippe admittunt pro statu innocentiæ veram et sinceram in Deo voluntatem salvandi omnes : *Habuit igitur*, ait Jansenius [1], *Deus generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes, ex qua, quantum in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est*. Atqui tamen inefficax fuit, illi enim restitere mali angeli, cæteris in accepta justitia perseverantibus; ergo, si velint consequenter loqui, debent dicere, in illo priori statu fuisse derogatum omnipotentiæ divinæ, vel fateri voluntatem inefficacem, quæ non impletur defectu alicujus conditionis ex parte creaturæ, nihil derogare omnipotentiæ divinæ.

Objicies 3. Saltem Deus non vult vere et sincere salvos fieri infantes, qui prius in utero materno exstinguuntur, quam possit ipsis applicari Baptismus. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Cum D. Aug. [2] qui exponens sententiam Apostoli : *Omnes homines vult salvos fieri*, dicit : *Numquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est: omnes homines?* Porro, ut hæc generalis voluntas Dei erga illos infantes admittatur, sufficit, quod pro illis remedium salutis instituerit, et paratus sit, quantum est ex se, illud ipsis procurare, nisi obstaret naturalis causarum secundarum ordo, qui mortem infantis postulat; unde non penes

[1] L. 10 *de Grat. Christi*, c. 1.— [2] L. 4 *contra Jul*, c. 8.

Deum stat, quominus salventur dicti infantes, sed penes causas secundas, quarum ordinem inperturbare tanquam generalis provisor non vult, nec tenetur, ut docet D. Thom.[1]. Sed de hoc argumento fusius in tractatu *de Gratia*.

CONCLUSIO III.

Christus non est mortuus pro salute duntaxat prædestinatorum; sed mortuus est etiam pro aliquibus reprobis, nempe pro omnibus saltem fidelibus.

Prob. 1. Ex Summis Pontificibus Innoc. X et Alex. VII, qui, constitutione ab universa Ecclesiæ recepta, hanc prop. Jansenii : *Semi-Pelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, damnarunt tanquam falsam, temerariam, scandalosam; et, intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, damnarunt tanquam impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem : et hæreticam; ergo hæc ejus contradictoria, *Christus non est mortuus pro solorum prædestinatorum salute*, est dogma fidei.

Prob. 2. Ex Symbolo Nicæno, ubi de Christo dicitur : *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis, homo factus est, passus est, etc.* Ex quo sic argumentor : De fide est Christum mortuum esse pro omnibus qui exprimuntur his vocibus : *Propter nos; propter nostram salutem*. Atqui his vocibus saltem omnes omnino fideles exprimuntur; ergo de fide est Christum mortuum esse pro omnium saltem fidelium æterna salute. *Prob. min.* Quia omnes omnino fideles tenentur credere fide divina omnia in isto Symbolo contenta : ergo eadem fide tenentur credere Christum pro æterna sua salute mortuum esse.

[1] In 4, dist. 6, art. 1, ad 1.

CONCLUSIO IV.

Christus pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto, mortuus est.

PROB. *Conclusio*, quæ, si non est expresse de fide, certe est fidei proxima et catholica, cui nihil deest, ut sit expresse de fide, præter expressam et publicam Ecclesiæ definitionem.

PROB. inquam, 1. ex Script. [1] Apostolus ait : *Charitas Christi urget nos : æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt : et pro omnibus mortuus est Christus.* Decretorium est illud testimonium, juxta quod pro omnibus illis mortuus est Christus, qui mortui sunt in Adamo; atqui omnes et singuli (excepta sola B. M. V.) mortui sunt in Adamo. Ergo, etc. Pessime concluderet Apostolus omnes mortuos esse in Adam, ex hoc quod unus mortuus sit pro omnibus, si vel unus esset, pro quo Christus mortuus non esset. Unde S. Aug. Julianum negantem peccatum originale, sic [2] insectatur : *Probavit Apostolos omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus, impingo, inculco, infercio recusanti : accipe, salubre est; nolo moriaris, unus pro omnibus mortuus est.*

PROB. 2. Ex Concil. Carisiaco, [3] *Nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit* Christus, *licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur.* Et Conc. Trident. [4] ait : *Hunc* (Christum) *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed iis dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Ergo non solum pro electis, sed et pro omnibus reprobis mortuus est.

PROB. 3. Ex Div. August., enarratione in psal. 95, hæc

[1] 2 Cor. 5. — [2] Lib. 6, cap. 4. — [3] Cap. 4. — [4] Sess. 6, cap. 2 et 3 *de Justif.*

verba referens : *Judicabit orbem terrarum in æquitate*, ait.: *non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Ergo pro iis omnibus mortuus est, quos judicaturus est; atqui omnes et singulos, nullo excepto, judicaturus est. Ergo.

L. 20, *de Civit. Dei*, cap. 6, ait : *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nullo prorsus excepto, et pro omnibus mortuis, vivus mortuus est unus, id est, nullum habens omnino peccatum.* Ergo mortuus est pro omnibus mortuis; atqui omnes mortui sunt, nullo excepto. Ergo.

L. 1, Operis imperfecti, contra Julian. cui cum dixerit: *Omnes, pro multis sumi*, respondet Aug.: *Ad hoc jam responsum est, non repugnare omnibus multos, quia ipsi omnes, non pauci, sed multi sunt... Hinc te exue si potes, quod unus pro omnibus mortuus est, et aude dicere non omnes esse mortuos, pro quibus mortuus est Christus, cum statim tibi Apostolus fauces premat, et opprimat audacissimam vocem quid sequeretur ostendens et dicens, ergo omnes mortui sunt... ibi sunt et parvuli, quia pro ipsis Christus mortuus est, qui propterea pro omnibus mortuus est, quia omnes mortui sunt, etc.*

Prob. 4. Ex Scholæ Theologis. Magister [1] docet : *Unus est mediator Dei et hominum... qui dedit redemptionem semetipsum; in hoc indicatur omnes velle salvare : dedit, dico, pro omnibus, nullum excipit, qui velit omnes.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. Christus [2] dicit se venisse *dare animam suam redemptionem pro multis*. Ergo non pro omnibus.

Resp. *Nego conseq.* Nam, ut vidimus ex Div. Aug. ista vox *multis* supponit pro *omnibus, quia*, inquit, *ipsi omnes non pauci, sed multi sunt*. Unde Apost., Rom. 5, voces illas *multi* et *omnes*, promiscue usurpat ad unum et idem significandum. *Sicut per unius delictum*, inquit, *in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines*

[1] *In collectaneis in Epist. S. Paul.* — [2] Matth. 20.

in justificationem. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituuntur multi. Hic *multi* et *omnes* idem evidenter significant.

INST. 1. Christus [1] testatur se mortuum esse pro solis electis : *Animam meam pono pro ovibus meis.* Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Testatur se mortuum esse pro solis electis, quoad efficacem meritorum Christi applicationem, et assecutionem vitæ æternæ, *conc.;* quantum ad sufficientem mortis Christi oblationem pro omnium salute, *nego ant.* Dicit enim Christus se animam ponere pro ovibus suis, sed sine exclusione aliorum, quos sufficienter redemit per suam mortem, quam omnibus prodesse Christus intendit, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [2].

INST 2. Pro illis solis Christus mortuus est, pro quibus oravit, pro solis prædestinatis [3] : *Non pro mundo rogo,* inquit, *sed pro iis quos dedisti mihi.*

RESP. *Dist. min.* Oravit pro solis prædestinatis, illa vice, *conc.;* alias, *nego;* nam ibidem addit Christus : *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Dubitari autem nemo potest quin inter eos multi reprobi forent.

INST. 3. Oratio Christi semper effectum obtinuit [4] : *Ego autem sciebam quia semper me audis;* atqui non omnes salvantur; ergo Christus non oravit pro salute reproborum.

RESP. *Dist. maj.* Oratio Christi absoluta, *conc.;* conditionata, *nego maj.* Itaque oratio, qua Christus absolute rogavit Patrem, ut electis vitam æternam et media efficacia ad eam obtinendam concederet, suum obtinuit effectum, ea vero, qua rogavit Patrem, ut ipsis etiam reprobis vitam æternam daret, si velint recte uti mediis saluti vere sufficientibus, quæ in ipsos virtute passionis suæ defluxerunt, non habuit suum effectum defectu conditionis, culpa eorum, non impletæ.

[1] Joann. 10. — [2] 1 Tim. 2. — [3] Joann. 17, v. 9. — [4] Joann. 11.

INST. 4. D. Thom.[1] docet: *Dominum non orasse pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant crediturí in eum, sed pro his solum qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam.* Ergo nullo modo oravit pro reprobis, nequidem oratione conditionata et inefficaci.

RESP. *Nego conseq.* Ibi enim Div. Thom. loquitur de oratione efficaci et absoluta; ait enim: *Absoluta Christi voluntas, etiam humana, fuit impleta, quia Deo conformis, et per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita,* ea nimirum quæ ex voluntate efficaci prodiit.

OBJICIES 2. Conc. Valentinum III [2] damnat Capitulum Conc. Carisiaci, in quo dicitur Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse. Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Damnat Capitulum Concil. Carisiaci, in sensu ipsi falso attributo, *conc.;* in sensu ab illo Concilio intento, *nego ant.* Itaque Concilium Valentinum damnavit Capitulum Carisiacum, quia falso credidit Patres Carisiacos definiisse, *Christum mortuum esse pro liberandis impiis illis, qui a mundi exordio usque ad Passionem Domini, in sua impietate mortui, æterna damnatione puniti erant.* Ita testantur PP. Valentini, qui cum postea, per librum ab *Hincmaro* conscriptum, cognovissent veram Concilii Carisiaci doctrinam, censuram illius Concilii sustulerunt in Synodo Lingoniensi.

OBJICIES 3. Div. Aug. [3] ait: *Non periit unus ex iis pro quibus mortuus est Christus.* Ergo mortuus est pro solis prædestinatis.

RESP. *Dist. ant.* Non periit unus ex iis pro quibus Christus mortuus est, voluntate absoluta et efficaci, *conc.;* voluntate conditionata, antecedente et generali, *nego ant.* Ibi porro Div. Aug. loquitur de voluntate Christi efficaci.

OBJICIES 4. D. Anselmus [4] ait: *Christus pro solis electis mortuus est.* Ergo, etc.

[1] 3 p. q. 21, art. 4, ad 2. — [2] Canon. 4. — [3] Epist. 269, alias 102 *ad Evodium.*— [4] *In elucidario.*

Resp. *Dist. ant.* Pro solis electis mortuus est, efficaciter, *conc.;* sufficienter, *nego.* Suam mentem declarat D. Doctor[1] dicens : *Mediator Deus, quem Deus inter se et homines posuit, mortem pro omnibus sustinuit, ut omnes a morte redimeret.* Sic intelligendi sunt omnes alii Patres, qui nobis objiciuntur.

Objicies 5. Christus certus erat de decreto Dei immutabili damnandi omnes reprobos; ergo non potuit sincere mortem suam offerre pro illorum salute.

Resp. *Dist. cons.* Non potuit offerre mortem pro illorum salute, post prævisionem demeritorum, *conc.;* ante illam prævisionem, *nego conseq.*, in illo enim instanti priori rationis, Deus habuit voluntatem sinceram omnes salvandi, et in hunc finem Christus suam Patri obtulit mortem.

Inst. Ergo sincera Dei voluntas vincitur a creatura; absurdum consequens. Ergo.

Resp. *Nego illatum.* Nam per illam voluntatem conditionatam et inefficacem salutis reproborum, Deus vult absolute observationem suorum mandatorum, et si non observentur, vult ut peccatores puniantur, unde ejus sincera voluntas numquam vincitur, ut docet D. Aug. [2].

CAPUT III.

DE ATTRIBUTIS POSITIVIS, QUÆ DEO IN ORDINE AD CREATURAS SPECTATO TRIBUUNTUR.

Nota. Hic agemus : 1° De justitia et misericordia Dei. 2° De ejus providentia. 3° De prædestinatione. 4° De reprobatione, sequentibus quæstionibus.

QUÆSTIO I.

DE JUSTITIA ET MISERICORDIA DEI.

Nota 1. Sociniani, ut dogma catholicum circa Christi satisfactionem facilius evertant, negant *ullam in Deo esse jus-*

[1] In cap. 2, epist. 1 ad Tim. — [2] L. *de Spiritu et litt.*, c. 33.

titiam quæ peccata omnino punire jubeat, cui ipse renuntiare non possit. Ita Socin.[1].

Nota 2. Non esse in Deo justitiam *commutativam* stricte, quæ consistit in æqualitate dati et accepti; quia ut ait D. Thom.[2] : *Cum omnia nostra ex Deo sint, nec quisquam quidpiam dederit, pro quo sibi a Deo retribuatur, jure in ipso justitia commutativa non est.* Ideo sit

CONCLUSIO I.

Est in Deo formaliter justitia distributiva in præmium bonorum et malorum vindictam. Propos. est de fide.

Prob. 1. Psalm. 10 : *Justus Dominus, et justitias dilexit.*

Prob. 2. Justitia distributiva est virtus, qua bonis præmium, et malis supplicium, pro ratione eorum meriti vel demeriti, redduntur: atqui Deus bonis quidem præmium, juxta illud Apostoli [3]: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex;* malis vero supplicium decernit, juxta illud Psal. 5 : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Ergo.

Prob. 3. Deus necessario odit peccatum, ergo necessario debet illud punire. Peccati enim odium nihil aliud est quam constans voluntas illud puniendi.

Dices 1. Deus potest peccatum omnino impunitum dimittere; ergo justitia vindicativa non est in Deo formaliter.

Resp. *Nego ant.* Sanctitas enim et justitia Dei exigunt, ne injuria illi per peccatum illata, impunita remaneat.

Inst. Deus pœnas peccatoribus debitas relaxat, gratisque remittit; ergo peccatum impunitum dimittit.

Resp. *Dist. ant.* Gratis relaxat et dimittit per applicationem satisfactionum Jesu Christi, *conc.;* sine tali applicatione, *nego ant.* Equidem Deus nobis, pro beneplacito suo, pœnas pro peccatis debitas remittit; sed eas a Christo

[1] Prælect., cap. 16. — [2] 1 p. q. 21, art. 1. — [3] 2 ad Tim. 4, v. 7.

sponsore nostro ad strictos justitiæ apices repetit, ut videbimus in tractatu *de Incarnatione*. Hinc cum Apost. [1] dicit: *Justificati gratis per gratiam ipsius*, addit : *Per redemptionem quæ est in Christo Jesu, etc.*

Dices 2. Justitia Dei vindicativa non fuit ab æterno in Deo; ergo non est in ipso formaliter.

Resp. 1. *Retorqueo argumentum.* Potentia creatrix non fuit ab æterno in Deo. Ergo.

Resp. 2. *Nego ant.* Vel etiam *dist.;* non fuit in Deo ab æterno, terminative, *conc.;* entitative, *nego antec.* Deus enim ab æterno est secundum essentiam justus et omnipotens, licet ab æterno neminem judicaverit, nec creaverit; porro denominationes vindicis, creatoris, etc., quæ desumuntur ab objectis circa quæ terminatur potentia creatrix et vindex, non tribuuntur Deo ab æterno, sed ipsi adveniunt in tempore.

CONCLUSIO II.

Est in Deo misericordia. Est de fide.

Prob. Ex Script. [2] : *Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors... Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Ratio est, quia misericordia est perfectio simplex; ergo non est Deo deneganda.

Dices : Misericordia est species tristitiæ, ex D. Damasceno [3]; atqui tristitia non potest esse in Deo; est enim maxima imperfectio. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Misericordia, ut est in nobis, est species tristitiæ, *conc.;* ut est in se, seu secundum suam propriam rationem, *nego maj.* Nam misericordia ex sua ratione exigit solum voluntatem subveniendi alienæ miseriæ, quæ voluntas est perfectio sine imperfectione. Hinc D. Thom.[4] docet misericordiam esse in Deo *secundum effectum, non secundum passionis affectum... tristari ergo de miseria alterius*

[1] Rom. 3. — [2] Psalm. 144. — [3] Lib. 2, c. 15. — [4] Quæst. 21, art. 3.

non competit Deo, sed repellere miseriam alterius, hoc maxime ei competit.

QUÆSTIO II.

DE PROVIDENTIA DEI.

Nota 1. Providentia definitur : *Ratio ordinis rerum in finem.*

DICITUR 1. *Ratio ordinis,* id est notitia practica, per quam Deus ab æterno novit media quibus creatura possit ordinari in suum finem, cum voluntate conferendi ea media in tempore. Unde non versatur circa finem ultimum, sed tantum circa media quæ ad eum tendunt.

DICITUR 2. *In finem,* non tantum in eum qui cuilibet rei particularis est, verum etiam in eum qui omnibus generalis est, quique in gloria Dei manifestatione consistit.

Nota 2. Hic agemus : 1° De existentia providentiæ; 2 De ejusdem efficacia; duplici articulo.

ARTICULUS I.

DE EXISTENTIA PROVIDENTIÆ DIVINÆ.

CONCLUSIO.

Est in Deo providentia rerum omnium, etiam minutissimarum.

Est de fide contra Atheos, Marcionitas, et quosdam antiquos philosophos, qui omnia casui fortuito et astris adscribebant.

PROB. 1. Ex Script. [1] : *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Et cap. 8 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Et cap. 4 : *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Matth. 29 : *Unus passer non cadet super terram sine Patre vestro : vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Atqui illi textus generaliter loquuntur, nihil excipiunt,

[1] Sap. 6.

imo res vilissimas comprehendunt; ergo omnes res, etiam vilissimæ subjiciuntur divinæ providentiæ.

Prob. 2. Ex PP. D. Damascenus, lib. 2 de Fide orthod.: *Necesse est*, inquit, *eumdem esse eorum quæ sunt, et factorem et provisorem*. Nam, *quis operator negligit operis sui curam?* ait D. Ambros.[1]; et Lactant.[2] de Epicuro dicit: *Cum providentiam sustulit, etiam Deum negavit esse... alterum enim sine altero, nec esse prorsus, nec intelligi potest.*

Prob. 3. *Ratione*. Si nulla sit providentia, nulla quoque erit religio: *Si non præsidet divina providentia rebus humanis, nihil est de religione satagendum*, ait D. August.[3], atqui tamen religio omnium animis a natura insita est. Ergo.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Si esset in Deo providentia omnium rerum, nihil casu et fortuito fieret; atqui multa casu et fortuito fiunt. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Multa casu fiunt, respectu nostri, qui ignoramus causas multorum effectuum, et finem ad quem ex intentione Dei diriguntur, *conc.*; respectu Dei, *nego min.*; nihil fit omnino, nisi Deus illud vel voluerit, vel permiserit, ut ad bonum finem dirigat.

Inst. Multa fiunt frustra in rerum natura, ergo illa non subjacent divinæ providentiæ.

Resp. *Dist. ant.* Multa fiunt frustra, respective ad causas particulares, quæ non raro deficiunt, *conc.*; respective ad provisorem generalem, *nego ant.* Illa enim, quæ frustra fieri videntur, ad decorem universi ordinantur, sicut *umbra in picturis*, ait D. Aug., *quæ non specie, sed ordine placent.*

Objicies 2. Sapiens provisor removet malum ab eis quorum curam gerit; atqui Deus a rebus singulis malum non excludit, ut sunt mala naturæ, et mala pœnæ. Ergo.

[1] L. *de Officiis*, cap. 13. — [2] L. *de Ira Dei*, cap. 9. — [3] L. *de Utilitate credendi*, cap. 16. — [4] L. *de Genes. ad litter.*, cap. 5.

Resp. *Dist. maj.* Bonus provisor particularis, *conc.;* generalis, *nego maj.* Provisoris enim generalis ratio non postulat, ut removeat omnia mala, imo par est, ut permittat tum mala naturæ, quæ indirecte conducunt ad pulchritudinem universi; tum mala culpæ, ne destruat libertatem, sine qua non eluceret meritum bonorum.

Inst. Bonus provisor generalis non permittit justos opprimi, et impios prosperare; atqui tamen hoc permittit Deus. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Nam in hoc et malis providet Deus et bonis; malis quidem, ut eos adducat ad pœnitentiam, et ut virtutes morales, si quæ sint in eis, compenset: bonis vero, ut expientur in hac vita peccata eorum, ut virtus eorum probetur, exerceatur, et perficiatur, ut, præsentem vitam contemnentes, Deum ardentius quærant; ut eorum merces augeatur, etc.

Objicies 3. Job 22, dicitur: *Et dicis..... nubes latibulum ejus, nec nostra considerat.* Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Hæc enim verba calumniose Elipha Themanite imponuntur Jobo, quod negaret Dei providentiam, dicens [1]: *Quare impii vivunt?* quod certe non ex dubitatione, sed magis ex zelo justitiæ divinæ, ut dixit Job, qui de illis impiis, quibus hac in vita omnia succedunt, ait: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

Objicies 4. Apost. [2], ait: *Numquid de bobus cura est Deo?* Ergo Deus non habet curam brutorum.

Resp. *Dist. conseq.* Non habet curam de brutis tam specialem, quam de hominibus, *conc.;* nullam prorsus de illis curam habet, *nego.* Nam [3], dicitur: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cœlestis pascit illa.* Vult ergo Apostolus solummodo Deum non providere bobus propter ipsos, sed in hominum gratiam et commodum.

[1] C. 11. — [2] 1. Corinth. 9. — [3] Matth. 6.

INST. 1. D. Hieron. [1] ait : *Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quod nascantur culices, quodque moriantur.* Ergo si non novit illa vilissima, nec etiam eorum curam habet.

RESP. *Dist. conseq.* Si non novit nullo modo, *conc.;* si non novit successive, *nego.* Hic itaque D. Hier. excludit duntaxat a Deo cognitionem, quæ cum successione habetur: quæ cum sit imperfecta, merito tanquam indigna removetur a Deo. Est hic verus D. Hier. sensus, qui in vita Div. Pauli eremitæ docet : *Sine Dei nutu, nec folium arboris defluere.*

INST. 2. D. Thom. [2] ait : *Licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel boum, vel culicum, etc. est per se præordinatus a Deo.* Ergo.

RESP. *Nego conseq.* Nec enim Div. Thom. dicit numerum boum non præordinari, sed non præordinari *per se,* seu propter se, quod verissimum est : providentur enim propter utilitatem hominis.

OBJICIES 5. Si Deus omnibus provideat, actus creaturæ etiam liberæ a Deo provisi, erunt necessarii : ergo divina providentia non potest stare cum hominis libertate.

RESP. *Nego ant.* Cum enim divina providentia *disponat omnia suaviter,* res necessarias necessario, res vero liberas libero modo regit et gubernat.

INST. Quæ sunt a Deo provisa et ordinata, fient necessario; ergo actus a Deo provisi erunt necessarii.

RESP. *Dist. ant.* Fient necessario necessitate hypothetica, *conc.;* necessitate absoluta, *nego ant.* Cum itaque divina providentia non possit falli, necesse est, consequenter et hypothetice, ea evenire, quæ Deus præscivit et providit. Illa autem necessitas hypothetica non officit libertati.

[1] In cap. 2, Habacuc. — [2] Q. 23. art. 7 in corp.

ARTICULUS II.

DE EFFICACIA DIVINÆ PROVIDENTIÆ.

Nota 1. Quæritur hic, utrum Providentia divina finem suum semper assequatur; circa quod

Nota 2. Duplex distingui potest finis, nempe *specialis*, qui est rei cujuscumque proprius, ut respectu hominis æterna beatitudo; et *communis*, seu generalis, qui est Dei attributorum manifestatio.

CONCLUSIO.

Providentia Dei non semper assequitur finem specialem rerum quæ ei subsunt; bene vero semper assequitur finem suum generalem.

PROB. PRIMA PARS. Omnes homines ad æternam beatitudinem, tanquam ad finem sibi proprium, a divina Providentia ordinantur; atqui omnes homines ad eum finem non perveniunt, multi enim sunt reprobi. Ergo.

PROB. SECUNDA PARS. Finis providentiæ communis, ad quem Providentia divina res omnes ordinat, est manifestatio divinæ bonitatis, aliorumque attributorum; atqui Providentia divina hunc finem semper assequitur. Ergo, etc.

Prob. min. Tria sunt divinæ Providentiæ munera. 1. Præfinire unicuique creaturæ certum finem, v. g., homini beatitudinem æternam. 2. Præparare certa media ad finem illum assequendum. 3. Sinere creaturam illis mediis pro arbitrio uti, quibus si utatur, æterna gloria donatur, et sic Providentia assequitur tum finem particularem, tum finem communem, qui est manifestatio divinæ bonitatis in æterna beatorum gloria; si vero illis non utatur, in æternum perit, et sic Providentia, licet excidat a fine particulari, assequitur tamen finem communem, qui est manifestatio justitiæ divinæ, in æterna ejus damnatione; ergo Providentia divina semper assequitur finem generalem.

QUÆSTIO III.

DE PRÆDESTINATIONE.

Nota 1. Prædestinatio, est vox composita ex particula, *præ* quæ antecessionem, non quidem meritorum, sed existentiæ illius, qui in aliquem finem supernaturalem destinatur; et ex nomine *destinatio*, quod ordinationem, seu decretum significat. Unde prædestinatio nihil aliud est, quam destinatio hominum in aliquem finem, antequam ipsi existant : illa porro prævia destinatio quandoque sumitur late pro qualibet Dei ordinatione ab æterno facta, sive ea in bonum sit, sive in malum; quo sensu Conc. Valentinum III [1] ait : *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem.* Communiter tamen sumitur pro ordinatione ad gloriam, et gratiam, qua, tanquam medio, gloria obtinetur. Unde

Nota 2. Prædestinatio sumitur dupliciter; 1. *Incomplete*, pro prædestinatione, vel ad gratiam nude et solitarie sumptam, vel ad gloriam nude item et solitarie sumptam; 2. *Complete*, pro prædestinatione ad gratiam simul et gloriam, seu quatenus non tantum respicit gloriam æternam, sed etiam omnia gratiæ dona, quibus creatura rationalis ad gloriam perducitur : hæc ergo gratiam specialem, perseverantiam simul et gloriam complectitur.

Prædestinatio ad gratiam solitarie spectata, est voluntas divina, absoluta, et efficax dandi gratiam.

Prædestinatio ad gloriam solitarie spectata, est voluntas divina, absoluta, et efficax dandi gloriam.

Prædestinatio complete sumpta definitur a D. Aug. [2]: *Præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.*

Dicitur 1. *Præscientia*, quo nomine non intelligitur scientia simplicis intelligentiæ, cum hæc versetur circa mere

[1] Can. 3. — [2] L. 3. *de Dono persever.*, cap 14.

possibilia, sed intelligitur scientia visionis, præsupponens scientiam conditionatorum, tum quia D. August. illam scientiam præponit decreto absoluto præparationis beneficiorum gratiæ et gloriæ; tum quia, cap. 17 ejusdem libri de Deo, ait D. Doctor : *Namque in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam, est prædestinare.* Ergo illa præscientia, de qua D. Aug. loquitur, antecedit decretum Dei absolutum, cujus directiva est, et quam subsequitur scientia absoluta et visionis, quæ nostro concipiendi modo, Dei decreto posterior est.

Dicitur 2. *Præparatio,* id est præordinatio in Deo existens ab æterno, antequam effectum suum consequatur in tempore.

Dicitur 3. *Beneficiorum Dei,* per quod alii gratiæ solius, alii gloriæ solius, alii tum gratiæ, tum gloriæ dona intelligunt, quod nobis verosimilius videtur.

Dicitur 4. *Quibus certissime liberantur,* nempe a peccato per gratiam efficacem, et a miseria per gloriam æternam.

Dicitur 5. *Quicumque liberantur,* quia prædestinatio, non ad omnes homines, sed ad aliquot tantum extenditur, per quod differt a providentia, tum naturali, tum supernaturali, quæ est voluntas dandi gloriam antecedens et conditionata.

Nota 3. Quæ prædestinationis materiam spectant, quatuor articulis concludemus. *Primus* erit de illius existentia. *Secundus,* de illius causa meritoria. *Tertius,* de illius effectibus. *Quartus,* de illius proprietatibus.

ARTICULUS I.

DE EXISTENTIA PRÆDESTINATIONIS.

Nota. Prædestinationem in Deo negaverunt 1. Valentiniani, Basilidiani et Marcionitæ, docentes unumquemque

hominem natura sua bonum vel malum, salvandum vel reprobandum nasci. 2. Pelagiani et semi-Pelagiani, eo quod arbitrarentur prædestinationem esse fatalem quamdam necessitatem, quæ creatam libertatem extingueret, et ad omne meritum viam præcluderet: ut docet D. Aug. [1], contra quos sit

CONCLUSIO.

Existit vera ex parte Dei prædestinatio. Prop. est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 25: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Et ad Rom. 8: *Quos prædestinavit, hos et vocavit*, etc. quam Ecclesiæ fidem sine errore negari non posse affirmat Div. August. [2]: *Hoc scio,* inquit, *neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando, disputare posse.* Cui consentit D. Prosper [3], dicens: *Prædestinationem Dei nullus Catholicus negat.*

Prob. 2. *Ratione:* Quia quidquid Deus facit in tempore, illud ab æterno facere præordinavit ac decrevit; atqui nonnullis hominibus dat gloriam in tempore; ergo illam dare ab æterno decrevit, atque illud decretum est præordinatio ad gloriam. Ergo, etc.

Dices: Doctrina prædestinationis omnem solvit de procuranda salute vigilantiam et curam, hominesque conjicit, vel in temerariam præsumptionem, vel in desperationem; ergo illa non est admittenda.

Prob. ant. Si detur prædestinatio, valebit istud dilemma: *Vel sum prædestinatus, vel non: si sum prædestinatus, certissime salvabor, nec proinde ulla mihi debet esse de procuranda salute sollicitudo; si vero non sum prædestinatus, quidquid boni egero, æternum peribo;* solus quippe prædestinatus salvari potest. Ergo, etc.

[1] Lib. *de Dono perseverentiæ*, cap. 14. — [2] Id., cap. 19. — [3] In respons. 1 *ad objectiones Gallorum.*

Resp. *Dist. ant.* Illud enim dilemma est putidum sophisma, quod dialectici vocant a *falso supponente* : supponit enim Deum electos ad gloriam prædestinare absque operibus, cum tamen nemo ad gloriam prædestinetur, nisi quia prævidetur facturus bona opera, quæ ad eam comparandam sunt necessaria, ut tradit Div. Gregor. [1] : quemadmodum enim Deus non statuit finem concedere, nisi per idonea media, v. g., sanitatem per medicinam, uberes messis fructus per agriculturam; sic et prævidit et constituit salutem æternam consequendam per opera bona : *Quapropter fratres*, monet Div. Petrus 2, cap. 1 : *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis... sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris J. C.*

ARTICULUS II.

DE CAUSA PRÆDESTINATIONIS MORALI ET MERITORIA.

Nota 1. Non est hic quæstio de prædestinatione ad gratiam, quia de illa acturi sumus *in Tractatu de gratia*, ubi contra Pelagianos et semi-Pelagianos dicemus, cum omnibus orthodoxis, prædestinationem ad gratiam esse omnino gratuitam, juxta illud Ephes. 1 : *Elegit nos in ipso*, (id est, per ipsum) *ante mundi constitutionem ut essemus sancti.*

Nota 2. Nec est quæstio de prædestinatione independenter a prævisione meritorum Christi; constat enim electos, in hoc statu naturæ lapsæ, a Deo non prædestinari independenter a meritis Christi, sed agitur de prævisione meritorum ab ipsis adultis cum gratia Christi consummandorum.

Nota 3. Non est quæstio de prædestinatione parvulorum post Baptismum ante usum rationis morientium; constat enim, eos, solis Christi meritis prædestinari ad gloriam, non vero ex suis propriis, quorum sunt incapaces.

[1] L. 3 Dialog., cap. 15.

Nota 4. Nec est quæstio de prædestinatione ad gloriam simul et gratiam; certum est enim, quod illa conglobata prædestinatio sit ante prævisa merita, ideo non est universaliter verum, quod prædestinatio illa completa sit post prævisa merita, cum in ea contineatur illa, quæ est ante prævisa merita; et ideo loquimur solum de prædestinatione ad gloriam nude et solitarie spectatam, et prout condistinctam a prædestinatione ad gratiam.

Nota 5. Prædestinatio ad gloriam nude et solitarie sumptam, spectari potest vel secundum ordinem intentionis, vel secundum ordinem executionis. *Primo modo* spectata, est actus divinæ voluntatis ab æterno decernentis alicui dare gloriam. *Secundo modo* spectata, est ipsa actualis gloriæ retributio. Hic quæstio non est de prædestinatione secundum ordinem executionis; certum est enim prædestinationem sic sumptam habere rationem mercedis, quæ non nisi legitime certantibus titulo justitiæ debita rependitur. De sola ergo prædestinatione secundum ordinem intentionis hic controvertitur, utrum Deus efficaciter et absolute decreverit prædestinatis dare gloriam ex mero suo beneplacito, et independenter a meritis eorum supernaturalibus, aut non nisi propter merita supernaturalia prædestinati prævisa, circa quod duæ sunt sententiæ, quarum quælibet suos habet non infimæ notæ patronos.

Prima sententia docet prædestinationem ad gloriam esse mere gratuitam, et independenter a quovis prædestinati merito factam, ita ut Deus aliquos in primo instanti ad gloriam efficaciter præelegerit : et in secundo eosdem ad gratiam efficacem et ad merita supernaturalia, quibus gloria est obtinenda. Ita *Thomistæ*, *Scotus*, *Suarez*, etc.

Secunda sententia docet efficacem prædestinationem ex præsupposita meritorum gratiæ prævisione fieri, ita ut Deus nemini prius gloriam efficaciter decernat, quam præviderit eum gratiæ certo consensurum. Ita *D. Bonaventura*, *Alexan-*

der Halensis, Albertus Magnus, Joannes Major, Grandini, Dumelz, Tournely, etc., quam sententiam probabiliorem amplectimur; itaque sit

CONCLUSIO.

Prædestinatio ad gloriam fit ex prævisis gratiæ meritis.

PROB. Quia nostra sententia conformior est Scripturis SS. Patribus et rationi. Ergo, etc. Ant. probandum per omnes suas partes.

I. PROBATIO EX SCRIPTURIS.

Primus textus. Matth. 25. Ubi Christus prædestinatos alloquens, ait : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare*, etc. Ubi manifeste Christus docet, regnum cœlorum non tantum dari, sed etiam parari propter bona opera; nam particula causalis, *enim*, quæ illa duo verba *possidete*, et *paratum*, subsequitur, utrumque efficit.

Respondent adversarii, particulam causalem, *enim*, non referri ad ly *paratum*, sed ad ly *possidete*, ut sensus sit; possidete ex meritis regnum vobis gratuito paratum. Sed

Contra est 1. Quia Christus declarat eodem modo præparatum esse regnum cœlorum prædestinatis, quo præparatur pœna æterna reprobis; statim enim Christus adjungit: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus; esurivi enim et non dedistis mihi manducare*, etc. Atqui de fide est, contra Lutheranos et Calvinistas, Deum non tantum dare, sed etiam præparare pœnam æternam reprobis ob prævisa eorum demerita; ergo certum videri debet, Deum non tantum dare, sed etiam præparasse gloriam æternam prædestinatis ob prævisa eorum merita gratiæ.

Contra est 2. Quia Christus per particulam causalem, *enim*, non tantum affert causam collationis, sed etiam præ-

parationis gloriæ, ut exponit D. Chrysost. [1] : *Quia*, inquit, *sciebam vos, antequam nati essetis, hujusmodi futuros, hæc vobis a me præparata sunt*. Certe sine manifesta violentia hæc non possunt detorqueri ad alium sensum, quam ad prædestinationem ex prævisis meritis, non solum secundum executionem, sed maxime secundum intentionem. Et D. Hieronymus verba Matthæi objecta interpretans, ait : *Hoc juxta præscientiam Dei accipiendum est, apud quam futura, jam facta sunt*. At præscientia non respicit executionem, seu collationem gloriæ actualem, sed solum illius præparationem ob futura merita, quæ respicit præscientia. Ergo.

Contra est 3. Quia vix intelligi potest, quod Deus ab æterno decreverit dare gratis gloriam, et tamen in tempore illam tribuat propter merita et tanquam mercedem; cum enim, v. g., dux exercitus alicui militi tribuit præmium ob illius præclare gesta, signum est eum, nonnisi post notitiam victoriæ, absolute decrevisse illi dare præmium.

Secundus textus, Jacobi 2, v, 5 : *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se*. Quo in loco dilectio Dei affertur tanquam ratio et causa prædestinationis, non tantum secundum ordinem executionis, sed etiam secundum ordinem intentionis, prout sonat verbum, *elegit*.

Tertius textus, Rom. 8, v. 29 : *Quos præscivit*, inquit Apost., *et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Præscientia hic præmittitur prædestinationi, ut significetur præscientiam meritorum esse causam directivam prædestinationis, ut interpretantur SS. Patres.

D. Ambros. [2] : *Quos præscivit*, inquit, *hos et prædestinavit, quia non ante prædestinavit quam præscivit : sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit*.

Sedulius Scotus Hiberniensis, in Epist. ad Roman.: *Hos*

[1] Homil. 80 in Matth. — [2] L. 5 *de fide*, cap. 15.

quos præscivit futuros devotos sibi, inquit, *ipsos elegit ad promissa præmia capessenda*. Et paulo post : *Aliud est præscire, aliud prædestinare : præscientia itaque gerenda prænoscit, postmodum prædestinatio retribuenda describit; illa prævidet merita, hæc prædestinat præmia*. Ergo quod primum est in tota prædestinatione, est præscientia, quam sequitur prædestinatio, sicut prædestinationem sequitur vocatio, vocationem justificatio, justificationem glorificatio : quam seriem describit Apostolus : *Quos præscivit*, inquit, *et prædestinavit* (id est, consequenter), *quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, eos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit*.

Hæc porro explicatio, quæ præscientiam meritorum præmittit prædestinationi ad gloriam, optime convenit cum intentione Apostoli : nam *in illo cap*. 8, fideles hortatur ad patientiam, a qua vult pendere, ut simus cohæredes Christi in gloria : *Si autem filii et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur*. Deinde ostendit tribulationes leves esse, si comparentur cum gloria : *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Et tandem exponit seriem prædestinationis, dicens : *Quos præscivit et prædestinavit*, etc. Ut illa serie cogitandum nobis relinquat, quam sint utiles tribulationes, utpote quæ prævisæ sint causa prædestinationis ad gloriam, ex qua vocatio, justificatio et glorificatio consequuntur : et ideo concludit, vers. 31 : *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Quartus textus. Secundæ Petri 1 : *Satagite, ut, per bona opera, certam vestram vocationem, et electionem faciatis*. Ergo ante opera non est certa vocatio et electio, imo est velut in suspenso, alias nihil esset satagendum; nam supposito quod certa sit vocatio et electio ante prævisa opera, poterit sic quis ratiocinari : *Si me Deus prædestinavit, et opera necessaria sint ad obtinendam gloriam, faciet ut bona opera eli-*

ciam, si sollicitudo necessaria est, faciet quoque ut sim sollicitus, etc. Nihil ergo ex me curæ esse debet, quam ut non curem; neque enim Deus magis tenere se potest, quominus me bene operantem, sollicitum et perseverantem faciat, quam sibi ipse mentiri queat.

II. PROBATIO EX SS. PATRIBUS.

Cum adversarii semper provocent ad D. Augustin. quæ cæteris Patribus, in materia prædestinationis, et gratiæ, longe præferant; ideo illorum Patrum, quorum doctrinam laudat et probat D. Augustinus, item ipsius Augustini, et discipulorum ejus testimonia proferam.

S. Epiphanius, [1] explicans illa Matth. verba : *Non est meum dare vobis*, ait : *Hoc vult ostendere, quod non juxta personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate, etc.*, ex quo infert, *non est meum dare vobis, sed si laboraveritis, erit vobis paratum a Patre meo.* Ex quo sic argumentor : S. Epiphanius per illam gloriæ præparationem intelligit prædestinationem in mente Dei, non vero executionem in tempore; atqui illa præparatio fit propter prævisa merita. Ergo.

S. Chrysost. [2] explicans hæc Christi verba : *Sedere ad dexteram non est meum dare, etc.*, ait : *Non est meum dare, sed quibus labore atque sudore præparatum est;* ergo gloria præparatur propter prævisa merita, ut immediate declarat dicens : *Num igitur quasi non potentem illud facere condemnabimus? Nequaquam, sed justitiam ejus admirabimur, quoniam non personam, sed rem, id est merita, respicit.* Quid clarius?

S. Hieron. [3] : *Deus liberum servat arbitrium,* inquit, *ut in utramque partem, non ex prejudicio Dei* (id est, non ex sententia antecedente cognitionem causæ), *sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit.*

Idem, [4] loquens de reprobis, et prædestinatis ad gloriam,

[1] L. *Adversus hæreses*, hæresi 69, n. 58. — [2] Homil. 66 in Matth. — [3] In cap. 1 Isaiæ. — [4] Ep. 150 *ad Hedibiam*, qu. 10.

ait : *Vasa misericordiæ quæ præparavit* Deus *in gloriam, quæ vocavit, etc., non salvat irrationabiliter, et absque judicii veritate, sed causis præcedentibus,* id est, meritis, *quia alii susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte noluerunt; ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates.* Ex quibus clare apparet D. Hieron. loqui non de executione sola, sed de electione ad gloriam.

III. PROBATIO EX D. AUGUSTINO.

Serm. 7 [1] ait : *Quos voluit, Dominus elegit : elegit autem, ut dicit Apostolus, et secundum suam gratiam, et secundum illorum justitiam.* Et postea, præmissis his Apostoli verbis, *Reliqui mihi septem millia, qui non curvaverunt genu ante Baal,* Deum sic loquentem inducit : *Ergo illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal :* hoc est in me sperantes. Atqui electio quæ fit secundum Dei gratiam et nostram justitiam, fit propter bona gratiæ opera prævisa. Ergo. — Sic in multis locis.

IV. PROBATIO EX RATIONIBUS THEOLOGICIS.

Prima ratio. Deus ab æterno decrevit facere quod facit in tempore, et quidem eodem modo quo illud in tempore facit, ut docet Div. Thom. [2] : *Eadem ratione Deus,* inquit, *beneficia, quæ nobis confert in tempore, præparavit ab æterno;* atqui Deus in tempore dat gloriam propter merita, cum det illam per modum mercedis et coronæ, quæ ex Apost. [3] non datur nisi ob partam victoriam, *non* enim *coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Ergo, etc. Minor est de fide.

Prob. maj. 1. Quia Theologi concludunt reprobationem ab æterno fieri ob prævisa peccata, quia fit in tempore propter peccata; ergo a pari concludere debent prædestinationem ab æterno fieri ex meritis, quia gloria in tempore datur propter merita.

[1] *De verbis Domini.* — [2] Comment. in cap. 8 epist. ad Rom., lect. 6. — [3] 2 Ad Tim. 2.

Secunda ratio. Quilibet prædestinatus libere gloriam assequitur, nam Eccl. 13 : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei dabitur illi.* Atqui liberæ assecutioni gloriæ opponitur antecedens et absoluta, quam admittunt adversarii, Dei voluntas aliquibus dandi gloriam independenter a prævisis meritis. Ergo.

Prob. min. Quia necessitas antecedens opponitur libertati; atqui decretum illud absolutum dandi gloriam ante prævisa merita, infert necessitatem antecedentem respectu assecutionis gloriæ. Ergo, etc.

Prob. min. Illud antecedentem infert necessitatem respectu assecutionis gloriæ, quo antecedenter posito, non potest non poni gloriæ assecutio; atqui ita voluntas Dei absoluta et efficax est antecedens, eaque posita, non potest non poni gloriæ assecutio. Ergo, etc.

Tertia ratio est Quia, posita sententia nostræ contraria, poni quoque debet exclusio, saltem negativa, reproborum a gloria ante prævisa quæcumque demerita; atqui exclusio illa compati non potest cum vera ac sincera Dei voluntate salvandi omnes homines. Ergo, etc. Namque ex illa voluntate Deus auxilia gratiæ ad salutem sufficientia largitur, sed ad quid, quæso, illa auxilia gratiæ pro assequenda gloria, a qua jam sunt exclusi, et ad quam nunquam pervenient?

OBJECTIONES EX SCRIPTURA.

Objicies 1. [1] Christus dixit discipulis suis : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Atqui vox ista, *complacuit,* significat voluntatem puri beneplaciti, quæ excludit omne meritum prævisum; ergo electio, seu prædestinatio ad gloriam, est ante prævisa merita.

Resp. *Dist. ant.* Vox ista, *complacuit,* significat voluntatem puri beneplaciti antecedentem, conditionatam et ineffica-

[1] Lucæ 12.

cem dandi gloriam sub conditione meritorum, *conc.;* significat voluntatem absolutam et efficacem, *nego min.* Certe vox ista, *complacuit,* non potest intelligi de voluntate antecedente, absoluta et efficaci : alias Judas, qui de illo pusillo grege erat, fuisset efficaciter electus ad gloriam, nec esset reprobatus; ergo debet intelligi de voluntate conditionata, inefficaci, et meræ complacentiæ promittentis gloriam sub conditione meritorum, quandoquidem monet illos de hac conditione necessaria ad consequendam illam gloriam : *Vendite quæ possidetis,* inquit, *et date eleemosynam, facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, etc.*

Objicies 2. [1] Christus ait : *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea : non de omnibus vobis dico : Ego scio quos elegerim.* Atqui ibi agitur de electione antecedente ad gloriam, eaque efficaci; ergo ideo erunt beati, quia electi sunt, et consequenter electio ad gloriam est ante prævisa merita.

Resp. *Nego min.* Ille enim textus ad litteram non est de electione ad gloriam, sed solum de perfectione scientiæ Christi, per quam intime noverat eos quos elegerat ad Apostolatum, ita ut nosset quid facturi essent antequam eos Apostolos eligeret; unde sensus est, ego cognosco quales sint interius, quos ad Apostolatum elegi, cum inter eos unus proditor existat.

Inst. D. Aug. illum textum exponit de electione ad gloriam; ergo intelligi debet de illa.

Resp. 2. *Dist. ant.* D. August. exponit illum textum de electione ad gloriam, quam Christus fecit consequenter, et ex prævisione meritorum, *conc.;* antecedenter ad prævisa merita, *nego ant.* Nam cum D. August. retulit illa verba : *Ego scio quos elegerim,* statim dicit : *Quos? Nisi eos qui beati erunt, faciendo ea quæ præcepit, et facienda monstravit, qui efficere beatos potest.* Quod supponit ea bona opera esse objectum illius electionis.

[1] Joann. 13.

Objicies 3. [1] Dicit Christus discipulis suis : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos;* ergo Christus elegit suos ad gloriam ex mera misericordia, non vero ex prævisis meritis.

Resp. *Nego conseq.* Hic enim locus non potest intelligi de electione ad gloriam, tum quia Judas, qui erat unus ex discipulis quos alloquebatur non erat prædestinatus, tum quia paulo infra Christus dicit illam electionem esse causam cur mundus Apostolos odio habeat; at mundus non poterat eos odisse ob electionem ad gloriam, cum eam non cognosceret; ergo necesse est quod loqueretur de alia electione, quam mundus cognoscebat, scilicet vel de electione ad Apostolatum, ut ad litteram explicat hunc textum Estius; quare Christus ait : *Elegi vos ut eatis, et fructum afferatis;* vel de electione ad fidem, aut primam gratiam, quam per externam professionem mundus cognoscebat, ut exponunt contra semi-Pelagianos DD. Augustinus et Thomas.

Objicies 4. [2] Dicitur : *Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam.* Ergo prædestinatio est causa fidei et bonorum operum, adeoque illa non fit ex prævisis meritis.

Resp. *Nego conseq.* Nam illius textus sensus est : illi crediderunt in tempore, quos Deus ab æterno prævidens credituros, præordinavit ad vitam æternam; ergo tantum abest ut prædestinatio sit causa bonorum operum, quin potius bona opera sint causa prædestinationis; nihil ergo est in illo textu quod faveat prædestinationi ante prævisa merita, aut quod sit contrarium prædestinationi post prævisa merita.

Objicies 5. Rom. 6 : *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Ergo sicut mors æterna est propter solum peccatum, ita gloria est propter solam Dei gloriam.

Resp. *Dist. conseq.* Gloria est propter solam Dei gratiam, quatenus gratia sumitur pro operibus quæ sunt a gratia,

[1] Joann. 13. — [2] Act. 13.

conc., quatenus gratia sumitur pro seipsa formaliter, *nego conseq*. Si enim vita æterna esset gratia formaliter, daretur gratis in tempore, sicut datur gratia, quod est hæreticum. Sic explicat hunc textum D. August.[1] : *Verumtamen*, inquit, *quia et ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, a tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.*

Objicies 6. Ephes. 1. Apost. ait : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Ex quo sic argumentor : Apostolus asserit electos esse ad gloriam, non quia prævisi sumus futuri sancti, sed ut simus sancti; ergo illa electio non est ex prævisis meritis.

Resp. *Nego ant.* Ibi enim Apostolus non agit de prædestinatione ad gloriam, sed de prædestinatione ad gratiam vocationis et justificationis, ut patet ex consequentibus : *Prædestinavit nos*, inquit, *in adoptione filiorum per J. C... in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Quæ omnia denotant gratiam, et non gloriam, siquidem adoptio, redemptio et remissio peccatorum pertinent ad gratiam justificationis.

Objicies 7. Rom. 9, de Jacob et Esau dicitur : *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali* (ut secundum electionem propositum Dei maneret), *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei* (Rebeccæ), *quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et postea : *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Unde sic argumentor : Ante omne prævisum meritum Jacob diligitur; atqui per illam dilectionem Jacob, illius prædestinatio intelligitur : ergo prædestinatio est ante prævisum omne meritum.

Resp. 1. *Nego maj.* Nam ex loco citato colligitur quidem

[1] L. *de Correpl. et gratia*, c. 13.

Deum dilexisse Jacob antequam actu mereretur, non vero ante prævisum illius meritum, unde excludit quidem opera jam facta, sed non opera prævisa.

Resp. 2. *Dist. min.* Per dilectionem Jacob, intelligitur illius prædestinatio ad gratiam, *conc.;* ad gloriam, *nego min.* Hæc solutio manifesta est ex ipso textu, in quo Apostolus dicit Esau perinde gratis fuisse odio habitum, ac Jacob dilectum; ergo si sermo esset de prædestinatione ad gloriam, sequeretur reprobationem fieri ante prævisa demerita et ex solo Dei beneplacito, quod nemo, nisi Calvinus aut Calvini sectator, dicet.

Inst. 1. Per reprobationem Esau figuratur reprobatio negativa, quæ est sola exclusio a gloria, et est sine prævisis demeritis, non vero positiva, quæ consistit in inflictione pœnæ, et est prævisis demeritis; ergo non repugnat quod textus intelligatur de prædestinatione ad gloriam.

Resp. *Nego ant.* Nam decretum illud Dei, *major serviet minori,* non est quid mere negativum, sed est quid positivum, cum sit vera pœnæ inflictio, duræ scilicet servitutis; unde si hic textus figuret reprobationem a gloria, non figurat reprobationem mere negativam, sed etiam positivam, quæ cum secundum fidem sit ex demeritis peccatorum, ita et electio ad gloriam debet esse ex bonorum operum meritis, cum hic eodem modo considerentur.

Inst. 2. Saltem ex his verbis sequentibus : *Vasa misericordiæ quæ præparavit Deus in gloriam,* colligitur Apostolum loqui de prædestinatione ad gloriam. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Quia ibi gloria non sumitur pro gloria cœlesti, sed pro gloria Dei extrinseca, seu clarificatione, propter quam Deus præparavit electos ad gratiam, nimirum ut Deus in eorum operibus laudetur, et glorificetur, ut interpretatur Haymo.

Inst. 3. Ibi opponit Apostolus eos quos Deus præparavit in gloriam, iis quos dixerat aptatos in interitum : *Quod si Deus,* inquit, *volens ostendere iram, et notam facere potentiam*

suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Atqui hic, *interitus*, sumitur pro morte æterna; ergo *gloria* sumitur pro gloria æterna.

Resp. *Nego ant.* Nam oppositio non est inter hæc verba, *interitus* et *gloria*, sed inter ista, *sustinuit* et *præparavit*, ita ut sensus sit, quod malos de se aptatos ad damnationem, *sustinuit* mala facere, ut eos postea puniendo, ostenderet potentiam et justitiam suam in gloriam suam; bonos vero de se ineptos ad bonum, *præparavit*, per gratiam ad bene agendum in gloriam nominis sui. Itaque utrosque ordinavit in gloriam suam, sed malos indirecte, sustinendo scilicet eos in peccatis, ut ostenderet in eis suam potentiam, eos puniendo : bonos vero directe (in quo est oppositio) præparando eos per gratiam ad bona opera, ut clarificaretur in eis.

OBJECTIONES EX RATIONIBUS THEOLOGICIS.

Objicies 1. Deus prius vult dare gloriam, quam velit dare gratiam; ergo vult dare gloriam ante prævisa merita, quæ sunt a gratia.

Prob. ant. Qui ordinate et sapienter vult, prius intendit finem quam media : siquidem movetur ad electionem mediorum ex voluntate finis; atqui Deus ordinate et sapienter vult; ergo prius intendit dare gloriam, quam intendat dare gratiam.

Resp. *Dist. maj.* Prius intendit finem quam media, si velit finem sub unica ratione finis, *conc.*; si velit finem sub ratione mercedis et præmii, *subdist.*; prius vult finem, conditionate, *conc.*; absolute, *nego maj.*, et sic ad consequens. *Itaque*, gloria non solum decernitur ut finis, sed etiam ut præmium; atqui quod sic decernitur, non decernitur absolute, sed conditionate, nempe, si is cui finis intenditur, laborare velit ad eum obtinendum. Ergo.

Inst. 1. Gloria non tantum habet rationem mercedis,

sed etiam hæreditatis; atqui hæreditas efficaciter intenditur ante prævisa merita. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Habet rationem hæreditatis jure adoptionis, *conc.*; jure nativitatis, *nego*. Porro ad hæreditatem jure adoptionis capessendam, requiritur, ut filius Dei adoptivus per bona opera acquirat aditum ad hæreditatem : sumus *hæredes quidem Dei*, ait Apost. [1], *cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et glorificemur.*

Inst. 2. Atqui revera Deus prius intendit efficaciter finem, quam media. Ergo.

Prob. Subsumpt. Deus prius eligit finem, quam eligat media ad finem, ut docet Div. August. [2] de Tyriis et Sydoniis, qui credidissent, si vidissent opera Christi, *sed quoniam ut crederent, non erat eis datum*, inquit, *etiam unde crederent est negatum*. Ergo voluntas finis efficax est semper prior voluntate mediorum.

Resp. *Nego conseq.* Quia ubi unum colligitur ex alio comparato, necesse est, ut inter utrumque intercedat aliqua paritas, in eo in quo ipsa comparantur; atqui nulla est paritas inter prædestinationem ad fidem, seu gratiam, de qua solum loquitur D. Aug. in objectione, et prædestinationem ad gloriam solam, de qua nobis controversia est, idque in iis in quibus comparantur, scilicet in finibus et in mediis eorum. Ergo.

1. *Non est paritas in finibus;* finis enim prædestinationis ad fidem, est absolutus, nec enim fides pendet a meritis, cum præcedat omne meritum. *Econtra*, finis prædestinationis ad gloriam solam, est conditionatus et limitatus ad merita, in quo est magna disparitas, cum non repugnet rem absolutam decerni absolute, rem autem conditionatam repugnet decerni ante prævisionem conditionis futuræ.

2. *Non est paritas in mediis*, nam media actus fidei, quæ sunt actualia gratiæ auxilia, sunt tantummodo media res-

[1] Ad Tit. 3, c. 7. — [2] L. *de Dono persever.*, cap. 14.

pectu Dei intendentis actum fidei ut finem, et sic debent esse posteriora fine in mente Dei, quia media ut media, sunt posteriora fine. At vero, media respectu glorificationis nostræ, quæ sunt merita nostra, non sunt media respectu Dei, sed tantum respectu nostri, et sic non postulant esse posteriora in mente Dei : imo postulant esse priora, cum respectu Dei sint motiva; motiva autem ut motiva, semper debent esse priora in mente decernentis, quam id quod decernitur vi illorum.

Inst. 3. Effectus est posterior sua causa, saltem in aliquo signo rationis; sed opera meritoria a Deo volita sunt effectus prædestinationis ad gloriam; ergo illa sunt a Deo volita in priori signo rationis, adeoque prædestinatio fit ante prævisa merita.

Resp. *Nego min.* Unicus est enim et proprius effectus prædestinationis ad gloriam solitarie sumptam, nempe ipsa gloria, quæ sola nobis confertur vi prædestinationis ad illam, sicut ex Div. August. [1], unicus est effectus prædestinationis ad gratiam solam, nempe gratia, quam solam respicit : *Prædestinatio quæ in bono est*, inquit, *gratiæ est, ut dixi, præparatio; gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.*

Objicies 2. Efficax volitio mediorum ad finem efficacium supponit efficacem intentionem finis : atqui Deus prædestinatis confert media efficacia ad gloriam, quæ non confert reprobis; ergo Deus efficacem habet intentionem dandi gloriam prædestinatis ante prævisa merita.

Resp. 1. *Nego maj.* Judas enim erat reprobus, tamen longe plures et efficaciores gratias recepit, quam rusticus, qui, in statu gratiæ sanctificantis vitam finiens, est electus; ergo volitio mediorum efficacium non supponit intentionem efficacem finis.

Resp. *Dist. maj.* Volitio mediorum efficacium absolute et independenter a libera voluntatis per gratiam motæ et

[1] L. *de prædest. Sanctor.*, cap. 10.

excitatæ cooperatione, *conc.*; efficacium conditionate et dependenter a cooperatione voluntatis a gratia excitatæ, *nego maj*. Atqui Deus prædestinatis dat media efficacia ad gloriam, conditionate et dependenter ab eorum libera cooperatione, *conc.*; secus, *nego*. Itaque, quæcumque supponatur gratiæ efficacia, de fide est voluntatem ipsi semper posse dissentire si velit, et ideo non est efficax *in actu secundo*, nisi voluntas, a gratia mota et excitata, ipsi consentiat.

Inst. 1. Ideo ergo Deus prædestinatis confert gratiæ auxilia, quia prævidit ipsis profutura; atqui hoc fieri non potest, nisi ipsis velit efficaciter gloriam ante merita.

Resp. *Nego maj*. Deus quidem decernit prædestinatis auxilia gratiæ, quæ prævidet habitura effectum, sed non ea decernit quia prævidit ea habitura effectum, quasi illa auxilia non seligeret, nisi essent habitura effectum : decernit ergo illa ex mero beneplacito, quoniam alia media, quæ efficacia non forent, licet sufficientia ad effectum consequendum, posset decernere. Similiter non decernit Deus reprobis media inefficacia, quia prævidit ea fore inefficacia, sed decernit media ad effectum consequendum sufficientia, quæ prævidit ex prava hominis voluntate fore inefficacia.

Inst. 2. Est specialis Dei affectus erga electos; atqui ille affectus in eo elucet, quod Deus illis decernat media, quæ non modo prævidet profutura, sed quia sunt profutura. Ergo.

Resp. *Nego min*. Sufficienter enim talis affectus in eo elucet, quod Deus, inter multa gratiæ auxilia, ea seligat ac ipsis conferat, quibus prævidet eos consensuros, ideoque salutem æternam consecuturos : illa autem confert ex mero suo beneplacito.

Inst. 3. Deus debet velle alio modo gloriam prædestinatis quam reprobis; atqui non alio modo vellet, nisi mediorum efficacium supponeret antecedentem efficacem volitionem gloriæ respectu prædestinatorum. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Nam, in illo priori, vult tantum affectu simplici gloriam comparandam per merita, quæ non ponuntur, nisi post illam primam intentionem, qua scilicet *vult omnes salvos fieri.* Itaque, prima discretio prædestinatorum a reprobis, ponenda est in decreto conferendæ gratiæ efficacis, non ad solum primum actum, sed ad illum et consequentes, per quos perseveretur.

Objicies 3. Ex D. Aug. [1] : *Nullum est illustrius prædestinationis exemplar, quam ipsemet Salvator;* atqui prædestinatio Christi fuit ante prævisa merita. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Christus est exemplar nostræ prædestinationis ad gratiam, *conc.;* ad gloriam, *nego maj.* Alias sequeretur quod sicut Christus fuit actu beatus ante merita, ita etiam et nos deberemus esse beati ante merita, quod est absurdum. Nec aliud intendit Div. Augustin. qui, *ibidem,* explicat illam similitudinem prædestinationis nostræ, cum prædestinatione Christi quoad gratiam sanctificantem, quæ nos facit esse filios Dei adoptivos *sine ullo merito præcedentis voluntatis nostræ,* sicut ipse fuit Filius Dei naturalis *sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus.*

Objicies 4. Eodem modo prædestinamur ad gloriam, quo prædestinamur ad perseverantiam, quæ immediate conjungitur cum gloria; atqui prædestinamur ad perseverantiam actualem ante prævisa merita. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Prædestinamur ad perseverantiam ante prævisa merita de condigno, *conc.;* de congruo, *nego min.* Nam electi per preces et bona opera de congruo merentur, et impetrant gratiam perseverantiæ. *Hoc ergo donum Dei,* inquit D. August. [2], *suppliciter emereri potest, licet cum datum fuerit, amitti contumaciter non possit.* Imo, *cap.* 16, dicit, Deum illud donum *non nisi conantibus præparasse.*

Inst. 1. Quod est ex mera misericordia, non est ex meritis; atqui perseverantia est ex mera misericordia, cum ab Augustin. vocetur *donum Dei.* Ergo, etc.

[1] L. *de Perseverantia,* c. 24. — [2] L. *de Dono perseverantiæ,* c. 6.

Resp. *Dist. maj.* Non est ex meritis justitiæ, *conc.;* ex meritis congruis et impetrationis, *nego maj.* Porro merita congrua et impetrationis non impediunt meram Dei misericordiam, cum non adstringant Deum ex justitia, sed tantum ex quadam decentia bonitatis et clementiæ.

Inst. 2. Perseverantia, ex Concil. Trid. [1] non potest haberi, nisi ex speciali Dei auxilio; ergo datur sine ordine ad meritum congruum, quod importat semper aliquod debitum.

Resp. *Nego conseq.* Quia solum meritum justitiæ importat debitum.

Objicies 5. Si electio ad gloriam facta esset ex prævisis meritis, mysterium prædestinationis non esset incomprehensibile; quærenti enim cur unus prædestinetur, alter reprobetur, facilis est responsio, quia nimirum Deus prævidit, unum habiturum merita, et alterum demerita; atqui hoc est contra Apost. [2] exclamantem : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* etc. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Licet enim in nostra sententia nonnullæ difficultates, ad quietem animarum, emolliantur, multæ tamen supersunt, quas nullus mortalium poterit unquam solvere, ait Tournely : *Quare ex multis efficacibus gratiæ auxiliis quæ tali homini Deus conferre posset, cum quibus salvus fieret, ea tamen duntaxat conferat, quibus non consentiet; alteri vero ea, quibus prævidetur consensurus? Quare illum efficaciter trahat, non istum?* O altitudo! *Quare e duobus justis, unum ex hac vita rapiat dum justus est, alterum vero tentationum periculis obnoxium relinquat, quibus futurum est, ut aliquando succumbat?* O altitudo! *Quare uni, etiam non oranti, perseverantiam det, alteri vero non det?* O altitudo! *Quare e duobus hominibus unum, qui longe majoribus implicitus est sceleribus, efficaciter convertat, alterum vero non ita scelestum derelinquat?* O alti-

[1] Sess. 6, can. 21 *de Justificat.* — [2] Rom. 11.

tudo! *Quare e duobus infantibus originali peccato æqualiter infectis, permittat unum baptizari antequam moriatur, alterum vero non baptizari?* O altitudo!

ARTICULUS III.

DE EFFECTIBUS PRÆDESTINATIONIS ADÆQUATÆ.

Nota 1. Effectus prædestinationis est id omne quod, virtute prædestinationis factæ, Deus ex speciali affectu confert electo, ut eum ad gloriam perducat. Unde

Nota 2. Ad effectum prædestinationis tres requiruntur conditiones.

Prima, ut talis effectus sit a Deo, quemadmodum ipsa prædestinatio formaliter sumpta, est a Deo. Quare peccatum non potest dici effectus proprie dictus prædestinationis; licet enim cadat sub præscientiam Dei, non tamen cadit sub prædestinationem, ut docet D. Aug. [1].

Secunda, ut detur ex meritis Christi. *Deus* enim *prædestinavit nos per Christum*. Quare creatio non est effectus prædestinationis.

Tertia, ut certissime ad ipsius gloriæ consecutionem conducat, sive formaliter, sive dispositive, sive etiam occasionaliter.

QUÆRES 1. *Quot sunt effectus prædestinationis adæquatæ, id est tum ad gratiam, tum ad gloriam?*

RESP. Sunt tres, ad quos omnia, quæ ad gloriam assequendam conferunt, reducuntur, nempe gratia vocationis, gratia justificationis et glorificatio, juxta illud Apostoli [2]: *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.*

Ratio est, quia id omne quod oritur ex prædestinatione tanquam ex causa, reducitur ad perfectam et integram hominis prædestinati liberationem: atqui integra et perfecta prædestinati liberatio fit adæquate per gratiam, tum

[1] Lib. *de prædest. Sanctorum*, cap. 10. — [2] Rom. 8.

actualem, tum justificantem, per quam liberatur a servitute peccati; et per gloriam, per quam liberatur ab omnibus miseriis, tum animæ, tum corporis. Ergo.

Dices 1. Effectus prædestinationis nequeunt esse communes prædestinatis et reprobis; atqui vocatio et justificatio sunt communes prædestinatis et reprobis. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Vocatio et justificatio sunt communes, etc., si spectentur in se, *conc.;* si spectentur ex parte Dei, *nego min.* Porro non quælibet vocatio et justificatio sunt prædestinationis effectus, sed eæ duntaxat quæ a Deo dantur ex absoluta et efficaci intentione perducendi ad gloriam; sic solis electis dantur, reprobis vero conceduntur tantum ex voluntate Dei generali salvandi omnes homines, ideo in illis sunt tantum communes providentiæ generalis effectus.

Inst. Omnes prædestinati non habent gratiam vocationis, ut patet exemplo parvulorum post susceptum Baptisma decedentium, qui gratiam vocationis non possunt recipere defectu rationis et libertatis. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Omnes prædestinati non habent gratiam vocationis, immediate, *conc.;* mediate saltem, *nego.* Licet enim parvuli per se et immediate non vocentur ad Baptismum, vocantur tamen mediantibus iis qui eorum curam gerunt.

Dices 2. Quandoque contingit electos, a gratia justificationis per peccatum mortale excidere; ergo, eo saltem in casu, justificatio non est in electis effectus prædestinationis.

Resp. *Nego conseq.* Etsi enim illa justificatio, per peccatum mortificetur, nihilominus per subsequentem pœnitentiam reviviscit, ac proinde ad gloriam consequendam ordinatur.

Dixi in resp. *Tres prædestinationis effectus, ad quos omnia, quæ ad gloriam consequendam conferunt, reducuntur,* quia :

1. *Ad gratiam vocationis* reducuntur omnia auxilia ex-

terna, quæ, simul cum internis, ad justificationem concurrunt : talia sunt Evangelii prædicatio, miracula, bona aliorum exempla, a parentibus christianis ortus et educatio, occasionum peccandi remotio, fraterna correctio, morbi, calamitates, etc.

2. *Ad gratiam justificationis* reducuntur habitus fidei, spei et charitatis, et aliarum virtutum supernaturalium, item dona Spiritus Sancti, gratiæ sacramentales, et donum finalis perseverantiæ.

3. *Ad glorificationem* revocantur omnia dona gloriæ accidentalis, quæ vel animam, vel corpus respiciunt. Illa enim proveniunt ab illa benevolentia, qua Deus electos dilexit, ob merita, et per quam tot et tanta suæ largitatis dona ipsis præparavit.

Dices : Plura ex illis donis sunt naturalia ; ergo non sunt effectus prædestinationis.

Resp. *Dist. conseq.* Non sunt effectus prædestinationis, per se et ratione sui, *conc.;* per accidens et ratione ordinationis divinæ, *nego.* Licet ergo illa dona non sint entitative supernaturalia, pertinent tamen ad ordinem supernaturalem ratione ordinationis Dei, qui illa concedit ex meritis Christi, quatenus juvant prædestinatos ad gloriam consequendam; sic bona fortunæ dici possunt aliquando prædestinationis effectus, quando scilicet inserviunt ad eleemosynas erogandas, et ad obtinendam salutem.

Quæres 2. *An peccati permissio prædestinationis sit effectus.*

Resp. Probabilius est quod sit prædestinationis effectus occasionalis. Quia illud est effectus prædestinationis, quod prædestinato præbet ansam illa sectandi et exequendi quæ conducunt ad gloriam; atqui talis est peccati permissio, dicente Divo Augustino [1] : *Audeo dicere : superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur, et cum timore et tremore salutem suam operentur.*

[1] Serm. 33 *de verbis Domini.*

Objicies 1. Effectus prædestinationis est Dei beneficium; atqui permissio peccati non est Dei beneficium, imo est beneficii Dei substractio, gratiæ nempe efficacis. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Non est Dei beneficium, secundum se, *conc.;* quatenus a Deo intenditur et ordinatur ad prædestinati salutem, *nego.* Permissio enim peccati, hoc ultimo modo considerata, est Dei beneficium, cum per eam electus fiat magis humilis, ac in posterum magis cautus, ut tradit D. Aug. [1].

Objicies 2. Effectus prædestinationis confertur ex meritis Christi; atqui permissio peccati non confertur ex meritis Christi; neque enim Christus Patrem rogavit, ut ab eo electis gratiam removeret. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Permissio peccati in se considerata, *conc.*, sic enim est effectus providentiæ communis : considerata quatenus ordinatur in prædestinati salutem, *nego.* Permissionem peccati sic consideratam Christus postulavit a Patre.

Subsumes : Ergo licebit a Deo petere permissionem proprii peccati; atqui hoc est absurdum. Ergo.

Resp. *Nego sequelam.* Cum enim peccatum non possit esse in homine, quin fiat propria ipsius voluntate, ideirco homo non potest petere permissionem peccati, quin pariter petat voluntatem peccandi, quod est vere malum et peccatum.

Prob. seq. Licet petere id omne, quod Christus nobis meruit. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Licet petere quod Christus meruit per se, *conc.;* quod meruit tantum ex consequenti, *nego.* Permissionem autem illam peccati meruit tantum ex consequenti, quatenus nempe sua merita obtulit Patri, ut ex illa permissione eliceret gratias prædestinato conferendas, ut cautior et ferventior per pœnitentiam resurgat.

[1] L. *de Corrept. et Gratia*, cap. 9.

ARTICULUS IV.

DE PROPRIETATIBUS PRÆDESTINATIONIS.

Nota. Proprietates prædestinationis sunt ejus certitudo, immutabilitas et concordia cum libertate, de quibus breviter sit.

CONCLUSIO I.

Prædestinatio secundum se est certissima. Est de fide.

PROB. 1. *Ex Script.* [1] Christus de suis electis loquens, ait: *Oves meæ vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis : et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et c. 13: *Scit Christus quos elegerit.* Ergo Deus certo cognoscit numerum electorum in communi, et personas electas in particulari.

PROB. 2. *Ratione.* Quod Deus futurum præscivit, quodque decrevit efficaciter, illud est certissimum, cum ejus præscientia non possit falli, eo quod sit perfectissima, nec decretum ejus impediri, eo quod Deus sit omnipotens; atqui decrevit ut prædestinati essent beati, et hoc futurum esse præscivit; ergo prædestinatio est certissima : nihil enim aliud est hanc esse certissimam, quam certissimum esse ejus objectum. Quod argumentum est Div. Augustini [2] de prædestinatis dicentis : *Horum si quisquam perit, fallitur Deus ; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus : sed nemo eorum perit, quia nulla vi revincitur Deus.*

CONCLUSIO II.

Prædestinatio non est certa respectu nostri, certitudine absoluta, absque speciali revelatione. Prop. est de fide.

PROB. Philipp. 4 : *Cum metu et tremore vestram salutem ope-*

[1] Joann. 10. — [2] L. *de Corrept. et Gratia*, c. 7.

ramini. Atqui hæc timoris incussio excludit firmam de futura salute securitatem et certitudinem. Ergo, etc. Hinc D. Aug. [1] ait : *Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat, cum Eccl.* 9 *dicatur : Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta?*

Tandem Conc. Trid. [2] definit : *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.*

Dices 1. Joann. 5 : *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei*. Ergo certi esse possumus de nostra prædestinatione.

Resp. *Nego conseq*. Quia ibi nomine vitæ æternæ non intelligitur vita æterna perfecta, et in re ; sed inchoata, et in spe ; quomodo dicitur [3] : *Spe salvi facti sumus*.

Inst. Apost. [4] ait : *Scientes fratres, dilecti a Deo, electionem vestram*. Ergo.

Resp. *Nego conseq*. Nam Apost. ibi loquitur duntaxat de electione Thessalonicensium ad gratiam Dei ; addit enim : *Quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa*.

Dixi in prop. *certitudine absoluta* : quia possumus de prædestinatione nostra esse certi certitudine morali, quæ licet non excludat omnem formidinem, excludit tamen anxietatem, et quamdam confert fiduciam : illius autem certitudinis varia assignantur signa, qualia sunt illa quæ continentur octo beatitudinibus [5], et alia quæ tradunt Patres vitæ spiritualis, quæ hic enumeramus.

1. Frequens sacramentorum usus cum debitis dispositionibus.

2. Zelus honoris Dei, et salutis proximi.

3. Frequens de Deo sermo et cogitatio.

[1] Ibid , c. 13. — [2] Sess. 6, can. 16.— [3] Rom. 8. — [4] Thessal. 1. — [5] Matth. 5.

5. Desiderium patiendi pro Christo.

5. Ardens studium audiendi, et docendi verbum Dei.

6. Rerum caducarum contemptus, et cœlestium amor.

7. Metus et tremor in operanda salute, cum vera humilitate conjunctus, de quo signo Gregorius M., l. 34 *Moral.*, ait : *Quia Redemptor noster corda regit humilium, Leviathan rex superborum; aperte cognoscimus, quod evidentissimum reproborum signum est superbia; et econtra humilitas electorum.*

8. Devotio erga B. M. V. cui Ecclesia accommodat ista *Prov.* 8 verba : *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Et de qua sermonem faciens D. Anselm. cit. a S. Antonio [1], ait : *Sicut impossibile est, ut illi a quibus oculos suæ misericordiæ avertit, salventur, ita necessario est, ut hi ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, justificentur, et glorificentur.*

CONCLUSIO III.

Prædestinatio, sive consideretur ex parte Dei, sive ex parte prædestinatorum, est omnino immutabilis.

PROB. PRIMA PARS. Nam prædestinationem esse immutabilem ex parte Dei, est Deum non mutaturum decretum, quo statuit efficaciter gloriam electis conferre; atqui Deus nunquam mutabit; cum enim sit sapientissimus, consilium non mutat. Ergo, etc. Hinc Apost. [2], ait : *Firmum fundamentum stat, habens signaculum hoc; novit Deus qui sunt ejus.*

PROB. SECUNDA PARS. Prædestinationem esse immutabilem ex parte prædestinatorum, est prædestinatos non posse non consequi gloriam ad quam electi sunt; atqui eam revera non possunt non consequi. Ergo, etc. Hinc Divus Augustinus [3], ait : *Certus est prædestinatorum numerus, qui neque augeri potest, neque minui.*

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. D. Aug. ibidem, super illud Apoc. 3 : *Tene*

[1] P. 4, tit. 15, cap. 14, § 7. — [2] 2 ad Tim. 2. — [3] L. *de Correpl. et Gratia*, cap. 13.

quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, dicit : *Alius non est accepturus, nisi iste perdiderit*. Atqui hic locus intelligitur de corona per prædestinationem assignata, quæ potest amitti. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Hic enim locus intelligendus est de prædestinatis ad aliquam gratiam, a qua excidere possunt: qui enim prædestinatus est ad gratiam, scilicet sanctificantem, habet quidem coronam ex meritis, nondum vero habet ex prædestinatione divina, ut observat Divus Thomas [1].

Inst. Possibile est prædestinatum peccare lethaliter, et in peccato mori, et potest tunc Deus non prædestinare quem antea prædestinaverat; ergo prædestinatio non est immutabilis.

Resp. *Dist. ant.* Potest in sensu diviso, *conc.;* in sensu composito, id est posito quod sit prædestinatus, *nego*. Ita D. Thom. *hic ad* 2 *et* 3. Porro illa possibilitas nunquam reducenda est ad actum, et consequenter *ex hoc non tollitur prædestinationis certitudo*, ait D. Thom. *hic*.

Objicies 2. Si immutabilis sit prædestinatio, ita ut numerus prædestinatorum augeri vel minui non possit, valebit hæc Semi-Pelagianorum argutia Augustino toties objecta : *Ex utraque parte superfluus labor est, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere*. Absurdum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Valebit, si prædestinatio sit immutabilis propter decretum Dei absolutum et antecedens prævisionem meritorum gratiæ, *transeat ant.* (quod eis est solvendum, qui admittunt prædestinationem fieri ante prævisa merita). Valebit, si prædestinatio fiat ex decreto Dei supponente prævisionem meritorum gratiæ, *nego ant.;* nam ex tali prædestinatione, non alia quam consequens oritur necessitas : *Adeoque quod prædestinatus, in sensu composito, damnari non possit, nec reprobus salvari, ex libera prædestinati*

[1] Quæst. 23, art. 6, ad 1.

et reprobi determinatione nascitur, quam Deus ab æterno cognovit, ait Tournely.

Objicies 3. Prædestinatio est idem realiter cum libro vitæ; atqui liber vitæ non est immutabilis. Ergo.

Prob. min. Qui in libro vitæ scripti sunt, possunt ex eo deleri; dixit enim Moyses, [1] : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.*

Nota 1. Ante responsionem. Liber vitæ definitur a Divo Thom. [2] : *Notitia Dei, qua retinet firmiter se aliquos prædestinasse ad vitam æternam.* Unde liber vitæ non differt a prædestinatione, nisi prout memoria differt ab objecto suo, cum sit tantum cognitio præsens eorum quos Deus ab æterno elegit.

Nota 2. Cum duplex sit vita supernaturalis, una *inchoata,* nempe gratia quæ vitæ æternæ radix est et principium; et *consummata,* nempe gloria, ideo duplex liber vitæ distinguitur, nimirum *liber vitæ secundum quid,* in quo inscribitur qui ad gratiam prædestinatus est; et *liber vitæ simpliciter,* in quo inscribitur qui ad gloriam æternam est prædestinatus. His diligenter notatis,

Resp. *Dist. ant.* Qui scripti sunt in libro vitæ *secundum quid,* possunt ex eo deleri, *conc.;* qui scripti sunt in libro vitæ, *simpliciter,* possunt ex eo deleri, *nego ant.:* potest ergo quis excidere a gratia, nunquam vero a gloria, quando ad eam est prædestinatus.

Ad textum Exodi, dico Moysen postulasse deleri de libro vitæ, sumpto non pro inscriptione prædestinatorum, sed pro inscriptione viventium, paratus vitam propriam pro salute populi Israelitici fundere, quomodo clare asserit, *n.* 11 dicens ad Dominum : *Obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis.*

Inst. Regius Psaltes, *Ps.* 68, loquens de libro vitæ simpliciter, ait : *Deleantur de libro viventium.* Ergo prædestinati possunt deleri de vitæ libro simpliciter.

[1] Exodi 32.— [2] 1 p., q. 24, art. 1.

Resp. *Dist. ant.* Possunt deleri negative, id est non inscribi, *conc.;* positive, *nego.* Ita D. August. in hunc Psalmum : *Delebuntur*, inquit, *de libro viventium, id est, non ibi se esse cognoscent :* nam versus qui sequitur exponit, quod dictum est : *et cum justis non scribantur. Dixi ergo, deleantur secundum spem eorum; secundum autem æquitatem tuam, quid dico? Non scribantur.*

CONCLUSIO IV.

Prædestinatio nullam necessitatem imponit prædestinatis.

Prob. Decretum quod supponit scientiam conditionatorum, non imponit necessitatem prædestinatis; quia ex bonis operibus, quæ prædestinatus in hac vita exercet, pendet : atqui decretum prædestinationis supponit scientiam conditionatorum, per quam prævideatur causa libera sese determinatura, in hypothesi quod Deus velit concurrere cum illa. Ergo, etc.

Dices. D. August. [1] ait : *Dei voluntas, rerum necessitas est.* Ergo decretum prædestinationis imponit necessitatem.

Resp. *Nego conseq.* Nam D. Aug. ibi agit de prima rerum creatione, quæ facta est prout Deus voluit; quod ad præsentem quæstionem non pertinet.

Quæres : *An prædestinatio juvari possit Sanctorum precibus?*

Resp. *Affirm.* Quia quidquid prædestinatos juvat ad merendum, illud prædestinationem juvat, cum ex meritorum prævisione prædestinentur : sed preces Sanctorum juvant prædestinatum ad merendum, emerentur enim aliis suppliciter gratiam. Ergo, etc. Hinc Div. Augustinus [2] : *Orat Ecclesia, ut increduli credant: Deus ergo eos convertit ad fidem: orat ut credentes perseverent, Deus ergo donet perseverantiam usque ad finem.*

[1] L. 6 *de Genes. ad litteram.*, c. 15. — [2] *De Dono persev.*, cap. 7.

QUÆSTIO IV.

DE REPROBATIONE.

Nota 1. Reprobatio a gloria (de reprobatione enim a gratia efficaci hic non agimus) definitur a Magistro [1] : *Præscientia impietatis quorumdam, et præparatio damnationis eorumdem*. Explico definitionem.

Dicitur 1. *Præscientia impietatis*, ut detur intelligi, quod sicut prædestinatio fit ex prævisis meritis, sic et reprobatio ex prævisis demeritis.

Dicitur 2. *Impietatis*, per quod intelligitur, vel peccatum originale solum, vel actuale solum, vel utrumque simul conjunctum in adultis peccatoribus non baptizatis.

Dicitur 3. *Præparatio damnationis eorumdem;* per quod intelligitur efficax et absolutum Dei decretum aliquos excludendi a gloria, et ad supplicium æternum deputandi.

Nota 2. Reprobatio duplex est, positiva, scilicet, et negativa.

Reprobatio positiva est *decretum divinum, quo aliqui excludantur a vita æterna, et deputantur ad pœnas æternas* : hæc etiam dicitur *adæquata*.

Reprobatio negativa, secundum aliquos Scholasticos, definitur *mera non-electio ad vitam æternam;* unde non tam est actus divinæ voluntatis, quam ejusdem actus suspensio, qua Deus, aliquos gratuito ad gloriam eligendo, non involvit alios in isto electionis decreto, sed mere negative se habet erga illos. Secundum alios definitur : *Actus positivus, quo Deus quosdam non tantum non elegit, sed etiam excludit a vita æterna, tanquam a beneficio indebito;* quo sensu potest etiam dici reprobatio positiva secundum quid.

Porro reprobatio quæ *negativa* dicitur, sive sit pura actus negatio, sive sit actus positivus, perinde est quantum ad causam reprobationis; eadem enim dura et acerba in-

[1] L. 1 *Sentent.* dist. 4.

commoda ex utroque modo prætensam illam reprobationem negativam explicandi, consequuntur.

Nota 3. Certum est dari reprobationem aliquorum, et quidem adæquate et positive sumptam, quidam enim a Deo excluduntur a gloria æterna, et pœnis æternis deputantur, Matth. 25 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.*

Restat ergo agendum. 1. De causa reprobationis motiva. 2. De effectibus reprobationis, duobus articulis.

ARTICULUS I.

DE CAUSA REPROBATIONIS MOTIVA.

Quæritur. Utrum ex parte hominis sit aliqua causa, quæ Deum moveat, ut ipsum reprobet; an vero reprobatio fiat a solo Dei beneplacito, qui, aliquos prædestinando, alios rejicit, vel positive, vel negative. Circa quod duo sunt hæreticorum errores, et tres Scholasticorum opiniones.

Primus error est Calvini, qui, cum cæteris Prædestinatianis, docet Deum, ante omnem peccati prævisionem, aliquos exclusisse a gloria æterna et pœnis æternis addixisse; atque, ex hac intentione eos damnandi, illos excæcare, imo ad peccata impellere propter quæ puniantur [1].

Secundus error est Jansenii [2] docentis : *Veram reprobationis causam,* quoad omnes, *esse peccatum originale, quo* reprobi *periisse et damnationem prævidentur meruisse.*

Prima Scholasticorum opinio est quorumdam Thomistarum, qui docent Deum actu positivo reprobos a gloria, tanquam a beneficio indebito excludere ex mera sua voluntate, ante prævisum quodcumque eorum peccatum, sive originale, sive actuale; non tamen eos pœnis æternis de facto addicere, nisi propter eorum peccata prævisa, in quo differunt a Calvino.

[1] L. 3 *Instit.* cap. 23, n. 1 et c. 24, n. 12 et 13. — [2] L. 10 *de Gratia Christi*, cap. 2.

Porro hi Theologi reprobationem, quam tuentur, *negativam* vocant, non respectu Dei, cum illam per actum positivum decernat; sed respectu gloriæ, quæ est res homini prorsus indebita : quomodo cæcitas in lapide, quia est carentia visus ipsi indebiti, dicitur *negatio :* econtra cæcitas in homine, quia est carentia formæ ipsi debitæ, *privatio* dicitur.

Secunda opinio est aliquorum Thomistarum et aliorum, qui cum Suarez et Bellarmino docent, Deum non quidem positive, sed mere negative, id est per meram non electionem, reprobos excludere a gloria ante prævisa quæcumque demerita. Hanc opinionem tenentur admittere omnes, qui tuentur systema prædestinationis gratuitæ ante prævisa merita gratiæ.

Tertia opinio est omnium aliorum, qui censent Deum neminem addicere pœnis æternis, neque a gloria, sive positive, sive negative, excludere, ante prævisionem peccatorum, non modo originalis, sed et actualium. His præmissis, sit

CONCLUSIO I.

Deus nullum positive reprobat, ac pœnis addicit æternis ante prævisionem peccati. Est de fide contra Calvinum.

Prob. 1. Ex Script. Sap. 1 : *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Atqui si Deus aliquos ante omne demeritum excluderet positive a gloria, et pœnis addiceret æternis, faceret mortem, et maxime lætaretur in perditione vivorum. Ergo, etc.

Matth. 25 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et angelis ejus : esurivi enim et non dedistis mihi manducare,* etc.; ergo causa discessus in ignem æternum, est omissio mortalis bonorum operum.

Prob. 2. Ex SS. Patribus, maxime S. Augustino [1] : *Non potest,* Deus, inquit, *quempiam sine malis meritis damnare,*

[1] L. 2 *contra Julianum*, cap. 18.

quia justus est. Ergo Calvini dogma facit Deum injustum, quo nihil blasphemum magis.

Hinc Concil. Arausicanum II dogma de quo agitur confixit : *Aliquos*, inquit, *ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.*

Dices. Prov. 16 dicitur : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus : impium quoque ad diem malum.* Ergo Deus damnat positive et addicit pœnis æternis ante prævisa demerita.

Resp. *Nego conseq.* Quia illa verba non sunt sic intelligenda, ut Deus impium creaverit eo fine ut reprobus esset; quod adversatur Scripturæ de Deo dicenti : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Sed sic intelligenda sunt allata verba, quod quamvis homo prævideatur in peccatum lapsurus, atque adeo damnandus, non desinat tamen a Deo produci, ut inde gloria Dei patefiat : *Utilius enim*, ait D. Aug. [1], *judicavit Deus de malis bene facere, quam nulla mala permittere.*

CONCLUSIO II.

Peccatum originale non est causa reprobationis adultorum baptizatorum. Est contra Jansenium et ejus discipulos.

Dixi : *Adultorum*, certum est enim infantes, qui sine Baptismo moriuntur, reprobari a gloria propter solum peccatum originale prævisum, cum alterius peccati rei esse non possint. Itaque

Prob. Prop. 1. Deus, etiam supposito peccato originali vult omnes homines salvos fieri : Christus pro omnibus mortuus est; atqui illa Dei voluntas salvandi omnes, illa mors Christi oblata pro omnibus, etiam supposito peccato originali, non potest stare cum voluntate aliquos re-

[1] In Enchirid., cap. 27.

probandi a gloria, propter illud idem peccatum originale; illa enim secum pugnare videntur. Ergo, etc.

PROB. 2. Argumento, quod Bellarm. [1] insolubile dicit: *Peccatum originale in hominibus baptizatis fuit per Baptisma remissum; ergo non potest esse causa eorum reprobationis. Ant.* est de fide. *Si quis*, ait Conc. Trid. [2], *per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate conferitur, reatum originalis peccati remitti negat, anathema sit.* Quam definitionem confirmat ex Apost. [3] dicente: *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Id est, ut habet Trid.: *Qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem.*

Respondent adversarii peccatum originale remitti per Baptisma quoad culpam, non vero quoad omnem pœnalitatem: in baptizatis enim remanent ignorantia et concupiscentia, quæ mortalem quamdam peccandi necessitatem inducunt, nisi Deus efficaciter adjuvet. Sed

Contra est 1. Quia Conc. Trident. definit concupiscentiam *nocere non consentientibus, sed viriliter per JESU CHRISTI gratiam repugnantibus non valere.* Atqui plurimum noceret, si esset causa reprobationis a gloria. Ergo, etc.

Contra est 2. Quia idem Concil. docet quod renati per Baptisma *Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæreredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.* Atqui si esset causa reprobationis a gloria, renatus per Baptisma haberet aliquid, quod eum ab ingressu cœli remoretur. Ergo.

Confirmatur. Quia, qui excluditur a gloria est objectum odii Dei; atqui ex Conc. Trident. *In renatis nihil odit Deus, quia nihil damnationis est iis, etc.* Ergo in renatis nullum est objectum odii; quodnam enim illud esset? *Peccatum?* At totaliter est sublatum; *pœnalitates?* At ex se nullam mali moralis rationem habent. Ergo.

[1] L. *de Gratia et lib. arb.*, cap. 16. — [2] Sess. 5, can. 5. — [3] Rom. 8.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Rom. 8, de Jacob et Esau dicitur : *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali... non ex operibus, sed ex vocante dictum est... Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Atqui ibi Scriptura expresse excludit a reprobatione Esau quodlibet actuale peccatum; ergo propter solum originale sic fuit reprobatus.

RESP. 1. *Nego min.* Nam reprobatio Esau, de qua Apostolus, non est a gloria, sed a gratia efficaci; exemplo enim Jacob et Esau utitur Apostolus, ut ostendat vocationem ad gratiam fidei plane gratuitam esse, nec ullis aut naturæ, aut legis Mosaicæ meritis debitam esse, prout volebant Judæi.

RESP. 2. Ex hypothesi quod hic agatur de reprobatione a gloria, *dist. min.* Scr. excludit a reprobatione Esau quodlibet actuale peccatum, aut commissum, *conc.;* futurum a Deo prævisum, *nego.* Ex hoc fuit objectio proposita.

INST. D. August. [1] ad ista verba : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui,* dicit : *Quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Ergo solum peccatum originale fuit causa odii Dei in Esau; odium autem Dei et reprobatio a gloria idem sunt.

RESP. *Nego conseq.* D. Aug. enim tantummodo de reprobatione a gratia speciali loquitur, ut ostendat eam non dari propter bona opera naturæ prævisa; quandoquidem Deus uni suam largitur gratiam antequam quidquam boni egerit; et alteri denegat antequam quidquam egerit mali : *Ubi nunc opera,* inquit, *vel præterita, vel futura tanquam liberi arbitrii viribus impleta, vel implenda? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuitate gratiæ, hoc est veræ gratiæ commendatione sententiam?* Porro antequam Esau quidquam mali egerit, nullum habebat objectum odii actu, nisi peccatum originale; sed quid contra nos?

[1] Epist. 105.

OBJICIES 2. D. August.[1] ait : *In massa perditionis justo divino judicio... Tyrii relicti sunt et Sydonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illi Christi signa vidissent; sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, unde etiam crederent, est denegatum.* Unde sic argumentor : Illa reprobatio fit propter solum peccatum originale, quæ Deo causa est cur reprobos a massa perditionis non liberet, nec illis in tempore gratias efficaces et perseverantiam finalem concedat; atqui ex D. Aug. reprobatio a gloria est causa cur, etc. Ergo.

RESP. *Nego min.* Neque enim ibi D. August. agit de reprobatione adultorum baptizatorum a gloria, de qua sola nos hic agimus; sed agit tantum de reprobatione baptizatorum a gratia efficaci fidei et perseverantiæ, quam non habuerunt Tyrii et Sidonii, licet habuerint sufficientem, nam *credere potuerunt.* Hocque, ut ostendat D. Doctor gratiam et perseverantiam esse donum Dei omnino gratuitum, quod probet exemplo Tyriorum, qui licet credere poterint, quia tamen donum fidei illius, justo Dei judicio, non erat datum, etiam Christi miracula, quibus credidissent, sunt denegata : *Ex quo apparet,* inquit, *quosdam habere in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel facta conspiciant : attamen quia Dei altiore judicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent.* Est ergo totus D. Doctor, ut astruat gratuitatem gratiæ; unde nihil contra nos.

[1] Lib. *de Dono persev.*, c. 14.

CONCLUSIO III.

Non datur reprobatio negativa adultorum a gloria tanquam a beneficio indebito, quæ fiat ex solo Dei beneplacito ante prævisum quodcumque peccatum actuale, sive illa reprobatio sit actus positivus, sive sit mera actus negatio : sed unica reprobationis adultorum baptizatorum causa, sunt actualia eorum peccata.

Prob. 1. Omnibus argumentis, quæ attulimus contra prædestinationem ante prævisa merita gratiæ. Ideo enim admittitur reprobatio negativa a gloria, quia, multis ante prævisa merita prædestinatis, relicti sunt cæteri; atqui Deus non prædestinat ante prævisionem meritorum. Ergo.

Prob. 2. Quia sincerus affectus homines salvandi stare non potest cum reprobatione negativa a gloria. Ergo est rejicienda.

Prob. ant. Affectus, qui non tam est, quam esset futurus, si nihil aliud obstaret, non est sincerus; atqui, juxta adversarios, affectus Dei erga salutem hominum, non tam est quam esset, si nihil aliud obstaret : *Voluntas illa antecedens*, inquit Alvarez [1], *actum conditionatum importat in Deo, quo vellet salutem omnium, nisi ex hoc impediretur pulchritudo universi, et bonum universale divinæ justitiæ et misericordiæ.* Ergo, juxta illos, Deus non tam vult homines salvos fieri, quam vellet; quomodo prodigus vellet parcere sumptibus, nisi vellet satisfacere nimio luxui, et avarus liberaliter agere, nisi vellet ditescere; quomodo autem hoc potest cum his [2] verbis convenire? *Nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua et vivat.* Et cum his [3] : *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

Prob. 3. Ex D. Prospero [4] de reprobis dicente : *Ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri* (nempe mali in fine vitæ) *ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt... essent autem præ-*

[1] Disput. 35, conclus. 4, n. 5. — [2] Ezech. 33. — [3] Rom. 2. — [4] *Respons. ab objectionem tertiam Gallorum.*

destinati, si essent reversuri, et in sanctitate mansuri. Ubi manifeste rejicit reprobationem negativam, cum asserat eam fieri ob prævisa peccata actualia.

D. Fulgentius [1] : *Quæso, Monime,* inquit, *ut hunc locum Pauli* [2] *attendas : notum namque est iram Dei non posse dici, nisi ubi creditur iniquitas præcessisse.* Ubi nullam Dei iram agnoscit (qualis existit, non solum in condemnationem ad supplicia, sed etiam in exclusione a gloria, quæ est pœna damni), nisi ubi præcesserit iniquitas.

Objicies. Jacob ex communi massa perditionis non fuit eductus, et Esau in ea relictus, nisi ex sola Dei voluntate, qua *cujus vult miseretur, et quem vult indurat;* ergo sola voluntas est causa reprobationis negativæ.

Resp. *Dist. conseq.* Sola Dei voluntas est causa reprobationis negativæ comparatæ, *conc.;* absolute consideratæ, *nego conseq.* Cur enim e duobus eorum Adami peccato infectis, unus liberetur, alter vero non liberetur? Nulla potest reddi ratio, et cum Apostolo exclamandum : *O altitudo* [3] *!* Verum, cum agitur de reprobatione unius absolute spectata, illius causa legitima redditur, peccatum scilicet originale in infantibus, actuale in adultis baptizatis, et utrumque in adultis non baptizatis.

Inst. Atqui sola Dei voluntas est causa reprobationis negativæ absolute consideratæ. Ergo.

Prob. ant. Deus excludit negative, seu non eligit hominem ad gloriam, quia illi est indebita; ergo ex sua sola voluntate eum eligit.

Resp. *Nego ant.* Quia, posita misericordia et ordinatione Dei, qui sincere vult omnes homines salvos fieri, eisque dat sufficientia media quibus ad salutem pervenire possint, posita item redemptione per Christum : Deus non potest excludere hominem a gloria, præcise quia est beneficium ipsi indebitum, sed requiritur ex parte hominis peccatum,

[1] L. 1 *ad Monimum,* cap. 24. — [2] Rom. 9. — [3] Ita docet D. August. epist. 194 *ad Sixtum.*

sive originale si prævideatur non remittendum, sive actuale in renatis.

ARTICULUS II.

DE EFFECTIBUS REPROBATIONIS.

QUÆRES 1. *Quot sunt effectus reprobationis?*

RESP. Sunt quatuor, nempe :

Primus est permissio peccati, non cujuscumque, quia peccatum potest per gratiam deleri; sed peccati cum morte conjuncti.

Secundus est excæcatio mentis, qua fit ut homo se peccare non amplius advertat, sicque non convertatur, infallibiliterque moriatur impœnitens; licet enim Deus ei non deneget gratiam illuminationis sufficientem, ipsi tamen, in pœnam peccatorum præcedentium, efficacem denegat. Cæcitas autem illa ita pœna est peccati, ut etiam sit ipsa peccatum, utpote voluntaria.

Tertius est obduratio cordis, qua fit ut obduratus lucentem veritatem rejiciat, monitiones spernat, et adhortationibus hoc unum respondere soleat : *Non possum.*

Quartus est pœna tum damni, quæ in exclusione a gloria; tum sensus, quæ in deputatione ad pœnas æternas consistit. Hæc enim utraque pœna est a Deo justo vindice. *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, etc.*

QUÆRES 2. *Quomodo Deus peccatorem indurat et excæcat?*

RESP. Deus hoc exequitur duobus modis.

1. Cum peccatori denegat auxilia efficacia, per quæ convertetur actu, et non moreretur in peccato : nam *non indurat Deus,* inquit D. August. [1], *infundendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.*

2. Cum permittit peccatorem incidere in tentationes et occasiones peccandi, quibus videt futurum ut peccata peccatis accumulet: aut etiam illi offert objecta per se bona,

[1] Epist. 294.

vel certe non mala, quibus abutitur ad suam perniciem; sicut advenit Pharaoni, ut explicat Div. August. [1].

Resolves. Causam meritoriam indurationis, esse antecedentia peccata, ut tradit Apost. [2]. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, etc.; propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam*. Quem locum expendens Divus Augustinus [3] ait : *Hinc utique vides causam propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam : dixit quippe quid mali ante fecissent et adjunxit : propter quod tradidit illos in desideria cordis eorum; proinde præcedentis est hæc pœna peccati.*

[1] L. *de Gratia et lib. arb.*, lib. 21. — [2] Rom. 1. — [3] L. 5 *contra Julianum*, cap. 3.

TRACTATUS

DE DEO TRINO.

* *Nota* 1. Catholicæ fidei confessio de Trinitate consistit in eo quod numericam trium personarum distinctionem in una et individua essentia divina agnoscamus, neque confundentes personas, neque substantiam separantes, ita ut tres istæ personæ consubstantiales sint et coæquales. Sic tamen ut Pater a nullo sit factus, nec creatus, nec genitus; Filius Patre solo sit, non factus nec creatus, sed genitus; et Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedat, tanquam ab uno principio per simplicem processionem. In tres classes dividi possunt ii qui circa SS. Trinitatis mysterium errarunt.

Prima est eorum qui nullam agnoscunt in Deo personarum distinctionem, ut Sabelliani.

Secunda est eorum qui consubstantialitatem et æqualitatem personarum in divinis sustulerunt; tales fuerunt Ariani, Anomæi et Macedoniani, et aliæ sectæ inde natæ.

Tertia est eorum qui negarunt Spiritum Sanctum a Patre et Filio, tanquam ab uno principio procedere, ut Græci schismatici [1].

Ætate hac nostra omnes hosce errores renovarunt Sociniani, seu Unitarii et Rationalistæ, qui unicam in Deo agnoscentes personam, alia omnia respuunt tanquam rationi contraria, ut Platonicæ philosophicæ commenta. Igitur quidquid contra veteres adversarios dicturi sumus, Neote-

[1] *Conf. Petavium de Trinit.* lib. 1, cap. 6, et seqq.

rici sibi vindicare debent : nihil enim aliud novi afferunt in quæstione nisi formam et phraseologiam. *

Nota 2. Ut in augustissimo Sanctissimæ Trinitatis mysterio tractando cum ordine procedamus, hunc tractatum in tres dissertationes distribuemus. *Prima* erit de mysterio Sanctissimæ Trinitatis in genere. *Secunda* de Personis divinis in particulari. *Tertia* de modo quo loquendum est de hoc mysterio.

DISSERTATIO I.

De mysterio SS. Trinitatis in genere.

Nota. Hujus dissertationis quinque erunt capita : 1. De existentia SS. Trinitatis. 2. De modo cognescendi SS. Trinitatem. 3. De processionibus divinis. 4. De personalitatibus et relationibus divinis. 5. De his quæ tribus Personis sunt communia.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SS. TRINITATIS.

Nota. Cum mysterium SS. Trinitatis in eo sit positum, ut una natura in tribus Personis realiter a se invicem distinctis subsistat, ideo, ut illius existentia agnoscatur, probari debet : 1. Personarum Trinitas. 2. Earumdem consubstantialitas, seu unitas naturæ in tribus Personis.

QUÆSTIO I.

DE TRINITATE PERSONARUM IN DEO.

Nota. Personarum in Deo Trinitatem negarunt 1° *Judæi*, qui contendebant illa Personarum Trinitate, deorum pluralitatem invehi.

2° *Sabelliani*, qui Praxeæ et Noeti hæresim, circa hoc

punctum refricantes, docuerunt unicam esse in Deo Personam pro diversis ejus officiis trinominem, qui ideo *Patripassiani* dicti sunt, quia Filius, qui juxta illos eadem est cum Patre Persona, passus et crucifixus est.

3° *Sociniani*, qui negant Spiritum Sanctum esse subsistentem personam, asseruntque eum esse Dei virtutem tantum et efficaciam : Contra quos

CONCLUSIO I.

Sunt in Deo tres Personæ realiter a se invicem distinctæ.
Est de fide contra Judæos et Hæreticos.

PROBATIO EX VETERI TESTAMENTO CONTRA JUDÆOS.

Nota. Licet non fiat tam aperta mentio Trinitatis Personarum in Veteri Testamento quam in Novo, sive quia periculum erat ne, si pluralitas Personarum Judæis aperte revelata fuisset, illi, utpote ad idololatriam propensissimi, plures esse deos existimarent, sive quia Deus SS. Trinitatis manifestationem voluit Messiæ reservari; tamen multis in locis satis aperte insinuatur pluralitas, simulque Trinitas Personarum divinarum, quod ut manifestum fiat :

Prob. 1. Ex iis locis in quibus, ubi de Deo est sermo, pluralis numerus singulari jungitur, ut indicetur unitas naturæ, et Personarum Trinitas, ut Gen. 1 : *Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ubi in singulari ponuntur hæc verba, *Vidit Deus et ait,* ut unitas essentiæ manifestetur ; et ista, *Faciamus, nostram,* ponuntur in plurali, ut trinitas Personarum demonstretur; nam illa verba ad quasdam alias Personas, a loquente distinctas, diriguntur : unde Theodoret.[1] ait : *Subjungens illud,* faciamus, *expressit numerum Personarum. Similiter cum iterum singulari numero dixit,* imaginem, *eamdem esse naturam ostendit.*

Ut vim hujus argumenti eludant Judæi et Sabelliani,

[1] Interrog. 19 *in Genesim.*

RESPONDENT 1. Deum loquentem uti plurali numero ad designandam suam majestatem, uti Principes facere solent.

SED inanis est ista responsio, tum quia dici non immerito potest Principem sic in plurali numero loqui, quia non suam tantum voluntatem, sed optimatum etiam consilium, hoc loquendi modo, significat; nam non posset sermonem suum dirigere ad alias personas, si ipse esset solus. Tum quia, ut ait Theodoretus, *ibidem* : Deus *raro pluraliter sermonem format, nisi cum innuit numerum Personarum Trinitatis.*

RESPONDENT 2. Deum, licet unica sit persona, in plurali numero more artificis loqui, qui sese ad opus accingens, ut seipsum ad opus excitet, ait : *Age, faciamus*, v. g., *calceamentum.*

SED plane nugatoria ac Deo indigna est ista responsio, quam D. Basilius [1] refellens contra Judæos, ait : *Sunt insignes profecto nugæ, unum aliquem invenire qui sibi imperet .. heriliter seipsum, vehementer urgere et exhortari.*

RESPONDENT 3. Deum per illa verba pluralis numeri, cum Angelis, non autem cum aliis personis divinis locutum fuisse.

VERUM falsa est illa responsio : namque 1. Homo non fuit creatus ab Angelis, imo nec quidquam ad illius creationem, etiam per modum instrumenti, contulerunt. 2. Deus eas alloquitur personas, ad quarum imaginem factus est homo ; atqui homo, non ad Angelorum, sed ad Dei imaginem factus est. Ergo, etc.

PROB. 2. [2] Dicit Deus : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Atqui hic manifeste pluralitatem significat; nam si esset una tantum persona divina, sensus illorum verborum hic esset : *Ecce Adam quasi unus ex me factus est;* quæ locutio est inepta et ridicula.

PROB. 3. Psalm. 109 dicitur : *Dixit Dominus Domino meo...*

[1] Hom. 9 *in Hexameron sub fine.* — [2] Gen. 3.

ex utero ante luciferum genui te. Hic Deus Pater alloquitur Filium a se genitum, at Filius realiter distinguitur a Patre : nemo enim potest seipsum generare. Ergo, etc. Hoc textu usus est Christus [1], ut probaret suam divinitatem.

Prob. 4. Ex iis locis in quibus nomen Dei, vel alicujus attributi divini ter repetitur [2] : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ.* Ubi particula *eum* indicat unitatem naturæ; et verbum *Deus,* ter repetitum, significat Trinitatem Personarum, ut fatentur antiqui Rabbini apud Galatinum.

Alia plura possent afferri, ut illud Isaiæ 6 : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum,* quod Rabbi Jonathan et Rabbi Simeon [3] sic exponunt : *Sanctus, hic est Pater; Sanctus, hic est Filius; Sanctus, hic est Spiritus Sanctus.*

Colliges ex dictis, mysterium SS. Trinitatis in Synagoga fuisse creditum, saltem a viris primariis, quales fuerunt Patriarchæ, Prophetæ, et alii Doctores.

PROBATIO EX NOVO TESTAMENTO CONTRA HÆRETICOS.

Prob. 1. Ex iis locis in quibus diserte numerantur tres personæ [4] : *Docete omnes gentes : baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ubi Christus dicens : *In nomine,* in singulari, significat unam esse trium Personarum virtutem et operationem, ac consequenter unam naturam; et cum distincte addit appellationem Patris, et Filii, et Spitus Sancti, aperte exprimit eorum a se invicem distinctionem.

1. Joann. 5, v. 7 : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.* Ergo realiter, et non nomine tantum, distinguuntur, alias non essent tres testes, sed unus tantum, quod sacro textui repugnat.

Respondent Sociniani illum versiculum esse falsum et sup-

[1] Matth. 22. — [2] Ps. 66. — [3] *Ut refert Galatinus,* lib. 2, c. 20. — [4] Matth. 28.

positum. 1. Quia in textu Syriaco, Arabico, et variis exemplaribus tum Græcis, tum Latinis, non reperitur. 2. Quia nec D. Augustinus, nec D. Athanasius, nec D. Ambrosius, etc., qui ex professo contra Sabellianos, Arianos et Macedonianos manus conseruerunt, usquam eo versiculo (qui tamen ad confutandum errorem maxime idoneus fuisset) usi sunt. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Ad priorem probationem, resp. quidem in aliquibus codicibus versum illum non reperiri, verum in multo pluribus reperitur; ut testatur Robertus Stephanus [1], qui ex sexdecim vetustis exemplaribus græcis, ab Italia, Hispania et Gallia conquisitis, septem solummodo notat, in quibus versiculus ille non reperitur, quod factum videtur incuria exscriptoris, qui cum textum descripsisset usque ad hæc verba : *Quoniam tres sunt qui testimonium dant*, errante oculo, transivit ad versum sequentem, ubi eadem verba repetuntur, sic : *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, et Aqua, et Sanguis, et hi tres unum sunt*; atque ita versum 7 prætermisit. Porro præferendi sunt codices, qui numero plures sunt, et cum utraque Ecclesia latina et græca citatum versiculum retinent.

Resp. ad 2 prob. Aliquos Patres, qui contra Arianos pugnarunt, non usos fuisse adversus illos eo versiculo, quia imperfectis codicibus usi sunt : alii tamen Patres qui codicibus integris utebantur, illum versiculum contra ipsos opposuerunt, quorum hic aliquos referre necessarium puto.

Tertull. [2] *Connexus*, inquit, *Patris in Filio, et Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, qui tres unum sunt, non unus, quomodo dictum est : Ego et Pater unum sumus.*

D. Cyprian. [3] ait : *De Patre, et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est :* et hi tres unum sunt.

Idacius Clarus, l. adversum Varimadum Arianum, di-

[1] In edit. Novi Test. quam, ann. 1550, adornavit. — [2] L. *contra Praxeam*, cap. 25. — [3] L. *de Unitate Eccles.*

cit : *Joannes evangelista ait..: Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus, et ii tres unum sunt.*

Victor Uticensis [1] ait : *Ut adhuc luce clarius, unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis evangelistæ testimonio comprobatur; ait enim : Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, etc...*

Prob. 2. Christus [2] ait : *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis.* In hoc testimonio expressa habetur trium Personarum distinctio, nimirum Filii qui rogat Patrem, Patris qui rogatur a Filio, et Spiritus Sancti qui mittitur a Patre : ideo D. Athanas. hunc locum contra Sabellianos sic urget : *Cum Christus de se loquitur dicit* ego ; *cum de Patre, dicit* ille ; *cum de Spiritu Sancto, subjungit* alium : *nonne igitur manifestæ pertinaciæ est negare tres ?*

Prob. 3. Ex iis omnibus locis, in quibus docetur esse in Deo Filium ab æterno Patre genitum, et Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedentem ; qui enim ab alio realiter producitur, ab eo realiter distinguitur : atqui Filius realiter a Patre, et Spiritus Sanctus realiter a Patre et Filio producuntur, ut infra probabitur. Ergo, etc.

Prob. 4. Ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ innotescit non solum ex Symbolis Apostolorum, Nicæno et Athanasiano, in quo ultimo legitur : *Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur, etc.*, sed etiam ex unanimi SS. Patrum consensu dicentium cum D. Irenæo [3] : *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata... accepit eam fidem quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem... et in unum Jesum Christum, Filium Dei... et in Spiritum Sanctum.*

[1] Lib. 3, cui titulus, Professio Catholicorum Episcoporum Hunerico Regi Vandalorum oblata. — [2] Joann. 14, v. 16. — [3] L. 1 *de Hæresibus*, cap. 2.

CONCLUSIO II.

' *Mysterium SS. Trinitatis rectæ rationi adversari nullo modo ostendi potest.* Hæc propositio est contra incredulos tum Socinianos, tum Rationalistas.

PROB. 1. *Indirecte.* Constat ex dictis mysterium SS. Trinitatis a Deo revelatum esse; atqui quod a Deo revelatum est, rationi adversari non potest, quia fides et ratio a Deo tanquam ab uno eodemque immutabili fonte oriuntur. Ergo, etc.

PROB. 2. *Directe.* Illud mysterium non repugnat rectæ rationi, quod *negative* probari potest; atqui mysterium SS. Trinitatis *negative* probari potest : nam illud probatur negative, quod non probatur impossibile; atqui mysterium SS. Trinitatis non probatur impossibile. Ergo, etc. *Prob. min.* Aliquid non probatur impossibile, cum omnia solvuntur argumenta quæ ejus oppugnant existentiam : atqui omnia argumenta quæ oppugnant mysterium Trinitatis solvi possunt, et jam partim solvimus in capite præcedenti. Ergo, etc. Præterea, ad probandam repugnantiam in mysterio SS. Trinitatis, ostendi debet unitati essentiæ repugnare distinctos existendi modos; atqui hoc nunquam adversarii ostendere poterunt. *Prob. min.* 1° Quia repugnantia ostendi non potest, nisi per comparationem duarum idæarum quæ sese invicem excludunt, v. g., circuli et quadrati; atqui id effici non potest, siquidem adæquatam idæam divinæ essentiæ non habent, neque adæquatam idæam modorum seu personalitatum, quæ constituunt divinam essentiam. 2° Quia repugnantia ostendi nequit nisi in his de quibus certum judicium ferre possumus; non possumus autem certum ferre judicium, nisi de his quæ subjiciuntur naturali rationi; atqui dogma SS. Trinitatis est supra naturalem rationem, nec propterea rationi naturali subjicitur. Ergo impossibile est de illo certum ferre judicium,

nec ostendere mysterium SS. Trinitatis rectæ rationi aliquo modo adversari. *

OBJECTIONES SABELLIANORUM ET SOCINIANORUM.

OBJICIES 1. Deus in Script. dicitur solus [1] : *Videte quod ego sum solus*. Ergo est unica persona in Deo.

RESP. *Dist. ant.* Dicitur *solus* per exclusionem deorum aliorum, et pluralitatis naturarum in Deo vero, *conc.;* per exclusionem personarum, *nego ant.* Dicit enim Christus [2] : *Solus non sum, sed ego et qui misit me, Pater.*

INST. 1. Christus [3] dicit : *Ego et Pater unum sumus*. Ergo Filius est quid unum cum Patre.

RESP. *Dist. conseq.* Est quid unum substantive, *conc.;* adjective et personaliter, *nego conseq.* Itaque, *unus*, substantive excludit pluralitatem deorum, non vero pluralitatem personarum in Deo; hic autem, *unum*, sumitur substantive, unde Tertull. [4] quærens : *Quomodo dictum est : Ego et Pater unum sumus?* Respondet : *Ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.*

INST. 2. Christus [5] ait : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Ergo non substantive solum, sed etiam personaliter Filius est quid unum cum Patre.

RESP. *Dist. ant.* Omnia essentialia, scilicet per communicationem accepta, *conc.;* omnia relativa et personalia, *subdist.*, quatenus relationes, seu personalitates identificantur essentiæ, *conc.*, quatenus sibi invicem opponuntur, *nego ant.* Licet enim personalitates divinæ sint in se invicem, hoc non habent quatenus sibi invicem opponuntur, sed quatenus identificantur in essentia.

OBJICIES 2. Trinitas deorum est impossibilis; ergo et Trinitas personarum... *Resp. Nego conseq.*

Prob. cons. Ideo non possunt esse tres dii, quia Dei na-

[1] Deut. 32. — [2] Joann. 8. — [3] Joann. 10. — [4] L. 4 *contra Marcionem*. — [5] Joann. 16.

tura, cum sit infinita, omnem perfectionem complectitur, et si dii plures essent, unus alterius perfectionem a se excluderet; atqui persona divina pariter infinita est. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Persona divina infinita est, et habet aliquid cum aliis personis commune, nempe naturam, ratione cujus cæterarum perfectiones includit, *conc.;* et nihil tale quid habet commune, *nego min.* Itaque ideo non possunt esse tres dii, quia nihil haberent commune, ratione cujus unus includeret perfectionem alterius; nam ad summum convenirent in natura specifica, per cujus unitatem non fit ut inferiora mutuas perfectiones includant; at non ita est de personis divinis: nam licet inter se distinguantur, quatenus relative opponuntur, non tamen distinguuntur ab essentia, unde omnis emanat perfectio; ac consequenter nulla est in una persona perfectio, quæ non sit in altera; unde D. Thom. [1] ait: *Tantus est Pater quanta tota Trinitas.*

Inst. 1. Si Pater includeret perfectionem Filii, denominari posset Filius; falsum conseq. Ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Quia, ut Pater posset denominari Filius, deberet habere *formaliter* filiationem; et eam habet *identice* tantum, id est, quatenus identificatur cum natura divina quæ filiationem includit, et sic solummodo postulat eam habere; nam licet filiatio in natura divina *formaliter* contineri postulet et debeat, non tamen in Patre, imo postulat ab eo formaliter excludi, cum ei opponatur et relatum postulet a se ipso formaliter excludere suum correlatum.

Inst. 2. Æque posset intelligi Trinitas naturarum identificari in una persona, et Trinitas personarum in una essentia; ergo perinde personarum Trinitas impossibilis est, sicut Trinitas deorum.

[1] 1 p., q. 30, art. 4, ad 4.

Resp. *Nego ant.* Nam Trinitas personarum datur, quia natura divina, ut præscindit a personis, fœcunda est, polletque intellectu et voluntate, quæ sunt processionum principia; ex quo fit ut suus intellectui terminus assignetur, nempe *Verbum;* suus voluntati, nempe *Spiritus Sanctus:* at si daretur in Deo unica persona, nihil tale contingeret; quæ enim posset, si a natura præscinderet, illius esse fœcunditas, quænam processionum principia? certe nulla.

Objicies 3. Istud Scholæ axioma : *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* atqui personæ divinæ sunt quid idem uni tertio, nimirum, naturæ divinæ. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Sunt eadem inter se, sub eo respectu, sub quo sunt eadem uni tertio, *conc.;* sunt eadem inter se, sub alio respectu, *nego maj.* Itaque Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, sunt quid idem in natura, proindeque non distinguuntur ratione naturæ divinæ, sed non quid idem in personalitatibus divinis; et ideo, licet non distinguantur ratione naturæ divinæ, non sequitur quod ab invicem non distinguantur ratione proprietatum personalium.

Inst. 1. Quando duo, vel plura identificantur uni tertio, quod singulare est, debent quoque identificari inter se sub omni respectu; atqui personæ divinæ identificantur uni tertio, quod singulare est, nempe naturæ divinæ. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Si illud tertium pluribus non sit communicabile, *conc.;* si sit communicabile, *nego maj.* Porro natura divina, licet singularis, communicatur Filio a Patre, et Spiritui Sancto a Patre et Filio, quia Deus utpote infinitus potest sub diverso respectu affici, et plures existendi modos recipere, et ideo cum prædicatur de una persona, de ea non prædicatur adæquate, quasi totaliter ei, et non alteri personæ conveniat. Unde sicut non concludit hic syllogismus : *Petrus est homo, Paulus est homo; ergo Petrus est Paulus;* ità nec iste : *Pater est Deus, Filius est Deus, ergo*

Filius est Pater. In utroque enim medius terminus non distribuitur.

* INST. 2. Si natura divina sic est communicabilis, ergo nomen personæ in se substantiam includit; ergo, multiplicatis personis, multiplicatur divina substantia, et sic ratiocinari licebit: Deus est trinus in persona: atqui unaquæque persona in se substantiam divinam includit; ergo quœlibet persona divina trina est in personis; quod nimis repugnat.

RESP. *Dist. ant.* Vox *personæ* includit substantiam indirecte, *conc.*; directe, *neg.*; nam directe nomen personæ non significat nisi subsistentiam ejusdem naturæ, quæ in Deo a cæteris personis possidetur per propriam subsistentiam. Sit in exemplum figura geometrica SS. Trinitatem adumbrans: *triangulus* est unius in natura figuræ, et trinus in angulo: substantia figuræ communicabilis est unicuique angulo, qui participat ad illam per suam propriam subsistentiam; ideo dicere possumus: *Figura trina in angulis;* at dici non potest: *Angulus trinus in angulis;* ergo negatur consequentia, quia de uno transitur ad aliud, nempe de natura ad personas, cum natura sit ipsa substantia, et vox *personæ* denotet modum subsistendi.

INST. 3. Atqui vox *personæ* substantiam *directe* includit; ergo, ubi realiter distinguuntur personæ, pariter distingui debet realiter divina natura, *prob. ant.* Ex definitione personæ tradita a Boetio et ab omnibus theologis admissa; quæ est *rationalis naturæ individua substantia.*

RESP. *Nego ant.* Ad probationem, *disting.* Persona est rationalis naturæ individua substantia, id est *subsistentia*, *conc.*; individua substantia simpliciter, *neg.* Sic intellexit Boetius, nec in alio sensu admittitur a Theologis. [1] Vide infra cap. 4, quæst. 1.*

[1] *Conf. Suarez.* tom. 11, metaph. disp. 34, n. 13, et *in Theol.* in 3 p. S. Th. disp. 13, sect. 2.

CONCLUSIO III.

Spiritus Sanctus vera est persona per se subsistens. Est de fide contra Socinianos.

PROB. 1. Quia actiones personam viventem et per se subsistentem denotant, juxta illud effatum : *Actiones sunt suppositorum;* atqui Scriptura Sacra Spiritui Sancto proprias tribuit actiones, nempe docere [1] : *Paraclitus autem Spiritus Sanctus... vos docebit omnia;* venire, arguere, audire, loqui, accipere : [2] *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato... quæcumque audiet loquetur..... de meo accipiet.* Ergo, etc.

PROB. 2. Ex operationibus externis Patris et Filii, rite infertur Patrem et Filium duas esse personas distinctas et per se subsistentes; atqui Spiritus Sanctus eadem cum Patre et Filio operatur exterius; sic Matth. 28, Baptismus conferendus præscribitur *in nomine*, id est, auctoritate *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Sic [3] dicitur : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus.* Ergo.

OBJECTIONES.

OBJICIUNT SOCINIANI 1. Ex actionibus quas Scriptura Spiritui Sancto tribuit, non potest inferri ipsum esse subsistentem personam. Ergo.

Prob. ant. Scriptura Sacra actiones tribuit iis rebus, quæ non sunt veræ personæ; sic Apost. de charitate ait [4] : *Non æmulatur, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt, etc.* Atqui charitas est donum Dei et accidens, non persona subsistens. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Scriptura Sacra rebus, quæ non sunt personæ, tribuit actiones, quæ solis personis tribui solent, ut *velle, declarare, audire*, etc., *nego ant.;* actiones quæ tum veris personis, tum rebus inanimatis tribui solent, *subdist.*,

[1] Joann. 14, v. 26. — [2] Joann. 16, v. 8, 13 et 14. — [3] 1. Joann. 5. — [4] 1 Cor. 13, v. 4.

ita ut virtus principalis agendi personis tribuatur, rebus vero inanimatis usu recepto tribuatur solummodo virtus agendi instrumentalis, *conc.*; ita ut indifferenter rebus animatis et inanimatis tribuatur virtus agendi principalis, *nego ant.* Quando enim Scriptura de charitate dicit : *Non æmulatur, non agit, quærit*, etc., charitas non sumitur in abstracto, qui est agens principalis, charitas vero medium agendi.

Inst. 1. Inter res quibus Scriptura tribuit actiones, non potest discerni quænam sint personæ subsistentes, vel quænam sint res inanimatæ. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Res enim illæ sunt inanimatæ, quæ sæpissime a Scriptura ut mera accidentia designantur, illæ vero sunt personæ subsistentes, quæ ut tales a Scriptura constanter designantur, et quæ a suis donis distinguuntur; porro Spiritus Sanctus a Scriptura constanter designatur ut persona subsistens, Joann. 14 : *Alium Paraclitum dabit vobis;* 1. Cor. 6 : *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti.* Ac a suis donis distinguitur, Rom. 8 : *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; 1. Cor. 12 : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, etc.

Inst. 2. Actiones personales tribuuntur Spiritui Sancto per figuram prosopopeiæ, qua res, quæ non est persona, inducitur loquens quasi esset persona; ergo ex illis actionibus non potest concludi quod sit vera persona subsistens.

Resp. *Nego ant.* Quis enim, nisi cæcus sit, dicat hæc verba, Actor. 10 : *Dixit Spiritus ei* (Petro) : *Ecce viri tres quærunt te..... vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos*, de Spiritu Sancto dici figurate, cum pronomen *ego*, apertissime demonstret personam quæ imperat et mittit.

Prob. ant. Quando Scriptura de Spiritu Sancto ait : *Interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, figurate loquitur, neque enim vera persona divina potest interpellare, gemitus fundere, etc. Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Equidem eo loco Scriptura figurate de Spiritu Sancto loquitur, quatenus nos per suam gratiam facit gemere et orare sicut oportet; sed quis inde concludat Scripturam in omnibus aliis locis de Spiritu Sancto loqui figurate? Idem certe præstaret ac qui diceret : Cum Scriptura dicit Christum esse vitem, ostium, agnum, figurate loquitur; ergo semper de Christo figurate loquitur : an hoc ratiocinium ferrent vel ipsi Sociniani? Ergo ex subjecta materia, ex antecedentibus et consequentibus, etc., æstimandum est an Scriptura figurate loquatur, vel non.

Objicies 2. Nomine Spiritus Sancti in hoc textu Matt. 28: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* intelligitur Dei donum, nempe gratia sanctificans; ergo ex eo non potest inferri Spiritum Sanctum esse personam subsistentem.

Resp. *Nego ant.* Nam, juxta textum, Baptismus conferendus est *nomine,* id est, auctoritate *Spiritus Sancti;* atqui absurdum plane est nomine et auctoritate alicujus doni et accidentis ministerium exercere. Ergo, etc.

Prob. ant. In hoc textu Actor. 2 : *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto,* per Spiritum Sanctum intelligitur gratia Dei; neque enim repleri quis potest persona divina. Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Non enim negamus quin aliquando, raro tamen, nomine Spiritus Sancti intelligatur donum ejus; sed dicimus Scripturam Sacram communiter nomine Spiritus Sancti intelligere personam divinam, quod vel ex subjecta materia, vel ex antecedentibus et consequentibus colligi debet; sicut in textu allato colligitur ex contextu, in quo manifeste distinguitur Spiritus Sanctus a suis donis, cum enim dictum est : *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto,* statim additur : *Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis* :

QUÆSTIO II.

DE DIVINARUM PERSONARUM CONSUBSTANTIALITATE.

Nota 1. De Patris divinitate nullum unquam fuit dubium; verum Abbas Joachim docuit tres personas sola collectione unum Deum esse, sicut multi homines dicuntur unus populus, ac proinde negavit Patrem secundum se, et seorsim ab aliis personis Deum esse. Damnatus fuit in Concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III, ubi definitum est, quod *una quædam summa res est... quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; tres simul personæ, et sigillatim quælibet earumdem*. Cum itaque hic error fuerit extinctus statim atque fuit damnatus, non est quod in eo confutando immoremur.

Nota 2. Ariani, *sæculo IV*, negarunt Filium Dei esse verum Deum Patri consubstantialem, blasphemantes eum esse meram creaturam, ante omnia alia entia ex nihilo factam, per quam Deus, tanquam per instrumentum, omnia, quæ facta sunt, condidit. Hanc hæresim sæculo proxime elapso renovarunt Sociniani, eique addentes, docuerunt Verbum non prius extitisse, quam ex B. Virgine nasceretur.

Nota 3. Macedoniani, eodem sæculo, negarunt Spiritum Sanctum esse verum Deum, Patri consubstantialem, quibus etiam accesserunt Sociniani. * At nostris temporibus Rationalistæ et Biblici Neoterici altius demersi sunt in impietatem et incredulitatem. Etenim Christum non solum ut hominem purum cum Photinianis et Samosatenis traducunt; sed Verbum seu Dei Filium ausi sunt affirmare nihil aliud esse quam quoddam Dei attributum, non autem personam subsistentem, Christum vero tanquam *theurgum* seu magum habent, qui suos contribulos, irrito tamen conatu, ab erroribus reducere voluit. * Agendum ergo habemus de divinitate Filii et Spiritus Sancti, ex distinctis articulis. De

Christo ejusque divinitate dicemus in tractatu De Incarnatione.

ARTICULUS I.

DE DIVINITATE VERBI DIVINI.

Nota. Licet controversia de Verbi divinitate sit distincta ab ea, quæ est de Christi divinitate, cum Nestoriani, qui Verbi divinitatem admittunt, negent Christum esse vere ac substantialiter Deum, quia moralem duntaxat, non vero physicam et hypostaticam agnoscunt Verbi divini cum humanitate unionem; tamen utramque hic attingemus, tum propter sui connexionem, Christus enim nihil aliud est quam *Verbum caro factum;* tum maxime quia ex eo quod Christus sit substantialiter Deus, sequitur necessario Verbum esse substantialiter Deum; nec enim Christus potest esse substantialiter Deus, nisi illius humanitas substantialiter unita sit cum persona, quæ vere et substantialiter sit Deus; unde indiscriminatim *Verbi, Filii Dei, et Christi*, vocibus utemur. Itaque sit

CONCLUSIO.

Filius Dei verus est Deus, Patrique consubstantialis. Prop. est de fide, præcipuumque fidei et Christianæ religionis fundamentum.

Prob. 1. Ex præcipuis verbis Testamenti Veteris.

1. *Textus* Isaiæ 9 : *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis... et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi.* Et cap. 35 : *Deus ipse veniet, et salvabit nos.* Atqui fatentibus Arianis et Socinianis, hi textus intelliguntur de Christo Filio Dei; ergo est verus Deus.

Nec obstat, quod respondent Sociniani, verbum nempe *vocabitur,* referri ad Patrem qui dedit Filium, non ad Filium qui datus est, quia, inquiunt, in hebræo legitur *vocabit,* non *vocabitur.*

Resp. Enim, *nego ant.*, nam verbum *vocabitur* refertur ad Deum, qui venturus est ad salvandum nos. *Deus ipse veniet,* inquit Isaias [1], *et salvabit nos;* atqui Filius Dei veniet ad salvandum nos. Ergo, etc. Nec Socinianos juvat quod verbum *vocabitur* in editione hebraica reddatur per verbum *vocabit,* ut illud reddidit Vatablus, quia tunc supplendus est nominativus *quilibet,* ut docet illustrissimus Huetius [2], et tunc eumdem sensum reddit ac *vocabitur;* deinde LXX interpretes verterunt *vocatur,* Symmachus, translatio ex hebræo S. Pagnini habent sicut Vulgata nostra, *vocabitur,* ex quo patet communem locutionem esse retinendam.

2. *Textus* Isaiæ 7 : *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Id est, ut interpretatur Div. Matth. [3] : *Nobiscum Deus;* ergo Christus est *Deus nobiscum* in carne habitans.

3. *Textus* psalm. 109 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Quod quidem testimonium est argumentum pro divinitate Christi adeo invictum, ut Judæi [4] nihil potuerint respondere Christo suam ex illo textu probanti divinitatem, namque particula hæc : *Dixit Dominus,* intelligitur de Deo Patre ; et ista : *Domino meo,* de Deo Filio, qui secundum naturam divinam solum est Dominus Davidis, non secundum naturam humanam, quam ab ipso Davide recepit.

4. *Textus,* eodem psalmo, Deus Pater dicit Filio : *Ex utero ante luciferum genui te.* Simplex explicatio hujus loci evidenter demonstrat divinitatem Verbi, *genui te,* id est vera ac proprie dicta generatione produxi te, *ex utero,* id est ex mea propria substantia, unde dicitur Filius Dei [5] : *Filius meus es tu,* non adoptivus per gratiam, sed naturalis. *Cui enim Angelorum dixit aliquando,* ait Apost. [6] : *Filius meus es tu, ego hodie genui te ?* Et tandem dicitur genitus *ante luciferum,* id est ab æterno, ut prænuntiavit Michæas [7] : *Egressus*

[1] Cap. 35. — [2] Prop. 9 *demonstrat. Evangelicæ.* — [3] Cap. 1. — [4] Matth. 22. — [5] Psalm. 2. — [6] Hebr. 1. v. 4. — [7] Cap. 3.

ejus ab initio, a diebus æternitatis. Illa probatio est peremptoria. Alia infinita Veteris Testamenti loca cumulari possunt, sed quæ laudata sunt sufficiunt.

PROB. 2. Ex præcipuis Novi Testamenti locis.

1. *Textus* Joann. 1 dicitur : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : omnia per ipsum facta sunt, etc.* Hic Verbum clare et distincte appellatur *Deus,* et quidem ille Deus, *qui erat in principio,* id est, ab æterno ; qui *erat apud Deum,* id est, a Deo genitus ; *per quem omnia facta sunt,* id est, qui habuit supremam creandi potentiam ; et tandem qui assumpsit naturam humanam, *et Verbum caro factum est.* Nihil, ut patet, validius contra Socinianos ; tamen

DICUNT : Ex his verbis [1] : *In principio creavit Deus cœlum et terram,* non potest colligi æternitas cœli et terræ ; ergo nec ex his : *In principio erat Verbum,* potest colligi æternitas Verbi.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod Moyses non dicit absolute cœlum et terram fuisse in principio, sed creata fuisse in principio ; quod autem creatum est, æternum esse nequit ; e contra, Joannes non dixit Verbum in principio creatum fuisse, sed simpliciter et absolute fuisse apud Deum, et omnia quæ facta sunt, per ipsum facta fuisse. Præterea utitur termino *erat,* qui, cum non importet tempus determinatum, denotat Verbum semper fuisse.

INST. D. Joannes, nomine *Verbi,* non significat personam a Patre distinctam, sed attributum *sapientiæ,* quod est a Patre indistinctum. Ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Nam Div. Joann. loquitur de illo Verbo, quod *caro factum est et habitavit in nobis.* Atqui illud Verbum sapientia est subsistens et personalis, quæ sola potest dicere quod ab æterno sit genita [2] : *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* etc., hoc est, *genuit me,* quomodo Eva [3] dixit: *Possedi hominem,* id est, *genui.*

[1] Genes. 1. — [2] Prov. 8. — [3] Gen. 4.

2. *Textus*. Matth. 14, cum Caiphas interrogasset Jesum : *Tu es Christus Filius Dei benedicti ?* respondit : *Ego sum*; perspicuum est autem Caipham, cæterosque Judæos intellexisse de Filio naturali, alias Caiphas non dixisset : *Audistis blasphemiam*; nec Judæi clamassent : *reum esse mortis*. Nam Judæi dicebant etiam se esse Filios Dei adoptivos [1] : *Unum patrem habemus Deum*. Neque Christus de alio Filio Dei, quam de naturali est locutus, alioquin correxisset Judæorum opinionem, ut ipsis occasionem ruinæ auferret.

3. *Textus*. Christus [2] dixit : *Ego et Pater unum sumus*, id est, una natura divina. In hunc locum S. August. ait : *Quod dixit* unum, *liberat te ab Ario ; quod dixit* sumus, *liberat te a Sabellio; si*, unum, *ergo non diversum; si*, sumus, *ergo Pater et Filius*, duæ personæ divinæ ; quod intelligentes Judæi, voluerunt illum lapidare propter blasphemiam, *quia*, inquiunt, *tu, homo cum sis, facis teipsum Deum*, nimirum natura et substantia : quam accusationem non diluit Christus, imo confirmavit, dicens : *Quem Pater misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum ? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre;* per identitatem, scilicet, naturæ, et consubstantialitatem.

4. *Textus*. Joann. 16 : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Atqui Pater habet divinitatem. Ergo, etc. Unde Div. Augustin.[3] dicit : *Nihil Pater minus habet ille, qui dicit :* Omnia quæ habet Pater, mea sunt : *Æqualis est igitur*.

5. *Textus*. 1 Joan. 5 dicitur : *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis seipsum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita æterna*. Quid evidentius dicere potuit Joannes, ut demonstraret Christum esse Deum, quam dicere verum Deum esse ? *Ut enim* Joannes [4], ait Athanas. [5], *de Patre dixit :* Hæc est vita æterna, ut

[1] Joann. 8. — [2] Joann. 10. — [3] L. 1 *contra Maxim.*, cap. 14. — [4] Cap. 17. — [5] *In disput. cum Ario*, p. 469.

cognoscant te, solum Deum verum, *ita hic de Filio dicit:* Hic est Deus verus et vita æterna. Paritas est perfecta.

6. *Textus.* Philip. 2: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Insignis est hic locus contra Socinianos: nam Christo duplex tribuitur forma, scilicet forma Dei, et forma servi, id est hominis, quam accipiendo, semetipsum exinanivit; ergo sicut per formam servi verus est homo, ita per formam Dei verus est Deus, sed majestatem divinam voluit occultare, vilem formam servi induens velut habitum.

Prob. 3. Ex traditione Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum qui ante Concilium Nicænum floruerunt; alios enim nobis dimittunt Sociniani.

I Sæculo. S. Ignatius [1] ait: *Omnis igitur qui unum annuntiat Deum, in interemptione divinitatis Christi, filius est Diaboli, et inimicus omnis justitiæ.* Et Epist. ad Tharsenses, redarguens eos qui de Christo dicebant, *quoniam nudus homo est*, ait: *Qualiter autem nudus homo audiret:* Sede a dextris meis; *qualiter autem et diceret:* Priusquam Abraham fieret, ego sum; et clarifica me claritate quam habui, antequam mundus esset apud te?

S. Martialis, Petri comes, et primus Lemovicensis Episcopus [2], ait: *Christus mori potuit, quia homo fuit, Filius Dei ante principium fuit; et quia Deus erat, diu teneri in morte non potuit. Resurrexit enim ante lucem tertia die, de loco ubi eum sepeliri vidimus, et apparuit nobis, etc.* Et cap. 8. *Crucem Domini,* inquit, *in quem credidistis Deum verum, et Filium, semper in mente, in ore et signo tenete.*

D. Dionysius Areopagita [3] ait: *Sacræ Scripturæ tradunt ipsummet Deum, se designando, dixisse: Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi solus Deus.* Porro Deus, qui sic se designavit, est Deus Filius: *Etenim,* addit Div. Dionysius:

[1] Epist. ad Antiochenos. — [2] In 1 ad Burdigalenses epistol., cap. 2.— [3] L. *de divinis nominibus,* cap. 2, § 1.

Et Verbum ipsum, quod natura bonum est, ait : Ego bonus sum [1], *nisi de totâ concedant Divinitate,* id est Trinitate [2], *pronuntiatum, sed secundum unam duntaxat partem,* id est, unam Patris personam, *quomodo illud intelligent : Hæc dicit qui est, qui erat et qui venturus est, omnipotens?* Porro hoc Div. Joannes in Apoc. dixit de Filio incarnato. Idem Dionys., § 10, ex S. Hierotheo, dixit : *Causa omnium et quæ omnia implet, est Jesu divinitas.*

II Sæculo, S. Justinus [3] dicit : *Qui quod Verbum et Primogenitus Dei sit, Deus etiam est.* Et in expositione fidei de recta confessione : *Unus ergo revera est,* inquit, *universitatis hujus Deus qui in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto cognoscitur, cum namque ex substantia sua Pater Filium progenuerit, atque ex eadem Spiritum produxerit, quæ unam eamdemque participant essentiam, una eademque dignantur divinitate.*

Athenagoras, legatione pro Christianis : *Quis igitur non miretur,* inquit, *nos qui Deum Patrem prædicamus, et Filium, et Spiritum Sanctum, ita ut et unionis eorum vim, et ordinis distinctionem exponamus, impios et sine Deo vocari?*

S. Theophilus VI, Patriarcha Antiochenus [4], dicit : *Obtulerunt ei* (Christo) *Magi munera, aurum ut Regi, thus ut Deo, myrrham ut homini ad sepulturam.* Et ait [5] : *Joannes ad hunc modum disserens :* In principio erat sermo, et sermo erat apud Deum, etc. *Deus itaque existens sermo, et ex Deo genitus; quando vult Pater universorum, mittit eum sermonem ad aliquem locum.*

III Sæculo, S. Gregor. Thaumaturgus in prima expositione fidei : *Unus Deus,* inquit, *Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis... perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti; unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo... Filius verus veri Patris, invisibilis ejus qui est invisibilis... et sempiternus sempiterni.*

[1] Matth. 20, v. 15. — [2] Ita explicat S. Maximus in *Scholiis :* totam divinam scientiam, inquit, vocat Trinitatis deitatem, quæ in tribus personis agnoscitur. — [3] In Apologia 2, pro Christianis, de Christo. — [4] L. 1 *Comment. in quatuor Evangelia.* — [5] L. 2 ad Autholycum.

S. Dionysius Alexandrinus, Epist. contra Paulum Samosatensem, ait : *Unus est Christus qui est in Patre, coæternum Verbum, una ejus persona, Deus invisibilis, et visibilis factus; Deus enim apparuit in carne, natus ex muliere, qui erat ex Deo Patre genitus ex utero ante luciferum.*

Patres Synodi Antiochenæ, Epist. ad Paulum Samosatensem, dicunt : *Hunc autem Filium unigenitum... Verbum ac virtutem Dei ante sæcula, non præcognitione, sed substantia et hypostasi Deum cum in Veteri et Novo Testamento cognoverimus, confitemur et prædicamus.*

IV Sæculo, Eusebio Pamphilus, Cesareæ Episcopus [1], adversus Sabellium, quærit quis ille sit qui dicit : *Hic est Filius meus dilectus?* respondet : *Utique Pater de Deo, qui videbatur ut homo.* Et lib. 2 : *Gentiles non sumus, quia non dicimus deos. Judæi non sumus, quia Christum Deum confitemur.*

Prob. 4. Non solum ex Concilio Nicæno I, quod in Symbolo definiit Filium esse : *Deum de Deo, genitum non factum, consubstantialem Patri*, etc., sed etiam ex omnibus Conciliis œcumenicis, quæ illud secuta sunt, in quibus Symbolum Nicænum fuit approbatum et confirmatum, et fides Nicæna recepta.

OBJECTIONES EX SCRIPTURA.

Objicies 1. Solus Pater est Deus; ergo Filius non est Deus.

Prob. ant. Christus [2] dicit Patri : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum.* Ergo solus Pater est Deus.

Resp. *Dist. conseq.* Solus Pater est Deus, per exclusionem falsorum deorum, *conc.;* per exclusionem aliarum personarum divinarum, *nego.* Hæc solutio petitur ex regula a D. Aug. tradita [3] : nimirum, quando attributum absolutum uni personæ tanquam soli tribuitur, cum dicitur, *solus Deus, unus Deus, solus Pater, etc.*, non excluduntur aliæ personæ

[1] Lib. 1 *de fide.* — [2] Joann. 17. — [3] L. 3. *contra Maxim.*, cap. 13 et lib. 1 *de Trinit.*, c. 6.

divinæ, sed solum res quæ sunt naturæ diversæ a natura divina; sicut quando dicitur : *Nemo novit Patrem, nisi Filius, non excluditur Pater, quia inseparabiles sunt*, ait D. August., *sic etiamsi dictum esset, soli sapienti Patri, simul intelligi deberet et Filius, quia inseparabiles sunt.*

Inst. 1. Filius est Deus figurate, sicut Moyses, de quo Deus [1] dicit : *Constitui te Deum Pharaonis*. Ergo solus Pater est Deus per exclusionem Filii.

Resp. *Nego ant.* Cum enim Scriptura de aliqua creatura dicit quod sit *Deus*, id non dicit simpliciter, sed cum addito, quomodo Moyses dicitur constitutus Deus Pharaonis; illa porro additio destruit rationem veri Dei, at de Filio divino dicit absolute sine addito, quod sit Deus : *Hic est verus Deus et vita æterna*, ait D. Joann. [2].

Inst. 2. Cum Judæi vellent lapidare Christum, quod se Dei Filium appellasset, respondit ipse se non alio sensu Deum esse quam homines illi qui in Scriptura vocantur dii [3] : *Responderunt ei Judæi : De bono opere non lapidamus te; sed de blasphemia, et quia homo cum sis, facis te ipsum Deum. Respondit eis Jesus : Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi : Dii estis? Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum*. Atqui illi sunt dii figurate. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Christus enim argumentatur a minori ad majus sic : Si judices propter auctoritatem quam a Deo acceperunt, et justi propter sanctitatem, participatam dumtaxat et creatam, dii appellantur, quanto magis Deus dici debet ille *quem Pater sanctificavit*, nimirum sanctitate increata et personali? Atque ut illos inducat ad credendum suam divinitatem, addit : *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego*

[1] Exodi. 7. — [2] Epist. 1. c. 5. — [3] Joann. 10.

in Patre. Propter identitatem naturæ et consubstantialitatem.

INST. 3. Christus in hoc loco probat ex miraculis a se patratis, quod sit Filius Dei; atqui miracula non probant Filium Dei naturalem esse, qui ea operatur : nam Elias et alii prophetæ patrarunt miracula, ex quibus colligi non potest ipsos fuisse filios Dei naturales et consubstantiales; ergo Christus hoc ratiocinio non concludit se esse Filium Dei naturalem.

RESP. *Dist. maj.* Ex operibus et miraculis editis in confirmationem suæ doctrinæ, qua asserebat se esse Filium Dei unigenitum, et æqualem Patri, *conc.;* qua asserebat se esse Filium Dei eo modo quo Elias et alii prophetæ dicuntur filii Dei, *nego maj.* Itaque miracula, secundum se præcise spectata, non probant Deum esse qui ea operatur : sed quando educuntur ad probandam divinitatem ejus qui loquitur, sunt signa indubitata illum esse Deum ; nec enim miracula edi possunt in testimonium mendacii et falsitatis.

INST. 4. Christus se negat Deum natura, dum [1] principi eum vocanti bonum, dicit : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.* Ergo.

RESP. *Nego ant.* Imo se Deum ostendit Christus, nempe excitat principem, a quo nondum cognoscebatur Deus, ad suam divinitatem cognoscendam, ac si diceret : *Tu me cognoscis bonum; ergo et Deum agnosce. Recte me appellabis bonum,* inquit D. Aug. [2], *si me noveris Deum;* nemo enim bonus, nisi solus Deus.

INST. 5. Ille non est Deus natura, qui a Deo creatus est; atqui sapientia, quæ eadem res est cum Verbo, fuit a Deo creata. *Ab initio et ante sæcula creata sum* [3]. Ergo.

RESP. *Dist. min.* Sapientia creata fuit, creatione improprie dicta, *conc.;* proprie dicta, *nego min.* Creatio improprie

[1] Luc 18. — [2] L. *contra Maximin.*, cap. 23. — [3] Eccl. 24.

dicta idem est cum simplici productione et generatione; creatio vero proprie dicta est eductio rei nihilo : illa, non vero ista convenit Dei sapientiæ, quæ de se ipsa dicit : *Ab æterno ordinata sum*, id est, ait D. August. [1] : *Ante omnia tempora et temporalia;* unde LXX verterunt : *Ante sæculum fundavit me*, id est æterna sum.

Objicies 2. Ille quo, tanquam instrumento, Deus usus est ad rerum omnium creationem, non est Deus; atqui Deus Verbo, tanquam instrumento, usus est ad rerum creationem [2] : *Omnia per ipsum facta sunt*. Ergo.

Resp. *Nego min.;* ad prob. *Dist. textum*. Omnia per ipsum facta sunt, tanquam per causam exemplarem, *cone.;* tanquam per causam instrumentalem, *nego*. Scilicet Pater per Verbum operatur, tanquam per ideam in qua omnium agendorum rationes continentur; illa porro idea est personalis et verus Deus, qui, *quæcumque ille* (Pater) *fecerit, hæc et Filius similiter facit*. Ideo in Scripturis particulæ *ab, ex* et *per* idem significant; unde Apost. [3] de Christo ait : *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*.

Objicies 3. Christus de se ipso loquens [4] : *Pater*, inquit, *major me est*. Ergo Filius est minor Patre, et consequenter non Deus natura, ut Pater.

Resp. *Dist. conseq.* Filius est minor Patre, quatenus homo, *conc.;* quatenus Deus, *nego conseq*. Cum itaque Christus natura divina et humana constet, ex attributis quæ illi, quatenus homo, conveniunt, non debet colligi quod non sit Deus, juxta regulam a D. August. [5] traditam.

Juxta hanc regulam Div. Augustinus multa loca Scripturæ, quæ ab Arianis olim, et hodie a Socinianis objiciuntur, solvit dicens : *Secundum formam Dei æqualis est Patri et Filius, et Spiritus Sanctus, quia neuter eorum creatura est; secundum autem formam servi, minor est Patre, quia ipse dixit :* Pater major est...; *secundum formam Dei*, ipse et Pater unum

[1] Lib. *de Trinit.*, cap. 12.— [2] Joann. 1.— [3] Rom. 21.— [4] Joann. 14. — [5] Lib. 1 *de Trinit.*, cap. 11.

sunt; *secundum formam servi*, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum...; *secundum formam Dei*, ipse est Deus verus et vita æterna; *secundum formam servi*, factus est obediens usque ad mortem...; *secundum formam Dei*, omnia mea tua sunt et tua mea; *secundum formam servi*, doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me... *Quomodo mea, quomodo non mea? Nisi secundum formam Dei suam, secundum formam servi non suam, etc.* Sic infinita loca solvit D. Doctor.

Objicies 4. Verus Deus est omnipotens; atqui Christus non est omnipotens [1] : *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem... Non possum ego a me ipso facere quidquam*. Ergo.

Resp. *Nego min.* Ad textum *Dist.* Non potest Filius a se facere quidquam, quia omnipotentia est ipsi a Patre, per generationem communicata, *conc.;* quia non habet æqualem potentiam cum Patre, *nego;* nam : *Quæcumque Pater facit, hæc eadem facit similiter*. Ad quæ D. Aug. [2], tradens tertiam regulam ad explicandos Sacræ Scripturæ textus circa Trinitatem ait : *Dixit similiter, ac per hoc inseparabilis et par est operatio Patri et Filio, sed a Patre est Filius, ideo* non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem... *tenenda est hæc regula, qua non minor est Filius, sed quod de Patre sit, intimatur quibus verbis non inæqualitas, sed nativitas ejus ostenditur*. Quia ergo Filius naturam a Patre communicatam habet, ac proinde scientiam, potentiam et alia attributa absoluta, de eo, etiam quatenus Deus est, recte dicit quod nihil sciat, nihil velit, nihil possit a se ipso, sed a Patre, de quo sicut habet esse, ita et operari.

Inst. Marci 23. Christus, loquens de die judicii, ait : *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi solus Pater*. Atqui particula exclusiva, *nisi Pater*,

[1] Joann. 5. — [2] L. 2 *de Trinit.*, cap. 1.

excludit quamlibet aliam personam, etiam personam Filii, a cognitione diei judicii. Ergo.

Resp. *Nego min.* Nam particula *nisi* excludit solum eos, qui eamdem cum Patre non habent naturam, ut constat ex Matth. 11 : *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem novit quis, nisi Filius.* Quis porro dicat Filium Dei se non cognoscere, cui D. Petrus dixit : *Domine, tu omnia nosti?* Quis cogitare audeat Deum Patrem se ipsum ignorare? Hoc ergo sensu Christus dicit se nescire diem judicii, quia illum non revelat nec aperit nobis, ut docet Div. Aug. [1], dicens : *Quod dictum est, solum sciri Patrem, sic dictum est, quia facit Filium scire; et quod dictum est, nescire Filium, sic dictum est, quia facit nescire homines, id est non prodit eis quod inutiliter scirent.*

OBJECTIONES EX PATRIBUS.

Objicies 1. D. Ignatius [2] de Filio dicit : *Non ipse est, qui super omnia Deus Pater, sed Filius ejus.* Ergo si non est super omnia Deus, non est verus Deus.

Resp. *Dist. textum.* Filius non est super omnia Deus, eo quod non sit fons totius divinitatis sicut Pater, *conc.;* eo quod non sit verus Deus, *nego.* Quod autem sic intelligi debeat S. Ignat., patet tum ex nostris probationibus, tum quia hic etiam probat quod Filius sit *Deus, Verbum et Filius unigenitus,* ex hoc textu : *In principio erat Verbum.*

Objicies 2. S. Justinus [3] dicit 1° Deum Patrem esse Filio *causam ut sit.* Dicit 2° *Filium esse et dici Deum et Dominum alium præter factorem omnium... supra quem alius Deus non est;* 3° Filium *administrum esse Dei*, universorum Creatoris; 4° Christianos *in secundo loco habentes* Filium Dei, *cum ratione venerari.* Atqui illa omnia pugnant contra Verbi divinitatem. Ergo.

Resp. *Nego min.* Licet enim S. Justinus (sicut et alii

[1] Lib. 83 *Quæstionum,* q. 60. — [2] Epist. ad Tharsenses. — [3] Dialogo cum Triphone.

PP. Antenicæni) non adeo caute de mysterio Trinitatis interdum locutus fuerit, eo quod nulli hæretici illud tunc impugnarent, nihil tamen scripsit contrarium huic mysterio, quod clare astruit in nostris probationibus; unde :

Resp. *Ad* 1. Pater est causa Filio ut sit, causa improprie dicta, *conc.;* proprie dicta, *nego*. Causa improprie dicta est ea, a qua aliquid accipit suum esse, quoquo modo illud accipiat, sive cum dependentia, sive sine dependentia. Causa proprie dicta est ea, a qua aliquid recipit suum esse cum dependentia. Primo, non secundo modo, Justinus causam sumpsit, ut astrueret Patrem esse principium Filii, seu Filium a Patre procedere, ut probaret contra Sabellianos, quos hic impugnat, Filium esse personam a Patre distinctam.

Resp. *Ad* 2. Justinus docet Filium *esse Deum a Patre alium*, ratione personalitatis, *conc.;* ratione naturæ, *nego*. Nam clare docet, quod tres SS. Trinitatis personæ, *una eademque dignentur divinitate*.

Resp. *Ad* 3. Docet Filium administrum esse Deo, improprie, *conc.;* proprie, *nego*. Ille est proprie minister, qui nec per se, nec proprio nomine agit; ille vero est minister improprie, qui non agit nisi ratione illius esse quod habet ab alio; hoc ergo improprio sensu Filius potest dici minister Patris; quod *quæcumque* Pater *fecerit, hæc et Filius similiter facit*, per virtutem a Patre acceptam in sui generatione.

Resp. *Ad* 4. Docet Christianos *secundo loco Filium habere ac venerari*, ratione originis, quia est secunda persona, *conc.;* ratione dignitatis et naturæ, *nego*. Nam, *apologia* 2, assignat Filio eumdem cultum qui Patri exhibetur : *Filium*, inquit, *et Spiritum Sanctum colimus et adoramus cum ratione et veritate venerantes*.

Objicies 3. Athenagoras in *Apologia* docet Verbum non prodiisse a Patre, nisi in tempore cum voluit mundum condere. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Docet Verbum prodiisse in tempore ex-

terius, conc.; interius, *nego.* Verbum ergo prodiit in tempore exterius, scilicet per universum hoc ab ipso et per ipsum conditum; sed secundum se non prodiit in tempore, cum sit æternum, ait hic Athenagoras.

OBJICIES 4. D. Iræneus [1] in hæc Psalmi verba : *Ipse mandavit, et creata sunt,* ait : *Cui ergo præcipit? Verbo scilicet, per quod cœli firmati sunt.* Atqui præceptum inferioritatem et dependentiam arguit. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Pater præcepit Verbo improprie, *conc.;* proprie, *nego maj.* Præcepit itaque improprie, hoc sensu quod Pater voluit mundum fieri per Verbum, hoc est voluntate Verbi a Patre accepta et utrique communi. Porro illud præceptum non arguit inferioritatem in Christo : *Ipse* enim *Christus,* ait D. Irenæus [2], *cum Patre vivorum est Deus, qui et locutus est Moysi, qui et Patribus manifestatus est.*

OBJICIES 5. Clemens Alexandr. [3] dicit : *Beneficentissima est natura Filii, quæ soli Omnipotenti propinquissima est;* ergo Filii natura distincta est a natura Patris.

RESP. *Nego conseq.* Nam D. Clemens hic *naturam* usurpat pro *persona* Filii, quæ ideo dicitur Patri *propinquissima,* nimirum ordine originis, quia prima procedit a Patre. Porro, quod naturam pro persona usurpet, constat, tum quia apud veteres vox *usia,* seu *natura,* sumebatur etiam pro persona; tum, quia sibi contradiceret, dicit enim [4] : *Nihil odio habet Deus, sed neque Verbum, utrumque enim unum est, nempe Deus.*

INST. Clemens [5] docet Verbum esse *sapientiam primo creatam.* Ergo.

RESP. *Nego conseq.* Quia per verbum *creatam* intelligit *genitam;* est autem primo genita, quia prior est origine persona Spiritus Sancti.

OBJICIES 6. Origenes [6] dicit : *Non deesse quosdam qui temere*

[1] L. 3 *adversus Hæreses,* c. 8. — [2] Lib. 4, cap. 11. — [3] Lib. 1 *Strom.* — [4] L. *admonitionis ad gentes,* cap. 8. — [5] Lib. 5 *Strom.* — [6] Lib. 8 *contra Celsum.*

affirmant quod servator sit ille universorum Deus; nos certe hoc non facimus, qui credimus ipsi dicenti : Pater major me est. Ergo non credidit Verbum esse verum Deum.

Resp. Licet dura sit doctrina Origenis et tanquam Ariana a DD. Augustino, Hieronymo et Epiphanio censurata, potest tamen rite exponi. Nam agit contra Noetianos, qui volebant Filium esse Deum Patrem; quem illius temporis Scriptores his vocibus, *universorum Dominum*, significabant : unde ut eos refelleret, asseruit Verbum non esse illum *universorum Deum*, sumendo Deum pro persona Patris. Quod sic debeat intelligi Origenes patet, quia eodem libro respondens Celso objicienti, immerito Ethnicos a Christianis accusari, quod plures deos colerent, cum et ipsi Christum pro Deo haberent a Patre distincto, ait : *Nos unum Deum, Patrem et Filium colimus;* atqui probat Patrem et Filium esse unum Deum ex textibus : *Ego et Pater unum sumus. Pater in me est, et ego in Patre.*

Id autem quod dixit Filium, qua Deus est, esse minorem Patre, intelligendum est ratione originis, non ratione dignitatis aut naturæ; qua loquendi ratione usus est ipsemet D. Athanas.[1], dicens : *Non dixit Filius Patrem se meliorem esse, ne quis ipsum externum, alienumque a Patris natura existimaret; sed Pater, inquit, major me est, non quidem magnitudine aliqua, aut ætate, sed propter generationem ex ipso Patre.*

Inst. Origenes[2] ait : *Istam Trinitatis sectam et hæresim atque infidelitatem jam olim de longe designans Diabolus, tria cornua misit ad Job deprædandum.* Ergo.

Resp. *Nego* illum librum esse Origenis; illum enim suppositium probat Erasmus, qui in censura hujus operis, illud Maximino Ariano adjudicat, Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarminus et Genebrardus, qui pro notis falsitatis affert, quod illud opus : *Luciani martyris celebrat agonem, et omousii nomen et Omousianorum sententiam commemorat... con-*

[1] Orat. 2 *contra Arianos.* — [2] Lib 1 *comment in Job.*

stat autem et Lucianum... post Origenem fuisse; ipsum omousii et Omousianorum nomen longe post Origenis tempora enatum.

OBJICIES 7. Tertullianus [1] docet, Filium non esse Patri coæternum ; ergo non credidit eum esse proprie Deum. *Resp. Nego ant.*

Prob. ant. Tertull. ait : *Et Pater Deus est, et judex Deus est; non tamen ideo Pater et judex semper quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec judex ante delictum; fuit autem tempus cum delictum et Filius non fuit, quod judicem et qui Patrem Dominum faceret.* Ergo Pater non fuit ab æterno Pater, nec Filius ab æterno Filius.

RESP. *Dist. conseq.* Pater non fuit ab æterno Pater paternitate essentiali, nec Filius adoptivus, fuit ab æterno Filius, *conc.;* Pater non fuit ab æterno Pater paternitate notionali, nec Filius naturalis, fuit ab æterno Filius, *nego conseq.* Negat itaque Tertull. Deum ab æterno fuisse Patrem paternitate essentiali, quæ respicit productionem creaturarum, estque tribus personis communis, non vero notionali paternitate, quæ est ad Filium, quem [2] dicit æternum : *Sermo ergo in Patre semper, sicut dicit:* Ego in Patre, *et apud Deum semper, sicut scriptum est:* Et sermo erat apud Deum, *et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre quia :* Ego et Pater unum sumus.

INST. 1. L. contra Praxeam [3] dicit : *Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur : Pater major me est.* Ergo non est verus Deus.

RESP. *Dist. ant.* Secundum imperfectum nostrum concipiendi modum, *conc ;* realiter, *nego.* Sic enim loquitur Tertull. ut ostendat Filium esse a Patre per generationem, ut inde concludat contra Praxeam eum a Patre distingui persona et hypostasi; addit enim : *alius est qui generat, alius qui generatur.*

[1] Lib. *contra Hermogenem*, c. 3. — [2] Lib. *contra Praxeam*, cap. 3. — [3] Cap. 9.

INST. 2. Eodem lib. dicit: *Deum Filium agnosco, secundum a Patre defendo*. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Secundum ratione originis, *conc.;* ratione dignitatis, quasi Filius non habeat eamdem dignitatem cum Patre, *nego ant.;* nam ibidem ait: *Ego et Pater unum sumus*, dictum esse, *ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem*. Quid clarius?

OBJICIES 8. Conc. Antiochenum, quod congregatum fuit contra Paulum Samosatenum, [1] definivit Filium non esse *omousion* Patri. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Definivit Filium non esse consubstantialem Patri, ad sensum Pauli Samosateni qui per hanc vocem intelligebat cum Sabellio Filium esse eamdem personam cum Patre, *conc.;* ad sensum catholicum, quem probavit Conc. Nicæn. I, *nego ant.* Itaque *male omousion Samosatenus confessus est*, ait D. Hilar. [2], *quia per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium atque unicum esse Patrem et Filium prædicabat*.

INST. Vox consubstantialis non reperitur in Scriptura; ergo non debuit usurpari a Conc. Nicæno.

RESP. *Dist. ant.* Non reperitur quoad vocabulum, *conc.;* quoad rem per illam significatam, *nego*. Nam vox, *consubstantialis*, quoad sensum continetur in hoc textu: *Ego et Pater unum sumus*. Itaque Concil. Nicænum, definiendo Filium esse consubstantialem Patri, dixit quidem nove, sed non dixit novum.

OBJICIES 9. Quando Filius Dei genitus est, vel erat, vel non erat: si erat, quare genitus est? si vero non erat, æternus non est; atqui si non est genitus, non est? si non est æternus, non est Deus. Ergo.

RESP. Cum DD. Hilario et Augustin.: Filius Dei erat quando genitus est, non quasi prius exsiterit quam gigneretur, sed quia semper gignit Pater, et semper nascitur Fi-

[1] Ann. 265. — [2] Lib. *de Synodis*.

lius; terminus enim actionis æternæ est æternus, est autem jam existens, sed existens vi generationis ipsius.

ARTICULUS II.

DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

CONCLUSIO.

Spiritus Sanctus est verus Deus, Patri Filioque consubstantialis. Est de fide contra Macedonianos et Socinianos.

PROB. 1. Ex Scripturæ locis, in quibus Spiritus Sanctus vocatur Deus.

2. Reg. 23 : *Spiritus Domini locutus est per me, sermo ejus per linguam meam ; dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel, dominator hominum.* Ergo Spiritus Sanctus est Deus Israel dominator hominum. Ergo verus Deus.

Act. 5, D. Petrus sic Ananiam alloquitur : *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri?... Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ubi Spiritus Sanctus dicitur simpliciter et absolute Deus, et opponitur creaturis ; ex quo concludit S. Epiphan., hær. 74 : *Deus ergo de Deo est, et Deus Spiritus Sanctus, cui mentiti sunt,* etc.

PROB. 2. Ex iis Scripturæ locis, in quibus Spiritui Sancto tribuuntur perfectiones et operationes quæ soli Deo sunt propriæ.

Immensitas : [1] *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

Omniscientia : [2] *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei,* quem comprehendit.

Omnipotentia : [3] *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Operatio miraculorum : [4] *In Spiritu Dei ejicio dæmones.*

Associatio cum Patre et Filio in omnibus operibus ad ex-

[1] Sap. 1. — [2] 1 Cor. 2. — [3] Ps. 32. — [4] Matth. 12.

tra [1] : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Prob. 3. Ex traditione Patrum. S. Justinus, *Apologia* secunda, ait : *Filium et Spiritum Sanctum propheticum colimus et adoramus, et Deum solum adoramus.*

Clemens Alexand. [2] sic loquitur : *Unus quidem est universorum; et Spiritus Sanctus unus, qui et ipse est ubique.*

Tertull. lib. adversus Praxeam [3] : *Duos deos nunquam ex ore nostro proferimus : non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et Deus unusquisque.* Et lib. de Pudicitia profitetur Trinitatem unius divinitatis, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.

Gregorius Thaumaturgus, 1. parte operum, in fidei confessione, dicit : *Non igitur creatum quid ac servum in Trinitate, neque superinductitium aliquid et adventitium, quasi prius non existens, posterius vero adveniens. Non ergo defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus, sed immutabilis et invariabilis, eadem semper manet Trinitas.* Ex quo sic arguo : Spiritus Sanctus pertinet ad Trinitatem, in qua nihil creatum, nihil servum reperitur; non minus est æternus quam Pater et Filius; est immutabilis et invariabilis. Ergo verus Deus.

Prob. 4. Ex Conc. Constantinop. I, in quo hæc veritas contra Macedonium fuit definita, his verbis : *Credimus Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem... cum Patre et Filio adorandum et glorificandum, qui locutus est per Prophetas.* Ergo est Patri et Filio consubstantialis. Porro hæc definitio confirmata est in subsequentibus Conciliis œcumenicis.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Spiritus Sanctus est creatura. Ergo.

Prob. ant. Joann. 1 dicitur : *Omnia per ipsum,* Verbum, *facta sunt ;* ergo Spiritus Sanctus per Verbum factus est.

Resp. *Dist. ant.* Omnia quæ facta sunt, per Verbum facta sunt, *conc. ;* omnia quæ sunt, *nego.* Alioqui ipse Pater per

[1] Matth. 28. — [2] Lib. 1 *Pædagogi,* cap. 6. — [3] Cap. 13.

Verbum esset factus, quod aperte falsum est. Unde D. Joann. addit : *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

INST. 1. Ille non est Deus, quem Scripturæ testantur gemere, postulare, contristari, imo et extingui ; atqui id de Spiritu Sancto testantur Scripturæ [1] : *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ;* Ephes. 4 : *Nolite contristari Spiritum Sanctum;* 1 Thessal. 5 : *Spiritum nolite extinguere.* Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Ille non est Deus quem Scripturæ testantur gemere, postulare, etc., proprie, *conc.;* metaphorice, *nego.* Porro Spiritui Sancto hæc competunt solum metaphorice et improprie.

1. Quidem, dicitur postulare pro nobis, et gemere, quia nos sua gratia movet ad postulandum, et coram Deo gemendum : *Interpellat pro Sanctis,* ait D. August. [2], *quia interpellare sanctos facit.*

2. Dicitur contristari, quia producit effectus similes, quos producit homo ab aliis contristatus : nempe improbat quod male gerunt homines.

3. Dicitur extingui, non ratione sui, sed ratione gratiarum, quas in cordibus nostris diffundit, quas homo extinguit, vel non utendo, vel abutendo.

INST. 2. Christus [3] dicit : *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur.* Ergo non est Deus.

RESP. *Dist. ant.* Quæcumque audiet, procedendo, loquetur, *conc.;* discendo, *neg. ant.* Spiritus Sanctus per suam processionem, accipiendo naturam divinam, recipit etiam omnium rerum cognitionem, quæ cum ipsa identificantur. *Audire, illi scire est,* inquit Div. August. [4], *scire vero esse : quia ergo non est a semetipso, sed ab alio a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo igitur audientia.*

INST. 3. Amos 4, Spiritus Sanctus dicitur creatus : *Firmat tonitru, et creat Spiritum.* Juxta LXX. Ergo, etc.

[1] Rom. 8. — [2] Epist. 105. — [3] Joann. 16. — [4] Tract. 99 in Joann.

Resp. *Nego ant.* Quia Propheta per *Spiritum*, intelligit *ventum*, quare Vulgata habet, *formans montes, et creans ventum.*

Objicies 2. Dionysius Alexandrinus negavit divinitatem Spiritus Sancti. Ergo, etc.

Prob. ant. Ex S. Basilio de Dionysio dicente : *Hunc* (Spiritum Sanctum) *ab adorandæ Deitatis consortio segregasse et creatæ ac servili naturæ annumerasse fertur.* Ergo.

Resp. *Nego conseq.* D. enim Basilius non asserit se id quod objicitur, legisse in operibus Dionysii, sed tantum de eo rumorem fuisse a quo se purgavit Dionysius in libro apologetico quem scripsit, qui amplius non exstat, sed qui citatur a S. Athanasio ; sed exstat ipsius liber contra Paulum Samosatenum, in quo dicit : *Non impune feret is qui adversus benignum Spiritum Sanctum blasphemus est ; Spiritus autem est Deus.*

Instant Sociniani. D. Basilius in nullo suorum operum ausus est Spiritum Sanctum appellare Deum ; ergo non credebat Spiritum Sanctum.

Resp. *Nego ant.* Equidem fatendum est S. Doctorem prudenti œconomia aliquoties expressis verbis non dixisse Spiritum Sanctum esse Deum, ne hæretici inde occasionem sumerent Ecclesiam, cui præerat, invadendi et pervertendi ; in quo eum laudat Gregor. Nazianz. [1], sed tamen multis in locis eum distincte Deum dicit, v. gr. [2] : *Quibus designatur in Scriptura,* inquit, *Pater et Filius esse Deus, eisdem designatur et Spiritus Sanctus Deus... ex quo patet Trinitatem esse consubstantialem.*

Objicies 3. Ille non est Deus, qui nec ingenitus, nec genitus est ; atqui talis est Spiritus Sanctus. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam inter genitum et ingenitum datur medium, nimirum, procedens alia via quam per generationem, de qua processionis specie infra agemus.

Objicies 4. Qui mittitur, minor est eo qui mittit ; atqui Spiritus Sanctus mittitur a Patre et Filio. Ergo.

[1] Orat. 20 — [2] Lib. 5 *adversus Eunomium.*

Resp. *Dist. maj.* Qui mittitur cum imperio et dependentia, *conc.;* qui mittitur sine imperio et dependentia, ut accidit in missionibus divinis, de quibus infra, *nego maj.*

CAPUT II.

DE MODO COGNOSCENDI SS. TRINITATEM.

Nota 1. Hic quæritur, utrum mysterium SS. Trinitatis ratione naturali possit probari, sive supposita, sive non supposita illius revelatione.

Nota 2. Duobus modis aliquid probari posse. 1. *Positive,* per demonstrationem, vel *a priori,* vel *a posteriori,* desumptam. 2. *Negative,* solvendo argumenta, quæ veritatem aliquam impugnant.

Certum est, Mysterium SS. Trinitatis probari posse *negative,* cum omnia solvantur argumenta, quæ ejus oppugnant existentiam, et jam a nobis soluta sint capite præcedenti. Restat ergo resolvendum, utrum possit demonstrari positive; ideo sit

CONCLUSIO I.

Mysterium SS. Trinitatis, sive non supposita, sive supposita illius revelatione, nulla ratione naturali demonstrari potest. Est certissima contra Raymundum Lullum.

Prob. 1. *Ex Script.* Illud mysterium ratione naturali demonstrari non potest, quod sola revelatione cognoscitur; atqui mysterium Trinitatis sola revelatione cognoscitur, Matth. 11 : *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Ergo.

Hinc S. Hilarius [1] ait : *Non putet homo sua intelligentia generationis Sacramentum posse consequi.* Et S. Ambros. [2] : *Impossibile est,* inquit, *generationis Verbi divini scire secretum,*

[1] Lib. 1 *de Trinitate.* — [2] Lib. 1 *de Fide,* cap. 10.

mens deficit, vox silet. Porro illi Patres, et alii loquuntur supposita fide illius mysterii.

Prob. 2. *Ratione.* Omnis demonstratio fit a priori, vel a posteriori; atqui mysterium SS. Trinitatis non potest demonstrari nec a priori, nec a posteriori. Ergo, etc. *Non a priori*, sive per causam, quia hoc mysterium nullam sui habet causam. *Non a posteriori*, sive per effectus ad extra; illi enim effectus sunt a Deo præcise ut est unus in natura, prodeunt enim a virtute creativa, quæ, cum sit toti Trinitati communis, arguit unitatem naturæ, non distinctionem personarum. Ergo.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Antiqui Philosophi gentiles non obscure locuti sunt de mysterio SS. Trinitatis; tales sunt Plato, Aristoteles, Trismegistus, qui dixit: *Monas genuit Monadem, et in se suum reflexit ardorem.* Ergo illud mysterium, etiam non supposita revelatione, potest naturali ratione demonstrari.

Resp. *Transeat ant., nego conseq.* Nam si Philosophi gentiles aliquam de hoc mysterio notitiam habuerunt, illam habuerunt vel per revelationem ipsis immediate factam, ut de Sibyllis tradunt DD. August.[1] et Hieron.[2], vel ex lectione librorum Moysis et Prophetarum.

Dixi: *Transeat ant.* Quia D. Thom. *hic ad* 1 docet paganos Philosophos nullam in Deo agnovisse productionem, et probat ex illo[3]: *Loquimur Dei sapientiam... quam nemo principum hujus sæculi*, id est, Philosophorum, *cognovit.* Et certe Trismegistus, quando dixit: *Monas Monadem genuit, etc.*, non ad generationem Filii, aut processionem Spiritus Sancti, illud referri debet, sed ad productionem mundi, quem Deus propter suum amorem produxit.

Objicies 2. Saltem supposita revelatione mysterii, potest naturaliter demonstrari. Ergo, etc.

[1] L. 18 *de Civit. Dei*, cap. 23. — [2] L. 1 *contra Jovinianum.* — [3] 1 Cor. 2.

Prob. ant. Variis demonstrationibus.

Prima demonstratio : De ratione boni infiniti est, ut se communicet modo infinito; atqui non potest infinito modo se communicare, nisi suam naturam communicet. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ut se communicet infinito modo sincathegorematico, qui in eo consistit, quod ejus bonitas sui communicatione exhauriri nequeat, *conc.;* cathegorematico, qui in eo consistit, quod ejus bonitas actu tota simul et adæquate sese communicet, *nego maj.* Non videtur enim possibilis terminus, qui divinæ naturæ sit particeps, cum Deus alter foret, a producente realiter distinctus, ab eoque dependens tanquam effectus a causa.

Secunda demonstratio : Omnis perfectio possibilis, Deo est tribuenda; atqui generare sibi simile, est maxima perfectio. Ergo, etc. Hinc Deus [1] dicit : *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam?*

Resp. *Dist. maj.* Omnis perfectio, quæ non involvit imperfectionem, *conc.;* quæ imperfectionem involvit, *nego maj.* Porro gentilis dicet generationem magnam habere imperfectionem, tum generatim, tum in Deo. *Generatim*, quia spectat speciei conservationem, ac proinde supponit singula individua interitui esse obnoxia. *In Deo,* quia generatio tendere debet in terminum, non persona solum, sed etiam natura a generante distinctum, sicque necessarium foret ut alius a generante daretur Deus. Ergo nemo generationem ab imperfectione, nisi per revelationem, vindicare potest...; locum Isaiæ contemneret Ethnicus, et si illum admitteret, non ratione, sed auctoritate solum consensum præberet.

Tertia demonstratio. Certissimum est : 1. Deum esse intelligentem et volentem; 2. Omne intelligens et volens terminum utriusque actionis producere; 3. Producens et productum distingui realiter; 4. Hunc duplicem terminum

[1] Isai. ult.

debere esse substantiam in Deo, qui nihil accidentale potest in se admittere; 5. Hos terminos naturam divinam et quidem individuam participare, quia multiplex non potest esse natura divina, et quidquid in Deo est, necessario Deus est.

Resp. Hanc probationem non esse demonstrationem; nam mens humana, sibi relicta, cognoscere minime potest actionem intellectus et voluntatis in Deo esse productivam; qualis enim illius erit terminus? *An aliquod accidens?* At in Deo, utpote ente perfectissimo, nullum esse potest. *An substantia?* Minime; alias cum, juxta leges naturæ, omne productum et substantia distinguantur a producente, tot essent naturæ divinæ, quot personæ producentes et productæ, ergo essent plures dii, quod lumini naturali repugnat; ergo gentilis concludet potius Deum, intelligendo et volendo, nullum producere terminum substantialem et personalem; imo ostendet talem terminum non esse necessarium, quia, fatentibus Theologis, Filius et Spiritus Sanctus intelligunt et volunt, nec tamen producunt terminum.

CONCLUSIO II.

Supposita fide hujus mysterii, potest rationibus naturalibus probabile suaderi, et variis exemplis, licet imperfectis, illustrari.

Prob. Illud mysterium potest probabile suaderi, cujus in rebus creatis variæ reperiuntur imagines imperfectæ, quæ illud aliquatenus adumbrant; atqui in rebus creatis variæ exstant imperfectæ imagines, quæ hoc mysterium aliquatenus adumbrant. Ergo, etc.

Prob. min. Unico exemplo mentis humanæ, quæ, licet realiter una, tribus tamen pollet facultatibus, scilicet intellectu, voluntate et memoria, quæ relative distinguuntur: *Ecce ergo,* inquit D. Augustin. [1], *mens meminit sui, in-*

[1] L. 14 *de Trin.*, cap. 8.

telligit se, diligit se : hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum (nam illa similitudo est valde imperfecta maximeque distat a distinctione reali personarum divinarum in unitate ejusdem naturæ), *sed jam imaginem Dei.*

* PROB. 2. Quod simpliciter bonum est, nec meliori bono opponitur, in Deo esse debet, quia nihil melius Deo dici potest; atqui, charitas est aliquod bonum simpliciter, nec meliori bono opponitur; ergo charitas in Deo esse debet. *Subsumo :* atqui charitas saltem duos habet terminos, quia nemo proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur; sed dilectio in alterum tendit, ut charitas esse possit. [1] Jam vero, cum in Deo omnia sint substantialia, charitas quæ procedit ab uno principio et tendit in objectum amatum ex quo iterum ad principium reduplicatur, aliquid substantiale esse debet et terminus divinæ naturæ; ergo tres termini, seu personæ sunt in Deo. Ergo. *

CAPUT III.

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS.

Nota. 1. Processio universim sumpta est *origo*, seu *productio unius ab alio.* Alia est immanens et ad intra, alia transiens seu ad extra.

Processio immanens est ea, cujus terminus manet intra suum principium : sic intellectio est actio immanens, quia ejus terminus, nempe verbum mentis, extra mentem non exit.

Processio transiens est ea, cujus terminus extra suum principium exiit, ut, in humanis, Filius a Patre productus.

Processio immanens alia est physica et tanquam a causa, alia metaphysica et tanquam a mero principio.

Processio immanens physica est ea, qua unum ab alio procedit actione quadam physica, quæ includit mutationem,

[1] S. Greg. Mag., hom. 17 in Evang.

dependentiam et diversitatem naturæ, in eo quod ab alio procedit; talis est nostra intellectio, a qua verbum mentale, quod est accidens, procedit.

Processio immanens metaphysica est ea qua unum ab alio procedit tanquam a mero principio, seclusa omni imperfectione mutationis, dependentiæ, ac diversitatis naturæ, remanentibus solum istis duobus respectibus, *a quo alius*, et *qui ab alio*, inter principium et id quod oritur a principio.

Nota 2. Præsens caput in sex quæstiones distribuemus: *Prima* erit de existentia et numero processionum divinarum. *Secunda*, de earumdem principiis. *Tertia*, de discrimine processionis Filii a processione Spiritus Sancti. *Quarta*, de ratione hujus discriminis. *Quinta*, de cognitione ex qua procedit Filius. *Sexta*, de personis ex quibus procedit Spiritus Sanctus.

QUÆSTIO I.

DE EXISTENTIA ET NUMERO DIVINARUM PROCESSIONUM.

CONCLUSIO I.

Datur in Deo vera processio metaphysica. Est de fide.

PROB. 1. *Ex Scriptura:* processio est origo unius ab alio tanquam a principio; atqui in divinis admitti debet talis origo; dicit enim Christus de seipso [1]: *Ego ex Deo processi;* et de Spiritu Sancto: *Mittam vobis Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* Joann. 15. Ergo, etc.

PROB. 2. Ex traditione Patrum dicentium cum D. Joann. Damasc. [2]: *Nefas est dicere Deum naturali fœcunditate caruisse; fœcunditas porro in eo posita est, ut quis ex seipso, id est ex propria substantia, prolem natura similem sui edat.*

Hinc Conc. Nicænum I definivit Filium esse *Deum de Deo, lumen de lumine, etc.*, et Constantinop. I definivit *Spiritum Sanctum ex Patre procedere.* Quæ veritas confirmata fuit

[1] Joann. 8, v. 42. — [2] Lib. 1 *fidei orthodoxæ*, cap. 8.

in posterioribus Conciliis œcumenicis, in quibus particula, *Filioque*, addita fuit Symbolo Constantinopolitano.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Primum principium non potest produci ab alia persona; atqui Filius et Spiritus Sanctus sunt primum principium. Ergo.

RESP. *Dist. maj*. Primum principium ad intra non potest produci, *conc.;* primum principium ad extra, *nego maj*. Porro Filius et Spiritus Sanctus sunt primum principium ad extra, seu omnium creaturarum; illud autem primum principium ad extra excludit quidem principium a quo pendeat tanquam effectus a causa; sed non excludit principium prius, a quo procedat.

INST. 1. Atqui primum principium ad extra debet excludere principium ad intra. Ergo.

Prob. subs. Primum principium ad extra, debet excludere omnem ab alio dependentiam; sed qui habet principium a quo procedit, non excludit omnem ab alio dependentiam; pendet enim a suo principio. Ergo.

RESP. *Dist. min*. Qui habet principium a quo procedit, in tempore, et libere, *conc.;* a quo procedit ab æterno et necessario, *nego min*. Porro una persona divina non procedit ab alia in tempore, sed ab æterno; non procedit libere, sed necessario, quatenus Pater intelligendo, non potest non producere Verbum, et Pater et Filius sese amando, non possunt non producere Spiritum Sanctum.

INST. 2. Persona producens est prior persona producta : ergo hæc ab illa pendet.

RESP. *Dist. ant*. Est prior prioritate originis, *conc.;* prioritate temporis et naturæ, *nego ant*. Itaque in divinis Pater non est Filio prior tempore, quia Filius est Patri coæternus, nec est prior natura, quia Filius non habet naturam a Patre productam, sed eamdem numericam habet cum Patre, sibi necessario communicatam; restat ergo, ut sit

tantum prior origine, quatenus Filium realiter producit; quæ prioritas in sua notione nullam importat imperfectionem.

Inst. 3. Quod transit a non esse ad esse, est suo principio posterius tempore : atqui quod producitur, transit a non esse ad esse; nam productus terminatur ad existentiam rei. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Quod producitur in tempore, *conc.;* quod producitur ab æterno, *nego min.* Quod enim sic producitur, ab æterno habet esse; ergo non transit a non esse ad esse.

Inst. 4. Quod existit, frustra producitur; ergo quod producitur, transit a non esse ad esse.

Resp. *Dist. ant.* Quod existit, frustra producitur, si existat antequam producatur, *conc.;* si existat dum producitur, *nego ant.* Porro Filius Dei, v. gr., et est cum producitur, et producitur cum est; producitur enim ab æterno; in æternitate autem nec est prius, nec posterius.

Objicies 2. Si sit in Deo processio, erit in Deo mutatio interna; Pater quippe transibit a statu non producentis ad statum producentis; falsum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam, sicut ait Div. Aug.: *Semper gignit Pater, et semper nascitur Filius;* ergo producit Pater, et producitur Filius absque ulla sui mutatione.

CONCLUSIO II.

Duæ sunt in Deo processiones, nec plures, nec pauciores.
Est de fide.

Prob. 1. Tot sunt in Deo processiones, quot sunt personæ procedentes; atqui fide constat duas tantum esse personas procedentes, Filium scilicet, et Spiritum Sanctum. Pater enim a nullo procedit, quare dicitur ingenitus, principium sine principio, origo et fons totius divinitatis. Ergo.

Prob. 2. Tot sunt processiones, nec plures, nec pauciores, quot sunt in Deo modi operandi ad intra : quilibet

enim modus operandi ad intra exhauritur productione unius personæ infinitæ; atqui in Deo sunt tantum duo modi operandi ad intra, unus per intellectum, quo producitur Verbum divinum; et alter per voluntatem, quo producitur Spiritus Sanctus; ergo in Deo duæ tantum sunt processiones, nec plures, nec pauciores.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Unica est in Deo processio. Ergo.

Prob. ant. Quod infinitum est, unicum esse oportet; atqui processio in Deo est infinita. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Unicum esse oportet, in suo genere, *conc.;* in omni genere, *nego maj.* Sic processio per intellectum est infinita in genere intellectionis, et sic unicum est Verbum; similiter processio per voluntatem est infinita in genere volitionis, et sic est unicus Spiritus Sanctus; sed nulla in Deo est processio infinita in omni genere intellectionis et volitionis simul, proindeque processio per intellectum non excludit processionem per voluntatem.

INST. 1. Prima processio totam naturam divinam communicat; ergo excludit alteram processionem.

RESP. *Dist. ant.* Totam naturam communicat, sed non omni modo quo communicari potest, *conc.;* totam naturam communicat, et omni modo quo communicari potest, *nego ant.;* natura enim jam communicata Filio per intellectum, communicatur Spiritui Sancto per voluntatem.

INST. 2. Intellectus et voluntas in Deo non distinguuntur; ergo natura communicata per intellectum, communicatur omni modo quo communicari potest.

RESP. *Dist. ant.* Non distinguuntur realiter, *conc.;* virtualiter, *nego ant.* Porro distinctio virtualis sufficit ad varios et diversos realiter effectus producendos: sic justitia et misericordia, licet distinguantur tantum virtualiter in Deo, effectus tamen realiter distinctos producunt, pœnas nempe et gratias.

Objicies 2. Sunt plus quam duæ processiones in Deo. Ergo.

Prob. ant. Filius potest producere alium Filium, et Spiritus Sanctus alium Spiritum Sanctum. Ergo.

Prob. ant. Filius et Spiritus Sanctus eumdem intellectum, eamdemque cum Patre recipiunt voluntatem. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Eumdem intellectum eamdemque recipiunt voluntatem, essentialem, *concedo;* notionalem, *nego ant.* Intellectus et voluntas essentiales, sunt intelligendi et volendi facultates quæ, sic præcise, sunt infœcundæ. Intellectus et voluntas notionales, sunt intelligendi et volendi facultates quatenus habent adjunctas relationes paternitatis et spirationis activæ, quæ, ut sic, sunt fœcundæ: porro Filius non recipit a Patre intellectum notionalem, nec Spiritus Sanctus recipit a Patre et Filio voluntatem notionalem, quia hæ sunt exhaustæ per eorum productionem.

Inst. 1. Licet virtus spirandi in Patre sit exhausta per processionem Spiritus Sancti, nihilominus tamen communicatur Filio, qui simul cum Patre producit Spiritum Sanctum; ergo licet vis intelligendi sit exhausta per generationem Filii, nihilominus potest alium generare Filium.

Resp. *Nego ant.* Quod supponit falsum; nempe Patrem prius spirare, quam generare Filium, quod est falsum: nam instanti originis priori producit Filium, quam producat S. Sanctum; et ideo Filius per sui productionem recipit voluntatem fœcundam, quæ in illo originis priori nondum est, secundum nostrum concipiendi modum, exhausta; at vis intelligendi est omnino exhausta per productionem Filii; ergo, cum sit infinitus, alius Filius omnino est impossibilis.

Inst. 2. Deus sine fœcunditate esset imperfectus; ergo si Filius et Spiritus Sanctus sint infœcundi, erunt imperfecti.

Resp. *Dist. conseq.* Erunt imperfecti, si sint infœcundi ex aliqua naturæ potentia, *conc.;* ex summa eorum perfectione, *nego conseq.* Quod ergo Filius intelligendo, alium Filium non producat, provenit ex infinita naturæ divinæ perfectione,

cujus tota intelligendo fœcunditas unius Filii productione exhauritur, sicut tota Patris et Filii fœcunditas in volendo, unius Spiritus Sancti productione.

INST. 3. Omnipotentia et bonitas in Deo sunt principia productiva; ergo sunt plures, quam duæ, processiones.

RESP. *Dist. ant.* Sunt principia productiva ad extra, *conc.;* ad intra, *nego ant.* Porro hic agimus duntaxat de productionibus ad intra, seu immanentibus.

QUÆRES : *Quænam sunt divinarum processionum proprietates?*

RESP. Quinque numerantur, namque :

1. Sunt *immanentes*, quia earum termini in suis principiis manent; *Pater in me est, et ego in Patre*, ait Christus. [1]

2. *Æternæ*, quia Pater, ab æterno se cognoscendo, producit Verbum; et Pater et Filius, ab æterno sese amando, producunt Spiritum Sanctum.

3. *Substantiales*, quia eorum termini sunt personales, ac subsistentes, cum in Deo nihil accidentale esse possit.

4. *Necessariæ*, quia Pater necessario se cognoscit, item Pater et Filius necessario se amant; sed Pater, se cognoscendo, producit Filium; Pater et Filius, se amando, producunt Spiritum Sanctum; ergo necessario Pater producit Filium, et Pater cum Filio producunt Spiritum Sanctum.

5. Sunt *Metaphysicæ*, quia non sunt tanquam a causa proprie dicta, sed tanquam a mero principio, importantque solum in suo conceptu originem unius personæ ab alia, absque ulla imperfectione mutationis, dependentiæ, et diversitatis naturæ.

QUÆSTIO II.

DE PRINCIPIIS DIVINARUM PROCESSIONUM.

Nota. In omni productione triplex principium reperitur, nempe principium *quod*, et *quo* tum remotum, tum proximum.

[1] Joann. 10.

Principium *quod* est persona agens; unde effatum, *actiones sunt suppositorum.*

Principium *quo remotum* est id per quod persona *mediate* tantum operatur.

Principium *quo proximum* est illud per quod persona *immediate* operatur. Circa quæ:

1. Certum est, principium *quod* divinarum processionum esse personam Patris respectu Filii, et persona Patris et Filii respectu Spiritus Sancti.

2. Omnes fatentur, principium *quo remotum* divinarum processionum esse naturam divinam, in qua virtus processionum remote continetur: si quidem id quod proxime continetur in potentiis alicujus naturæ, remote continetur in ipsa natura; atqui, ex dicendis, virtus divinarum processionum proxime continetur in potentiis divinis, intellectu nimirum et voluntate. Ergo..... Tota ergo difficultas est de principio *quo proximo;* circa quod triplex est opinio :

1. Est Durandi, docentis principium *quo proximum* processionum esse essentiam divinam, quæ, inquit, habet fœcunditatem præcise ex sua infinitate, et non ex hoc quod est intelligens et volens.

Verum hanc opinionem, ut temerariam, impugnant cæteri Theologi; tum quia huic recepto in scholis effato, ac in Concil. Lateran., sub Innocentio III, confirmato, repugnat : *essentia nec producit, nec producitur : nec generat, nec generatur.* Tum quia in illa sententia explicari non possunt: 1. Cur processio Filii sit prior origine, processio Spiritus Sancti posterior; 2. Cur illa sit generatio, hæc non item; utraque enim æque immediate ab essentia fluit, juxta Durandum; 3. Cur Filius sit imago Patris, non Spiritus Sanctus; 4. Cur non plures quam duæ processiones, cur non nua tantum processio. Namque si processiones illæ immediate ab essentia dimanant, quatenus propter suam infinitatem est fœcunda, vel una processione infinita exhauriretur,

vel infinitis numero processionibus opus esset, ut ejus fœcunditas exhauriatur.

2. *Opinio* est eorum qui solas relationes originis signant pro principio *quo proximo* divinarum processionum.

Verum hæc opinio communiter rejicitur, quia principia processionum debent esse operativa; atqui solæ relationes non sunt operativæ, cum supponant terminum operationis; relatio enim, ex logicis, exsurgit ex fundamento et termino.

3. *Opinio* est communis aliorum, qui pro principio *quo proximo* processionum divinarum, assignant intellectum et voluntatem notionales, qui intellectui et voluntati essentialibus superaddunt connotationem relationum paternitatis et spirationis activæ; unde producere Verbum, est intelligere cum relatione paternitatis; et producere Spiritum Sanctum, est velle cum relatione spirationis activæ.

CONCLUSIO.

Principium, proximum quo, processionum divinarum est intellectus et voluntas, prout connotant relationes paternitatis et spirationis activæ. Est probabilior.

PROB. PRIMA PARS. Illa sententia est probabilior, quæ magis accedere videtur ad mentem et loquendi modum, tum Scripturæ, tum SS. Patrum; atqui talis est nostra sententia. Ergo, etc.

Prob. min. Eccl. 24, Sapientia de se ipsa dicit: *Ego ex ore Altissimi prodivi;* atqui os Patris est intellectus quo loquitur. Ergo, etc. Præterea Filius dicitur Verbum [1]: *In principio erat Verbum.* Atqui Verbum pro immediato principio habet vim intellectivam. Ergo, etc. Unde D. Basil. [2] quærens *cur* Filius *appellatur Verbum ac sapientia?* respondet, *quoniam ex intellectu immediate atque indivisibiliter est.* Et S. Fulg. [3] ait: *Cum mens cogitat, et cogitando Verbum*

[1] Joann. 1. — [2] Homil. 16 in Joann. — [3] L. 3 *ad Monimum*, cap. 7.

intra se generat, de sua substantia generat Verbum. Ergo.

Quod si Filius per intellectum immediate procedat, Spiritus Sanctus per voluntatem immediate procedit, unde in Scriptura vocatur charitas; Rom. 15 : *Obsecro ergo vos, fratres... per charitatem Sancti Spiritus.* Charitas autem ad voluntatem pertinet.

PROB. SECUNDA PARS. Quia intellectus et voluntas, separata relatione, non sunt principia *quo proxima* processionum : alias sicut Pater generat, sic et Filius generaret, quia Filius intelligit sicut Pater ; ergo postulant adjunctam relationem, a qua distinguantur tanquam includens ab incluso.

Confirmatur. Quia in nostra sententia, horum omnium probabilis redditur ratio : 1° *Cur processio Filii sit prior origine?* Quia nimirum actus voluntatis actum intellectus supponit, cum nihil sit volitum, quin prius cognitum. 2° *Cur Filii processio sit generatio, non autem processio Spiritus Sancti?* quia intellectus simile producit, non autem voluntas. 3° *Cur Filius sit imago Patris, non autem Spiritus Sanctus?* Quia terminus intellectus repræsentativus est sui principii, non vero terminus voluntatis. 4° *Cur non plures, quam duæ processiones, cur non una tantum processio?* Quod duæ sint potentiæ operativæ, scilicet intellectus et voluntas, non plures, nec pauciores.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. SS. Patres dicunt cum D. August. [1] : *Verbum esse Filium natura.* Ergo natura divina est principium proximum quo processionum.

RESP. *Dist. ant.* SS. Patres dicunt Verbum esse Filium natura, et per nomen *naturæ* significant modum generationis, *conc.;* principium generationis, *nego ant.;* hoc enim termino usi sunt Patres, ut demonstrarent, adversus Arianos, processionem Filii non esse liberam, sed naturalem et

[1] L. 15 *Trinit.*, cap. 20.

necessariam, non proinde Verbum esse Filium adoptivum, sed naturalem.

INST. 1. Id in quo genitum assimilatur generanti, est principium generationis; atqui natura est id in quo genitum assimilatur generanti. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Est principium radicale et remotum, *conc.*, proximum et immediatum, *nego*; natura enim non per se immediate, sed per potentias producit; sic vivens producit per potentiam generativam, a qua, vel ratione, vel etiam re, distinguitur.

INST. 2. Naturæ divinæ convenit ex sua infinitate quod sit fœcunda et communicabilis pluribus personis; ergo ipsa immediatum est communicationis sui, ac proinde processionum principium.

RESP. *Dist. ant.* Naturæ divinæ convenit, quod sit fœcunda, mediantibus intellectu et voluntate, tanquam necessariis potentiis, aut quasi potentiis, *conc.*; sine ordine ad intellectum et voluntatem, *nego ant.*; nam sic non posset reddi ratio, cur natura sit hujus, aut illius generis; processiones, cur sint tot numero, non plures processiones.

INST. 3. Homo non est fœcundus per intellectionem et volitionem; ergo nec Deus.

RESP. *nego conseq.* Disparitas est, quod intellectio et volitio humanæ sunt imperfectæ, adeoque solum accidens habent pro termino; e contra intellectio et volitio divinæ sunt perfectissimæ, quæ, sicut ipsæ sunt substantiæ, ita nec possunt terminos, nisi substantiales, producere.

INST. 4. Intelligere et velle communia sunt omnibus personis; ergo vel omnes personæ producunt, quod falsum est, vel intellectio et volitio non sunt principia *quo proxima* processionum.

RESP. *Dist. ant.* Intelligere et velle communia sunt omnibus personis, si sumantur essentialiter et sine relatione, *conc.*; si sumantur notionaliter et cum relatione, *nego ant.* Itaque omnis potentia cognoscitiva et appetitiva aliud

objectum habet, alium terminum; v. g., intellectus habet pro objecto rem intelligibilem, et pro termino verbum mentis : quatenus est in Patre, Filio et Spiritu Sancto, attingit omne intelligibile, sed non attingit terminum nisi in Patre, in quo solo relationem paternitatis habet adjunctam, per quam fit ut Pater producat; hinc est quod in Filio et Spiritu Sancto solum *intellectio*, in Patre etiam *dictio* nominetur.

Objicies 2. Sola relatio est in Deo principium *quo proximum processionis*. Ergo, etc.

Prob. ant. Ex SS. Patribus, qui docent Patrem hypostasi generare Filium. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Pater generat Filium hypostasi, tanquam per principium quod, *conc.;* tanquam per principium quo, *nego ant.*

Inst. 1. Illud est principium *quo proximum* generationis in Patre, a quo Pater habet ut possit proxime generare; atqui id habet a sola paternitatis relatione. Ergo, etc. *Resp. Nego min.*

Prob. min. Ab eo Pater habet ut possit proxime generare, quod non est cæteris personis commune; atqui sola relatio paternitatis in Patre, non est cæteris personis communis. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam intellectus notionalis, quatenus adjunctam habet relationem originis, est Patri singularis. Porro intellectus non generat, nisi quatenus notionalis est, et modificatur relatione originis, nempe paternitate.

Inst. 2. Quod dat esse, dat quoque operari; atqui relatio dat esse, quippe paternitas constituit Patrem in ratione Patris. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quod dat esse specificum, *conc.;* individuale, *nego maj.* Porro relatio paternitatis dat esse tantum individuale, id est, talem numero personam constituit.

QUÆSTIO III.

DE DISCRIMINE PROCESSIONIS FILII A PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.

Nota. Generatio definitur : *Origo viventis a vivente, principio conjuncto, in similitudinem naturæ vi processionis formaliter.*

Dicitur 1 : *Origo,* quæ particula tenet locum generis, convenit enim omnibus productionibus.

Dicitur 2 : *Viventis a vivente,* id est, geniti viventis a generante vitaliter agente : hujus conditionis defectu productio Evæ ex Adami costa non fuit vera generatio, quippe Adamus non vitaliter, sed mere passive se habuit in illa productione.

Dicitur 3 : *Principio conjuncto,* quia generans et genitus substantialiter conjunguntur, quatenus substantia patris fit substantia filii; vel tota, uti in generatione divina; vel pars illius, ut in generatione creata, in qua semen a patris substantia decisum, est pars substantiæ genitori genitoque communis.

Dicitur 4 : *In similitudinem naturæ,* quia finis generationis est, ut generans producat similem in natura, vel numerica, ut in Deo, vel saltem specifica, ut in creatis; unde Filius *imago Patris* dicitur; defectu hujus conditionis nec pili, nec ungues sunt filii.

Dicitur 5 : *Vi processionis formaliter,* id est, ex modo suæ productionis; qui debet esse modus assimilationis, ita ut in eo reperiatur ratio, cur id quod procedit sit simile principio a quo procedit; per hanc conditionem excluditur a generatione processio Spiritus Sancti.

CONCLUSIO.

Inter processiones divinas hoc discrimen est, quod processio Verbi sit vera generatio, et talis non sit processio Spiritus Sancti. Est de fide.

PROB. PRIMA PARS. Illius processio est vera ac proprie

dicta generatio, qui in Scripturis dicitur Filius genitus a Deo Patre, et cui convenit vera generationis ratio; atqui Verbum divinum dicitur Filius a Patre genitus [1] : *Filius meus es tu : ego hodie genui te.* Processioni Verbi convenit vera generationis ratio namque;

1. Est origo viventis a vivente [2] : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic et dedit Filio habere vitam in semetipso.* 2. Est a principio conjuncto, non quidem per partitionem sui esse, ut fit in creaturis, sed per totius naturæ communicationem. 3. Est in similitudinem naturæ, et quidem vi processionis formaliter, quia procedit per intellectum, qui tendit in verbum, seu speciem expressam, quæ est objecti repræsentatio, accidentalis in creatis, sed substantialis in Deo.

Prob. secunda pars. Ex Scriptura qua docemur unicum esse in Trinitate Filium [3] : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et c. 4 : *Filium suum unigenitum misit Deus in mundum.* Eamdem veritatem definiunt omnia Symbola, Apostolicum : *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum;* Nicænum I : *In Filium Dei unigenitum;* Athanasianum, *Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Diges : Hebr. 1, Verbum dicitur : *Filius primogenitus;* ergo Spiritus Sanctus est alter Filius.

Resp. *Dist. ant.* Est primogenitus negative, quod nullum priorem se habeat, qui Filius sit, *conc.;* positive, quod alter post ipsum fuerit genitus, *nego ant.* Sic de B. Virgine [4] dicitur : *Peperit Filium suum primogenitum,* quo scilicet nullum priorem habuit, quamvis nec posteriorem.

Inst. Salomon [5] de se ipso dicit : *Ego filius fui patris mei, tenellus et unigenitus coram matre mea.* Atqui tamen tres habuit fratres; ergo ex nomine *unigeniti* non potest concludi quod Spiritus Sanctus non sit genitus.

[1] Psalm. 2. — [2] Joann. 5. — [3] Joann. 1. — [4] Luc 2. — [5] Prov. 4.

Resp. *Dist. ant.* Salomon dicitur unigenitus, quia unice dilectus a matre, *conc.;* quia solus genitus, *nego ant.* Unde Vulgata non dicit, unigenitus matris, sed *coram matre,* et LXX vertunt: *Dilectus in facie matris suæ.* Sanctus Pagninus et Vatablus : *Unicus inter filios matris meæ.*

QUÆSTIO IV.

DE RATIONE DISCRIMINIS PROCESSIONIS FILII A PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.

Nota. Sancti Patres monent evidentem rationem reddi non posse, cur Filii a Patre processio dicatur generatio, potius quam Spiritus Sancti a Patre et Filio processio : *Quid inter nasci et procedere intersit,* inquit D. Augustinus [1] : *De illa excellentissima natura loquens explicare quis potest?..... Distinguere inter illam generationem et hanc processionem, nescio, non valeo, non sufficio.* Tamen iidem Patres contra Macedonianos agentes, conati sunt aliquam rationem reddere, quæ verisimilitudine niteretur; quorum vestigiis inhærentes Theologi, varias hujusce discriminis rationes proferunt; præcipuas expendemus et verosimiliorem probabimus.

Prima ratio eorum est qui dicunt Filium esse genitum, quia naturam fœcundam a Patre accipit, per quam est perfecte similis Patri; econtra Spiritus Sanctus accipit naturam omnino sterilem.

Verum hæc ratio non satisfacit. *Primo,* quia non est de essentia Filii, ut Filii, quod sibi similes producat; alioquin Filius divinus alium Filium posset producere, istud siquidem potest Filius creatus. *Secundo,* quia ex illa opinione sequeretur Spiritum Sanctum non esse tam perfecte Patri in natura similem, ac ei similis est Filius; imo et ipsummet Verbum esse dissimile Patri in natura; nam, juxta hanc opinionem, similitudo in natura exigit, ut non solum

[1] Lib. 5 *contra Maximinum,* cap. 13.

essentia communicetur, sed etiam idem modus fœcunditatis; atqui Filius non accipit a Patre naturam eo modo fœcundam, quo Patris natura fœcunda est; Pater enim fœcundus est ad generandum et spirandam, Filius ad spirandum tantum. Ergo, etc.

Secunda ratio est eorum qui dicunt Verbum esse genitum, quia procedit a Patre per intellectionem actualem, quæ est ultima differentia naturæ divinæ, quamque vi processionis suæ primario recipit; non vero Spiritus Sanctus.

Verum ineffieax est illa ratio; quia, ut supra probavimus, intellectio actualis non est ultima naturæ divinæ differentia.

Tertia ratio est eorum qui dicunt Verbum ideo esse genitum, quia procedit secundum naturam; e contra Spiritum Sanctum non esse genitum, quia procedit secundum voluntatem.

Verum, nec ista ratio satisfacit, quia procedere secundum naturam, vel idem est ac procedere necessario, et non libere; vel idem est ac procedere ex naturæ divinæ fœcunditate; atqui hoc utrumque tam competit Spiritui Sancto, quam Filio. Ergo, etc. His opinionibus rejectis, sit

CONCLUSIO.

Verosimilis ratio, cur Verbum dicatur et sit genitum potius quam Spiritus Sanctus, est, quia Verbum procedit per intellectum, qui, præcise quatenus est intellectus perfectissimus, vim habet producendi terminum similem in natura; e contra Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, quæ sumpta præcise quatenus est voluntas perfectissima, parem vim non habet. Ita Div. Thom. [1]

Prob. prima pars. 1. *Ex SS. Patribus,* qui passim docent Filium ideo esse genitum, quia est Verbum, id est, termi-

[1] 1 p., q. 27, art. 2.

nus ex intellectione per se assimilativa productus tanquam imago producentis : *Eo Filius quo Verbum,* inquit D. Augustinus [1], *et eo Verbum quo Filius;* cujus rationem reddens [2] ait : *Quia mens notitiam suam gignit, cum se novit; et amorem suum non gignit, cum se amat.*

Prob. 2. *Ratione.* Ille vere ac proprie generatur, qui, ex vi processionis suæ, suo principio similis est in natura; atqui Verbum divinum, eo præcise quod procedat per intellectum Patris perfectissimum, est simile Patri in natura; ergo eo præcise Verbum generatur, quod procedat per intellectum Patris perfectissimum.

Prob. min. Omnis intellectus, ex propria sua virtute, tendit ad producendum terminum similem objecto cognito, et quidem tanto perfectiori similitudine, quanto intellectus perfectior est; atqui intellectus Patris æterni est perfectissimus; ergo debet producere terminum sibi similem, similitudine perfectissima; atqui similitudo perfectissima est similitudo in natura, seu identitas in natura. Ergo.

PROB. SECUNDA PARS. Quia Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, et est terminus amoris divini; atqui terminus amoris divini non est suo principio similis in natura, vi processionis suæ formaliter; ergo Spiritus Sanctus non est genitus.

Prob. min. Ut terminus amoris esset suo principio similis in natura vi processionis suæ formaliter, necesse esset, ut actus voluntatis *per se,* et *ex natura sua,* tenderet ad reddendum objectum suum simile voluntati a qua exoritur; atqui actus voluntatis *per se,* et *ex natura sua,* non tendit ad reddendum objectum simile voluntati : nam *per se* non est similitudo, sed tantum pondus aliquod et impulsus in rem amatam; ergo terminus amoris divini non est suo principio similis in natura, vi processionis suæ formaliter.

[1] L. 7 *de Trin.*, c. 2. — [2] L. 9 *de Trin.*, cap. 12.

Est ergo similis in natura realiter tantum, materialiter et identice : sic Eva fuit quidem Adamo similis in natura specifica, non tamen formaliter vi processionis ab Adamo, ideoque non fuit Adami filia.

OBJECTIONES.

OBJICIES CONTRA PRIMAM PARTEM. Intellectus noster non producit terminum objecto cognito similem in natura; ergo nec intellectus divinus.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod intellectus noster sit imperfectus, et ideo exprimendo intra se imaginem objecti cogniti, producit solum imaginem accidentalem : at vero intellectus divinus, utpote perfectissimus, necessario producit substantialem Dei imaginem, proinde Filium consubstantialem.

OBJICIES CONTRA SECUNDAM PARTEM. 1. Ille procedit per generationem, qui perfecte similis est suo principio; atqui Spiritus Sanctus est perfecte similis suo principio. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Qui perfecte est similis, vi suæ processionis, *conc.;* aliunde quam vi suæ processionis, *nego maj.* Spiritus Sanctus quidem perfecte, et in natura, similis est Patri et Filio; sed id solum habet ex eo quod natura divina identificetur amori per quem procedit.

INST. 1. Spiritus Sanctus procedit ut Deus; ergo perfecte similis est Patri et Filio vi processionis suæ.

RESP. *Nego ant.* Nam Spiritus Sanctus procedit tantum ut impulsus Patris et Filii, qui, licet a parte rei sit Deus propter sui cum divinitate identitatem, tamen, sub ratione qua est impulsus, non est Deus; sicut justitia, licet a parte rei sit misericordia, tamen, sub ratione qua est justitia, non est misericordia.

INST. 2. Spiritus Sanctus non procedit ut creatura; ergo procedit ut Deus.

RESP. *Nego conseq.* Neque enim Spiritus Sanctus procedit ut creatura, neque ut Deus, sed procedit ut impulsus amo-

ris, qui est Deus, non quia procedit per voluntatem, sed quia quidquid est in Deo identificari debet cum natura divina.

INST. 3. Homo procedens ab homine, procedit ut homo; ergo Deus procedens de Deo, procedit ut Deus.

RESP. *Dist. conseq.* Deus procedens de Deo, procedit ut Deus, si ei communicetur natura per actum qui habeat vim sibi assimilandi terminum, *conc.;* secus, *nego*. Porro disparitas est de homine genito qui non recipit naturam tantummodo communicatam, sed productam, unde eo ipso generatio hominis est in similitudinem naturæ.

OBJICIES 2. Spiritus Sanctus, vi suæ processionis recipit naturam perfecte similem principio a quo producitur. Ergo, etc.

Prob. ant. Voluntas, reduplicative ut est voluntas perfectissima, producit unionem perfectissimam objecti amati cum principio amante; atqui unio perfectissima, est unio in natura; ergo voluntas perfectissima, reduplicative ut talis, producit unionem in natura.

RESP. *Nego min.* Quippe voluntas, prout remanet in linea voluntatis, non ad aliam tendit unionem, quam ad unionem per affectum, quæ consequenter nunquam potest per se pertingere ad efficiendam unionem identicam, hoc est ad efficiendum unum identice ex principio amante et objecto amato. Sed hæc satis sint de quæstione maxime metaphysica, de qua nihil certi et evidentis statui potest.

QUÆSTIO V.

DE COGNITIONE, EX QUA PROCEDIT FILIUS.

Nota. Cum Pater divinus cognoscat essentiam divinam, omnia attributa, tum absoluta, tum relativa, et omnes creaturas, tum possibiles, tum existentes in aliqua temporis differentia, *quæritur*, an Verbum ex illorum omnium cognitione procedat. Unde

QUÆRES 1. *Utrum Verbum essentialiter et necessario procedat, non solum ex essentiæ divinæ et attributorum absolutorum,* ut omnes fatentur, *sed etiam ex cognitione trium personarum et creaturarum possibilium?*

RESP. Duplex est sententia probabilis. *Prima* affirmans sic probat. Verbum divinum, utpote perfectissimum, necessario et essentialiter procedit ex cognitione essentiæ divinæ comprehensiva; atqui cognitio comprehensiva essentiæ divinæ est ipsamet cognitio attributorum divinorum, personarum divinarum, et creaturarum possibilium. Ergo. Ita Thomistæ et alii contra Scotistas et Vasquez.

Prob. min. Cognitio comprehensiva rei alicujus, est cognitio omnium rerum quæ cum illa re identificantur; atqui attributa divina, personæ et creaturæ possibiles cum natura divina identificantur. Ergo, etc.

Secunda sententia negat, quia 1° cognitio, ex qua Verbum procedit, Verbo producto prior est : item productio Verbi prior est productione Spiritus Sancti; ergo Verbum non potest produci ex cognitione sui ipsius, nec ex cognitione Spiritus Sancti.

Quia 2° Verbum est imago illius objecti ex cujus cognitione procedit; atqui non est imago sui ipsius, nec Spiritus Sancti. Ergo.

Quia 3° objectum cognitum active concurrit cum intellectu ad producendum terminum; ergo si Verbum ex cognitione omnium personarum procederet, active quoque concurrerent ad ejus productionem.

Quia 4° prius a Patre cognoscitur essentia divina, quam creaturæ possibiles; sed in illo priori procedit Verbum; ergo non procedit ex cognitione creaturarum possibilium.

QUÆRES 2. *Utrum Verbum divinum procedat ex cognitione omnium creaturarum in aliqua temporis differentia existentium, non quidem necessario et essentialiter, sed concomitanter, et quasi consequenter?*

Resp. Duplex est iterum opinio. *Prima affirmat,* quia Verbum procedit ex cognitione omnium rerum quas repræsentat; atqui res omnes, in aliqua temporis differentia existentes, repræsentat : alioquin non esset infinitum. Ergo, etc. Hinc merito Div. August. [1] ait : *Novit itaque omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio; sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in seipso.*

Secunda negat, ratio est, quia 1° quod est absolute necessarium non potest procedere ex cognitione objecti contingentis; atqui Verbum divinum est absolute necessarium, creaturæ vero præteritæ, præsentes et futuræ sunt contingentes. Ergo.

Quia 2°, licet nulla foret creatura præterita, præsens aut futura, Verbum semper idem esset Verbum; ergo nullatenus ex earum cognitione procedit. Ergo, etc.

QUÆSTIO VI.

DE PERSONIS, EX QUIBUS PROCEDIT SPIRITUS SANCTUS.

Nota 1. Spiritum Sanctum a Patre non procedere Macedonii fuit error, qui in Conc. Constantinopol. I fuit damnatus, et brevi totaliter exstinctus, utpote contrarius huic veritati expresse revelatæ [2] : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Unde in dicto Concilio hæc particula : *Qui a Patre procedit,* addita fuit Symbolo Nicæno.

Nota 2. Spiritum Sanctum a Filio procedere primus negasse videtur Theodoretus, *sæculo V,* qui, in confutatione anathematismi IX S. Cyrilli, reprehendebat, quod dixisset Spiritum Sanctum proprium esse Filii Spiritum, ut inde probaret Christum Spiritu Sancto, non virtute aliena, fecisse miracula.

[1] Lib. 15 *de Trin.*, cap. 4. — [2] Joann. 15.

In hunc errorem abierunt Græci, præsertim post schisma Photii, *sæculo IX*; quorum error fuit damnatus, et oppositum fidei dogma definitum in variis Conciliis generalibus, in quibus ad unionem cum Ecclesia Romana redierunt; talia sunt Concilia *Barense*, sub Urbano II; *Lateran. IV*, sub Innocentio III; *Lugdunense II*, sub Gregor. X; *Florentinum*, sub Eugenio IV, in quo pax solemniter sancita est, atque definitum : *Quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æternaliter est... et ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit.* Cui definitioni omnes Græci subscripserunt, excepto uno, *Marco Ephesino*, cujus opera paulo post in pristinum errorem relapsi sunt: stipendium illud levitatis et blasphemiæ consecuti, ut, Constantinopoli, post annos 14, a Turcis expugnata et ipsomet die Pentecostes capta, eorum imperium funditus exstinctum sit. Contra quos

CONCLUSIO.

Spiritus Sanctus vere a Filio procedit. Est de fide.

PROB. 1. Triplici *ex Scripturis* argumento.

Primum desumitur ex iis locis, in quibus Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Patris et Filii [1]. *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* [2] *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Ergo Spiritus Sanctus est Spiritus Patris et Filii; atqui nulla alia ratione dicitur Spiritus Patris, quam quod a Patre procedit; ergo nec alia ratione dicitur Spiritus Filii, quam quod a Filio procedit, ut concludit divus Augustinus [3] : *Cur ergo non credamus,* inquit, *quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus.*

Secundum desumitur ex iis locis, in quibus Spiritus Sanctus dicitur mitti a Filio, perinde ac a Patre [4]. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad*

[1] Matth. 10. — [2] Ad Gal. 4. — [3] Tract. 99 in Joann. — [4] Joann. 16.

vos. At Spiritus Sanctus non potest mitti, nisi procedat ab eo a quo mittitur. *Spiritus Sancti missio*, inquit S. Gregorius [1], *ipsa processio est, qua de Patre procedit et Filio*. Ergo.

Tertium desumitur ex iis locis, in quibus Spiritus Sanctus dicitur a Filio accipere [2]. *Ille* (Spiritus Sanctus) *me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*. Ex quo sic argumentor : Persona quæ recipit esse, seu naturam ab alia, ab ipsa procedit; atqui Spiritus Sanctus recipit esse a Filio, nam recipit aliquid; sed quidquid est in Deo, Deus est. Ergo, etc. Ita Sanctus Cyrillus [3] : *Quoniam*, inquit, *consubstantialis est Filio Spiritus, et procedit ab eo... propterea, inquit, de meo accipiet*.

Prob. 2. *Ex Patribus Græcis;* Latinos enim omnes confessos esse processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio fatentur Græci schismatici.

S. Martialis [4] : *Spiritus Domini*, ait, *non genitus, non factus, non creatus, sed procedens est a Patre et Verbo*.

S. Athanasius in Symbolo ait : *Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*.

S. Chrysost. [5] : *Iste est Spiritus*, inquit, *procedens de Patre et Filio, qui dividit propria dona singulis prout vult*. Et [6] : *Et in Spiritum Sanctum credimus, qui procedens de Patre et Filio, charitate conjungitur*.

S. Cyrillus [7] : *Cum igitur Spiritus Sanctus... procedat a Patre et Filio, manifestum est ex divina essentia ipsum esse*. Et in Epistola contra Nestorium, quæ lecta et approbata fuit in Conciliis œcumenicis Ephesino, Chalcedonensi et Constant. II, sic loquitur : *Spiritus non est a Filio alienus, quando quidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem est veritas; proinde quoque ab illo, sicut a Deo Patre procedit*. Hæc est ergo fides utriusque Ecclesiæ græcæ et latinæ, in quin-

[1] Homil. 26 in Evangelia. — [2] Joannis 16. — [3] Comment. 11 in Joann. — [4] Epist. ad Burdegalenses. — [5] Homil. 1 in Symbolum Apost. — [6] Hom. 2. — [7] In Thesauro.

que Conciliis generalibus orientalibus, et in tribus occidentalibus definita.

PROB. 3. *Rationibus Theologicis.*

Prima. Omnia quæ Patris sunt, Pater unigenito Filio dedit, præter esse Patrem, seu una excepta relatione paternitatis : *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt,* ait Christus [1]. Atqui Pater habet virtutem spirandi Spiritum Sanctum, et eum reipsa spirat, ut fatentur ipsimet Græci; ergo illum dedit Filio. Hoc argumento usi sunt Patres Florentini, imo et ipse Christus exponens, cur a se Spiritus Sanctus accipiat, seu procedat : *Omnia,* inquit, *quæcumque habet Pater mea sunt; propterea dixi : Quia de meo accipiet* [2].

Secunda. Spiritus Sanctus realiter distinguitur a Filio, ut Fides docet, atqui si non procederet a Filio, ab illo minime distingueretur realiter. Ergo, etc. *Prob. min.* Juxta Concilia et SS. Patres : *Omnia in divinis sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio;* atqui si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, nulla inter ipsum et Filium esset relationis oppositio; talis enim oppositio oritur ex origine unius personæ ab alia. Ergo.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Scriptura facit tantum mentionem processionis Spiritus Sancti a Patre [3] : *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Ergo non procedit a Filio.

RESP. *Dist. ant.* Facit tantum mentionem processionis Spiritus Sancti a Patre, expressam, *conc.;* implicitam, *nego ant.* Processio enim Spiritus Sancti a Filio continetur in iis locis, in quibus Spiritus Sanctus dicitur mitti a Filio, accipere de Filio, esse Spiritum Filii; unde *nego conseq.*, cujus falsitas aperte demonstratur ex traditione, quæ non minus est Verbum Dei ac Scriptura Sacra.

OBJICIES 2. Concil. Constantinop. I Symbolo Nicæno ad-

[1] Ephes. Chalced. Constantinop. II, III et IV, Later. IV, Lugdun. III et Florent. — [2] Joann. 13. — [3] Joann. 15.

didit hæc verba : *Qui a Patre procedit,* nulla facta mentione Filii. Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Ideo enim Concilium non adjecit particulam *Filioque,* non quod Spiritus Sanctus non procederet a Filio, sed quia agebat tantum contra Macedonium et Eunomium, qui asserebant Spiritum Sanctum a solo Filio procedere, eumque creaturam esse; et ideo satis fuit Concilio definire Spiritum Sanctum procedere a Patre non negando, sed supponendo procedere etiam a Filio.

Objicies 3. In Conc. Ephesino, lectus est liber Theodoreti contra anathematismum IX S. Cyrilli, in quo, postquam dixit Spiritum procedere a Patre, addit : *Si vero tanquam ex Filio, aut per Filium exstantiam habeat, hoc ut impium et blasphemum rejicimus;* atqui tamen non fuit ea doctrina a Concilio reprobata. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Non fuit reprobata explicite, *conc.;* implicite, *nego min.* Nam eo in Concilio approbata est Epistola synodica S. Cyrilli ad Nestorium, in qua expresse profitetur Spiritum Sanctum a Filio perinde procedere ac a Patre; ergo sufficienter improbata censeri debuerunt contraria Theodoreti scripta, quæ, post approbationem doctrinæ S. Cyrilli, referuntur... ideo autem Conc. Ephes. expresse non damnavit sententiam Theodoreti circa Spiritus Sancti processionem, quia de illo dogmate non agebatur contra Nestorium, sed tantum de unica Christi persona, et unione *Deiparæ.*

Objicies 4. D. Dionysius [1] dicit : *Pater solus est fons superessentialis Spiritus Sancti.* Atqui si Spiritus Sanctus a Filio procederet, Pater non esset solus fons divinitatis. Ergo.

Resp. *Nego min.* Ille enim dicitur fons totius divinitatis, qui, a nulla persona procedens, producit alias personas; atqui talis est solus Pater. Ergo, etc. Ex hoc patet discri-

[1] L. *de Divinis nominibus,* cap. 4.

men, quod est inter esse fontem totius divinitatis, et esse principium, a quo aliqua procedit persona.

Objicies 5. S. Gregor. Nazianz. [1] sic ait : *Omnia quæ habet Pater, Filii sunt, præter principium*. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Præter principium Filii, *conc.;* præter principium Spiritus Sancti, *nego ant.* Sese explicat D. Doctor cum addit : *Omnia quæ habet Filius Spiritus sunt, excepta generatione.*

Objicies 6. D. Joann. Damasc. [2] ait : *Spiritum Sanctum tam ex Patre esse profitemur, quam Patris appellamus Spiritum; ex Filio autem Spiritum non dicimus, sed cum Filii Spiritum nominamus.* Et [3] : *Filius Spiritus est; non tanquam ex ipso, sed quod per ipsum ex Patre procedat.* Ergo expresse docuit Spiritum Sanctum ex Filio non procedere.

Resp. *Dist. conseq.* Docuit Spiritum Sanctum non procedere ex Filio, tanquam ex primo principio a nullo procedente, *conc.;* tanquam a secundo principio, *nego conseq.* Itaque Div. Damascenus, sicut et ex Græcis plures, hac loquendi forma : *Ex Filio Spiritum non dicimus,* unice intendunt Filium non esse primum principium, seu principium sine principio, ut in hæc B. Dionysii verba : *Solus fons deitatis Pater est :* explicat manuelis Caleca Græcus [4], *qualem enim fontem, magnus iste Pater Deo Patri reddit, ante quem nihil cogitatur : talem Damascenus in Filio denegat... fontem ergo Sancti Spiritus et Filium a doctoribus dici supra monstratum est. Sed quoniam ante Filium quidem Pater cogitatur, ante Patrem autem nihil, ipseque ex Patre esse dicitur, atque ad ipsum refertur.*

Inst. Si Div. Damascenus credidisset Spiritum Sanctum ex Filio procedere, usus fuisset particula *ex*, et non particula *per;* atqui usus est tantum particula *per*. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Quia D. Damascenus, sicut et alii Patres,

[1] Orat. ad Episcopos qui ex Ægypto venerant. — [2] Lib. 1 *de Fide orthod.*, cap. 11. — [3] Cap. 13. — [4] L. 3 *contra Græcos*, tom. 26, Biblioth. PP., p. 433.

per particulas *ex* et *per*, idem significant; usu tamen receptum fuit apud ipsos, ut particula *ex* uterentur ad designandum principium sine principio, et particula *per*, ad designandum principium ex principio, propter varias rationes quas tradidit *Caleca*, citatus : *Placuit ergo Damasceno*, inquit, *potius uti particula* per, *a qua et consubstantialitas, et unitas, processuumque ac personarum ordo, et discretio apparent, quam assumendo particulam* ex, *causam tantummodo significare : maxime, ne vel una persona Pater et Filius existimaretur propter præpositionum similitudinem; vel ne videretur Filius nihil ante se cogitatum habere, sicut et Pater.*

Objicies 7. Solus Pater potest producere Spiritum Sanctum; alias foret impotens; ergo Filius eum non producit.

Resp. *Nego ant. et ejus probationem.* Non enim defectu potentiæ, Pater solus non potest producere Spiritum Sanctum, sed quia virtus spirativa est communis Patri et Filio : nam omnia quæ habet Pater, una excepta paternitate, Filio suo communicat; atqui Pater habet spirationem activam; ergo eam communicat Filio, qui proinde simul cum Patre producit Spiritum Sanctum.

Inst. 1. Atqui virtus spirativa non potest esse communis duabus personis; ergo nulla solutio.

Prob. subsumpt. Proprietas notionalis non potest esse communis duabus personis; atqui spiratio activa est proprietas notionalis. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Equidem proprietates personales non possunt esse communes toti Trinitati, sed falsum est nullam duabus personis convenire; siquidem amor quo se mutuo amant Pater et Filius, est proprietas personalis, qua illæ duæ personæ spirant, seu producunt Spiritum Sanctum; atqui ille amor, cum sit mutuus, est in duabus personis. Ergo.

Inst. 2. Spiratio activa est volitio notionalis; atqui volitio notionalis non convenit Filio. Ergo.

Prob. min. Volitio notionalis supponit intellectionem no-

nalem; atqui intellectio notionalis non convenit Filio. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Supponit intellectum notionalem in eadem persona, *nego maj.* Equidem volitio notionalis supponit intellectionem notionalem, quia operatio per intellectum prior est operatione per voluntatem; verum non requiritur, imo impossibile est ut intellectio notionalis sit in duabus personis, cum Pater producendo Filium, ei communicet intellectionem jam per illius productionem exhaustam; sufficit ergo quod sit in Patre, in quo solo intellectio essentialis contrahitur ac modificatur per paternitatem; porro intellectio notionalis non est aliud quam intellectio essentialis modificata per paternitatem.

Objicies. 8. Si Spiritus Sanctus a Patre Filioque procederet, essent duo principia Spiritus Sancti: falsum conseq. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Concilia enim ac Patres agnoscunt Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere; negant tamen esse duos Spiritus Sancti principia. *Damnamus*, inqniunt PP. Lugdunenses, *et reprobamus omnes qui temerario ausu asserunt, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio, tanquam ex duobus principiis, non tanquam ab uno procedat.* Et D. August. [1] ait: *Fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia.*

Prob. maj. Principium quod processionis, est persona a qua procedens suum esse recipit; ergo cum Pater et Filius duæ sint personæ, duo quoque sunt principia Spiritus Sancti.

Resp. *Dist. ant.* Est persona simul cum proprietate relativa, *conc.;* sine proprietate relativa, *nego ant. et conseq.* Itaque ad multiplicitatem principiorum non sufficit multiplicitas suppositorum, sed præterea requiritur multiplicitas virtutis spirativæ; atqui in Patre et Filio una eademque est virtus spirativa, cum sit in eis una eademque voluntas; ergo Pater et Filius sunt unicum Spiritus Sancti princi-

L. 5 *de Trin.*, cap. 17.

pium, suntque unus spirator, sicut tres personæ sunt unum creationis rerum principium, suntque unus creator, quia in illis una eademque est omnipotentia.

INST. 1. Spiratio activa est proprietas relativa non personalis, *conc.;* personalis, *nego maj.;* atqui proprietas relativa non potest esse in duabus personis; personæ enim a se invicem distinguuntur per illas proprietates relativas; ergo eadem spiratio activa non potest esse in Patre et Filio.

RESP. *Dist. maj.* Spiratio est proprietas relativa non personalis, *conc.;* personalis, *nego maj.;* atqui proprietas relativa personalis non potest esse in duabus personis, *conc.;* non personalis, *nego min.* Porro spiratio activa non est proprietas personalis, cum non constituat personam Patris aut Filii, sed ipsis, jam per paternitatem et filiationem constitutis, advenire a nobis intelligatur; et ideo potest esse in pluribus personis, et de facto est in Patre et Filio.

INST. 2. Pater et Filius non sunt unus spirator, sed duo spiratores; ergo sunt duo principia.

Prob. ant. Ex D. Hilario [1] *Spiritus Sanctus a Patre et Filio auctoribus confitendus est.* Ergo Pater et Filius sunt duo spiratores.

RESP. *Nego conseq.* Sunt quidem duo spirantes et unus spirator; *spirans* enim est nomen adjectivum, quod multiplicatur secundum multiplicationem suppositorum; *spirator* vero est nomen substantivum, quod non multiplicatur, nisi secundum multiplicationem formæ significatæ, nimirum spirationis activæ, quæ cum una sit, unus etiam spirator. *Quod vero Hilarius dicit,* inquit D. Thom. [2], *quod Spiritus Sanctus est a Patre et Filio auctoribus, exponendum est, quod ponitur substantivum pro adjectivo.*

INST. 3. D. August. docet Spiritum Sanctum procedere *principaliter* a Patre; ergo non est eadem vis spirandi in Patre et Filio.

RESP. *Nego conseq.* Non enim ideo D. August. dicit Spiri-

[1] L. 1. *de Trin.*, non remote a fine libri.— [2] L. 15 *de Trin.*, cap. 17.

tum Sanctum *principaliter* procedere a Patre, quod non sit in Patre et Filio eadem vis spirandi, sed quod Filius habet a Patre virtutem spirandi : sic se explicat D. August. *Ideo autem addidi principaliter*, inquit, *quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur, sed hoc quoque illi Pater dedit.* Unde [1] ait : *Spiritus Sanctus, ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Pater.*

QUÆRES 1. *Utrum particula*, Filioque, *jure ac rationabiliter addita fuerit Symbolo Nicæno?*

RESP. *affirm.* Ita enim definierunt Patres Florentini. *Definimus explicationem illorum verborum.* Filioque, *veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite et rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Ratio est, quia Ecclesia jus habet novam particulam Symbolo addendi, quoties id necessarium judicaverit ad fidem catholicam contra insurgentes hæreses clarius explanandam; sic Concilium Nicænum I Symbolo Apostolorum addidit vocem, *consubstantialis*, adversus Arianos; sic Concilium Constantinopolitanum I addidit Symbolo Nicæno voces, *qui ex Patre procedit*, adversus Macedonianos; sic eadem Ecclesia contra Græcos schismaticos eidem Symbolo Nicæno Constantinopolitano addidit vocem, *Filioque :* quæ vox, non tam *additio*, quam expositio, seu explicatio, dici debet, quia, ut contendebat Archiepiscopus Rhodius in sess. 6 Conc. Florentini, particula, *Filioque*, in Symbolo jam continebatur implicite, in hac nimirum voce, *qui ex Patre;* non enim potest a Patre procedere, quin procedat etiam a Filio, qui eamdem cum Patre habet vim spirandi.

DICES 1. Concil. Ephesinum statuit : *Alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a SS. Patribus, qui in Nicæna cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.* Sed qui Symbolo addit particulam, *Filioque*, alteram fidem profert, etc. Ergo.

RESP. *Nego min.* Nam ille solus *alteram fidem* profert, qui

[1] Cap. 27.

Symbolo addit aliquid fidei Nicænæ contrarium, non qui addit aliquid ipsi consonum, illiusque expositorium; atqui particula, *Filioque*, non est contraria fidei Nicænæ, immo illius fidei est explicatio. Ergo.

INST. 1. Concilium Ephes. definivit B. M. V. esse Deiparam, nec tamen hanc vocem, *Deipara*, addidit Symbolo; atqui non alia de causa hanc vocem non addidit Symbolo, nisi quia omnem additionem, etiam fidei ejusdem explicativam, prohibuit. Ergo.

RESP. *Nego min.* Vera enim ratio, cur Concil. Ephesinum non inseruit Symbolo vocem, *Deipara*, est, quia sat expresse continetur in Symbolo, in quo definitur Christum esse *Deum verum de Deo vero*, et eumdem esse *natum ex Maria Virgine*. Porro si Deus est natus de Maria Virgine, Maria Virgo vere est Deipara.

INST. 2. Patres Synodi VII generalis dicunt : *Nos eos qui addunt quid*, fidei Nicænæ, *vel adimunt, de Ecclesia anathematizamus*. Ergo Symbolo Nicæno nihil addere licet.

RESP. *Dist. conseq.* Nihil addere licet fidei Nicænæ contrarium, *conc.;* fidei Nicænæ consonum et expositorium, *nego*. Quod sit verus Patrum illius Synodi sensus, inde patet quod Symbolum Nicænum in illa Synodo lectum fuit cum additione particulæ, *Filioque*, ut observat Cardinalis Julianus [1].

DICES 2. Cum Patres Conc. Aquisgranensis Symbolo Nicæno inseruissent particulam, *Filioque*, Leo III hanc additionem improbavit; ergo censuit non esse licitum illam particulam addere Symbolo.

RESP. *Dist. conseq.* Censuit non esse licitum, etc., ubi id nulla exigit necessitas, *conc.;* ubi urgens exigit necessitas, *nego*. Porro tempore Leonis III, nondum ortum fuerat schisma Græcorum; ergo tunc nulla erat necessitas Symbolo inserendi hanc vocem, *Filioque*.

INST. Idem Pontifex Symbolum Nicæno-Constantinopo-

[1] Act. 5 Conc. Florentini.

litanum describi jussit in tabula argentea absque additione, *Filioque*, illudque reponi in altari juxta corpus S. Pauli ad perpetuam memoriam; ergo censuit nihil unquam addendum fore huic Symbolo.

Resp. *Nego conseq.* Id enim jussit Summus Pontifex ex prudenti œconomia, ne scilicet illa additio daret Græcis occasionem existimandi hoc Symbolum a Latinis contemni; quæ œconomia in hoc prudens erat, quod nulla tunc necessitas cogeret explicationem Symboli fieri, nondum exorto schismate, quo postea gliscente, Romanis Pontificibus non displicuit eam additionem fieri.

Quæres 2. *An Spiritus Sanctus realiter distingueretur a Filio, si ab illo non procederet?*

Nota. Licet Latini in Concil. Florentino adversus Græcos processionem Spiritus Sancti a Filio demonstraverint hoc potissimum argumento, quod si a Filio non procederet, ab illo non distingueretur, nihilominus Scotus, cum nonnullis aliis, docet Spiritum Sanctum, in ea etiam hypothesi, fore realiter a Filio distinctum; e contra hoc negant Thomistæ et alii Theologi communiter, cum quibus,

Resp. *Quod in prædicta hypothesi Spiritus Sanctus non distingueretur a Filio.*

Hanc responsionem jam superiori conclusione probavimus, ubi, ex distinctione Spiritus Sancti a Filio, collegimus processionem Spiritus Sancti ex eodem Filio.

Prob. Iterum *ex Conciliis et SS. Patribus*, qui distinctionem personarum repetunt ex sola processione unius ab alia. Pro omnibus sint : 1° Concil. Toletan. I, quod in confessione fidei hæc habet : *Credimus Spiritum Sanctum esse paracletum, qui nec Pater, nec Filius sit, eo quod sit a Patre Filioque procedens...* 2° S. Gregor. Nyssenus, qui, *lib. ad Ablavium*, ait : *Distinguitur Spiritus a Filio, quod per ipsum est.* Et S. August.[1] : *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt*, hoc est quod opponuntur relative.

[1] Tract. 39 in Joann.

Objicies 1. D. Anselmus [1] docet rationem distinctionis realis Filii a Spiritu Sancto in hoc consistere, quod Filius per viam intellectus, et Spiritus Sanctus per viam voluntatis procedat; ergo, seclusa processione Spiritus Sancti a Filio, adhuc distingueretur ab illo; ad hoc enim unus per intellectum, et alter per voluntatem procederet.

Resp. *Dist. ant.* Ratio distinctionis Filii a Spiritu Sancto, radicalis et remota, in hoc consistit, etc., *conc.;* formalis et proxima, *nego ant.* Ratio enim illius distinctionis proxima et formalis, est sola oppositio relativa fundata in processione unius ab alio; ratio vero radicalis et remota illius distinctionis, est differentia originis unius ab origine alterius. *Sed ipsa differentia originis,* inquit D. Thom. [2], *est per hoc quod Filius est solum a Patre, Spiritus Sanctus vero a Patre et Filio,* qui a Patre recipit voluntatem fœcundam, per quam simul cum Patre producit Spiritum Sanctum.

Objicies 2. Si Spiritus Sanctus procederet a solo Filio, adhuc distingueretur a Patre; ergo realiter distingueretur a Filio, etiamsi a solo Patre procederet.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod in prima hypothesi, Spiritus Sanctus adhuc mediate opponeretur Patri, a quo mediate adhuc procederet, nimirum per vim spirandi, Filio a Patre necessario communicatam; at in secunda hypothesi Spiritus Sanctus, nec immediate, nec mediate procederet a Filio.

Objicies 3. Quamvis Spiritus Sanctus non procederet a Filio, duæ adhuc essent processiones, una per intellectum, alia per voluntatem; ergo in illa hypothesi Spiritus Sanctus adhuc distingueretur a Filio.

Dist. ant. Duæ essent processiones secundum rationem distinctæ, *conc.;* realiter distinctæ, *nego ant.* Equidem in illa hypothesi liceret duas rationes distinguere, alteram generationis, alteram processionis, attamen una realiter

[1] L. *de processione Spiritus Sancti,* cap. 2. — [2] 1 p., q. 36, art. 2, ad 7.

processio foret, et una tantum persona producta, quæ secundum quod per intellectum procederet, Filius; secundum quod per voluntatem, Spiritus Sanctus diceretur.

Inst. 1. Saltem illæ duæ processiones essent oppositæ disparate, neque enim processio per intellectum esset processio per voluntatem, et vicissim; atqui oppositio disparata sufficit ad fundandam realem personarum distinctionem. Ergo.

Resp. *Nego min.* Nam ad distinctionem personarum realem requiritur oppositio relativa originis, nec sufficit oppositio disparata, ut patet in Patre, in quo paternitas et spiratio activa opponuntur disparate, nec tamen realiter distinguuntur in eodem Patre.

Prob. min. Filiatio et spiratio passiva distinguuntur realiter; atqui inter utrumque est oppositio disparata tantum. Ergo.

Resp. *Nego min.* Nam inter filiationem et spirationem passivam est oppositio relativa ratione spirationis activæ, quæ tam exigit esse in Filio, quam in Patre, quatenus est productio Spiritus Sancti, qui est terminus amoris, non cujuscumque, sed amoris mutui, ac proinde a duabus personis procedere postulantis. Unde quia principium non potest non distingui ab eo cujus est principium, non possunt Pater et Filius non distingui a Spiritu Sancto; si Pater et Filius ab eo distinguuntur, ergo paternitas et filiatio.

Inst. 2. Remanente eodem constitutivo rei, remanet quoque ejus ab alia re distinctivum; atqui, licet Spiritus Sanctus non procederet a Filio, remaneret in eo idem constitutivum, nempe spiratio passiva; ergo et idem remaneret distinctivum.

Resp. *Nego min.* Nam spiratio passiva est terminus amoris mutui Patris et Filii; atqui, si non procederet a Filio, non esset terminus amoris mutui; ergo non remaneret spiratio passiva; sed hæc sufficiant de quæstione alias parum utili.

CAPUT IV.

DE PERSONALITATIBUS ET RELATIONIBUS DIVINIS.

Nota. Cum processiones sint veluti fontes ex quibus personalitates emanant, et personalitates non constituantur, nec inter se distinguantur, nisi per relationes, post tractatas processiones, apposite tractandum suscipimus : 1° De personalitatibus ; 2° De relationibus divinis, duplici quæstione.

QUÆSTIO I.

DE PERSONALITATIBUS, SEU SUBSISTENTIIS DIVINIS.

Nota 1. Communi omnium Theologorum usu firmatum est, ut hæ voces : *persona, personalitas, subsistentia, hypostasis* et *suppositum*, pro eodem sumantur in divinis, licet *hypostasis, subsistentia* et *suppositum* latius pateant, quam *persona* et *personalitas*, in eo nimirum, quod hypostasis, subsistentia et suppositum dicantur de omni ente completo incommunicabili, v. g., de lapide, equo, etc.; persona vero et personalitas, de solis entibus intellectualibus : unde omnis persona est suppositum, sed non omne suppositum est persona.

Nota 2. Persona et personalitas non aliter differunt quam homo et humanitas, namque :

Persona definitur a Boetio, *naturæ rationalis individua substantia*. Verum paulo implicata et obscura est hæc definitio, namque 1. Per ly, *rationalis*, intelligitur, *intellectualis ;* 2. Per ly, *individua*, non intelligitur, prout sonat, *singulare*, quo sensu humanitas Christi est individua, sed intelligitur id quod est incommunicabile alteri tanquam supposito; ideo clarius

Persona definitur : *Substantia intellectualis, per se perfecte subsistens, et ultimo completa*. Explicatur :

Dicitur 1. *Substantia intellectualis :* quia accidens seu ens inhærens, non est persona, sicut nec ens irrationale.

Dicitur 2. *Per se perfecte subsistens :* id est, quæ non uniatur aut communicetur alteri tanquam supposito, ita ut nec in esse, nec in operari ab alio dependeat : hinc humanitas Christi non est persona, quia utitur Verbo divino tanquam supposito, a quo dependet in esse et in operari. Item natura divina, prout est natura, non est persona, quia Patri, Filio et Spiritui Sancto communicatur et in illis subsistit.

Dicitur 3. *Ultimo completa :* id est, quæ non ordinetur ad aliud, ut cum illo constituat totum : hinc nec manus, nec anima rationalis, sunt personæ, quia non sunt ultimo completæ ; nam manus ordinatur ad corpus, cujus manus est pars, et quocum anima conjuncta constituit hominem.

Personalitas, seu *subsistentia*, definitur : *forma, seu modificatio naturæ intellectualis, per quam natura constituitur per se perfecte subsistens et ultimo completa ;* unde est ultimum complementum substantiæ reddens illam incommunicabilem alteri tanquam supposito ; his notatis :

Quæres 1. *Quot sunt subsistentiæ in Deo ?*

Resp. *Sunt tres subsistentiæ relativæ, nec quarta admittenda est communis et absoluta.* Prima pars est de fide; secunda est probabilior contra Cajetanum et Suarez.

Prob. prima pars. Quia tot sunt in Deo subsistentiæ, seu personalitates, quot sunt personæ : nam multiplicato concreto substantivo, multiplicari debet abstractum ; atqui in Deo sunt tres personæ, ut fides docet et probavimus; ergo sunt tres subsistentiæ, nimirum paternitas, filiatio et spiratio passiva.

Prob. secunda pars. Quia effectus formalis subsistentiæ, est constituere veram personam; subsistentia enim est ultimum complementum quo natura redditur alteri tanquam supposito incommunicabilis; ergo, si essent in Deo tres subsistentiæ relativæ et una absoluta et communis, essent quatuor personæ in Deo; atqui repugnat fidei Ca-

tholicæ admittere in Deo quatuor personas. Ergo, etc.

Præterea sententia, quam impugnamus, destruit mysterium SS. Trinitatis ; nam vel illa subsistentia absoluta est communicabilis, vel non : *si est communicabilis*, ergo non est persona, quia de ratione subsistentiæ est, quod reddat naturam incommunicabilem alteri, ut supposito, est enim ultimus rei terminus : *si non est communicabilis*, ergo unica est in Deo subsistentia, et consequenter unica persona, quod pugnat contra fidem ; ergo nulla talis subsistentia admittenda est in Deo.

OBJICIES CONTRA SECUNDAM PARTEM 1. Hæc vox, *Deus*, etiam præintellecta suis relationibus, est concreta, adeoque complectitur naturam et subsistentiam ; atqui non complectitur subsistentias relativas ; ergo subsistentiam relativam involvit.

RESP. *Dist. maj.* Complectitur naturam distincte et subsistentiam confuse, *conc.;* utramque complectitur distincte, *nego maj.* Atqui non complectitur subsistentias relativas distincte, *conc.;* confuse, *nego min.* Hæc enim vox, *Deus*, distincte divinitatem significat, confuse vero illud omne quod habet divinitatem ; atqui quod habet divinitatem, sunt tres personæ relativæ. Ergo, etc.

INST. 1. Deus, præcisis relationibus, est per se subsistens; atqui non est per se subsistens subsistentia relativa. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Est per se subsistens, quatenus ly *per se subsistens* opponitur accidenti, quod per se non subsistit, sed indiget subjecto cui inhæreat, *conc.;* quatenus dicit naturam ultimo terminatam et ita completam, ut cuilibet alteri tanquam supposito reddatur incommunicabilis, *nego ant.* Porro hoc ultimo sensu accipimus nomen *subsistentiæ*, et dicimus nullam exstare talem in Deo communem et absolutam.

INST. 2. Deus Pater, producendo Filium, ei communicat naturam ultimo completam ; atqui non est completa, nisi per subsistentiam absolutam ; nondum enim intelliguntur subsistentiæ relativæ. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam communicat naturam, personam vero non communicat, sed producit; ac proinde, quia natura non est completa, nisi qua persona, naturam ultimo completam non communicat, sed tantum completam complemento essentiæ, quod est independentia ab alio tanquam a subjecto inhæsionis.

Objicies 2. Nulla perfectio divinitati deneganda est; atqui subsistentia absoluta est perfectio. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Perfectio excludens imperfectionem, *conc.;* non excludens, *nego maj.* Porro subsistentia absoluta in Deo non excluderet omnem imperfectionem, cum sit inutilis; tum quia id præstaret per subsistentias relativas, quod ipsa præstaret; tum quia ipsa poneret aliquid repugnans in Deo, redderet enim naturam incommunicabilem, et non redderet; *redderet,* quia est ejus munus; *non redderet,* quia subsistentiis relativis communicaretur, sicque ita terminus foret, ut tamen natura ulterius terminaretur.

Quæres 2. *Utrum, sicut sunt tres subsistentiæ relativæ in Deo, ita et tres sint existentiæ relativæ, præter absolutam?*

Resp. *Sententia negans mihi videtur probabilior.*

Prob. Quia modus existendi, novam existentiam non superaddit rei, quam modificat; sic, verb. gr., natura humana, seu per se existat, ut in nobis, seu in alio, ut in Christo, non accipit novam existentiam, licet novum habeat existendi modum; atqui subsistentiæ divinæ sunt modi existentiæ Dei; ergo novam existentiam non superaddunt, sed duntaxat Dei absolutam modificant; unde non mirum est, si SS. Patres nullam existentiarum relativarum in Deo faciant mentionem.

Dices 1. Omnis vera productio terminatur ad existentiam; atqui in Deo dantur plures veræ productiones; ergo terminantur ad plures existentias.

Resp. *Dist. maj.* Terminatur ad existentiam productam, vel communicatam, *conc.;* semper productam, *subdist.*, in creatis, quæ extra naturam producuntur, *conc.;* in divinis,

quæ intra naturam producuntur, *nego maj*. In divinis itaque satis est, ut productiones terminentur ad plura existentia objective, quibus una existentia communicetur, sicut plures productiones terminantur ad plura supposita divinitatem velut adjective habentia, quibus una natura communicatur.

INST. Quælibet res habet existentiam sibi propriam; atqui personæ sunt res. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj*. Habet existentiam sibi propriam, si naturam propriam et distinctam habeat, *conc.;* si naturam communem cum aliis, *nego*. Porro tres personæ divinæ unam eamdemque habent naturam.

Verum, non est quod hujusmodi quæstionibus omnino inutilibus immoremur.

QUÆSTIO II.

DE RELATIONIBUS DIVINIS.

Nota 1. Relatio est ordo, seu respectus, unius ad alterum. Quando autem ille respectus existit independenter a qualibet mentis operatione, est relatio realis.

Nota 2. In Deo relationes sunt duplicis generis : aliæ sunt tribus personis *communes*, v. gr., relationes identitatis, similitudinis, æqualitatis; de his non est hic quæstio; aliæ sunt *personales*, seu *originis*, quæ fundantur in processione unius personæ ab alia, v. gr., paternitas, filiatio, etc.

Nota 3. Relatio originis spectari potest secundum *esse in*, id est prout afficit subjectum in quo est; secundum *esse ad*, id est prout respicit terminum ad quem refertur.

Nota 4. Relationum originis investigabimus : 1° Numerum et essentiam; 2° Distinctionem a se invicem; 3° Munus, totuplici articulo.

ARTICULUS I.

DE NUMERO ET ESSENTIA RELATIONUM ORIGINIS.

CONCLUSIO I.

Quatuor sunt in Deo relationes originis, nec plures, nec pauciores, nimirum paternitas, filiatio, spiratio activa et spiratio passiva.

Prob. Quia singulis processionibus respondent duæ relationes, una producentis ad productum, altera producti ad producentem; atqui duæ sunt in Deo processiones, nec plures, nec pauciores, ut supra probatum est. Ergo, etc.

Objicies. Si essent in Deo quatuor relationes, essent in Deo quatuor personæ : falsum et hæreticum consequens. Ergo.

Prob. seq. maj. Relationes personas constituunt. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Relationes a se invicem realiter distinctæ, personas constituunt, *conc.;* non sic a se invicem realiter distinctæ, *nego ant.* Porro spiratio activa non realiter distinguitur a paternitate et filiatione, proindeque non constituit personam a Patre et Filio distinctam.

CONCLUSIO II.

Relationes originis sunt subsistentes et reales.

Prob. Illæ relationes sunt reales, quæ fundantur in reali origine, et per quas personæ realiter distinguuntur ab invicem : neque distinctionis realis ratio potest esse, nisi quod reale est; atqui relationes originis fundantur in reali origine unius personæ ab alia, et per eas personæ ab invicem realiter distinguuntur. Ergo, etc.

Objicies. Relatio realis præsupponit extrema realiter distincta; atqui relationes divinæ non præsupponunt, sed constituunt extrema realiter distincta. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* In creatis, *conc.;* in divinis, *nego maj.* Ratio disparitatis est, quod relationes, quæ in creaturis reperiuntur, sint accidentia, et ideo præsupponunt subjecta quibus inhæreant; e contra relationes divinæ sunt substantia, et consequenter non præsupponunt suum objectum cui inhæreant, sed per se subsistunt, et a se ipsis distinguuntur.

Inst. 1. Ubi sunt relationes reales, ibi mutua est correlatorum dependentia; atqui nulla potest esse in Deo dependentia vera et realis : ergo nec ulla vera et realis relatio.

Resp. *Dist. maj.* Ubi sunt relationes reales, ibi est mutua correlatorum dependentia, improprie dicta et connexionis, *conc.;* proprie dicta et causalis, *nego maj.* Itaque relationes divinæ efficiunt quidem ut personæ habeant connexionem cognitionis et existentiæ; correlata enim sunt simul natura et cognitione, cum non possit esse Pater nec cognosci, quin sit ac cognoscatur Filius; sed non efficiunt ut personæ a se invicem pendeant tanquam effectus a causa, quia producuntur actionibus per quas unicuique personæ communicatur eadem numero natura quæ est in producente; ergo natura illa est prorsus independens.

Inst. 2. Relationes non possunt dici realiter de subjecto, nisi aut secundum substantiam, aut secundum accidens : atqui neutro modo sunt in Deo; non quidem secundum substantiam, cum sit una substantia et plures relationes; nec secundum accidens, cum nihil sit accidentale in Deo. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Quia inter dici secundum substantiam, et dici secundum accidens, datur medium, nimirum dici secundum esse relativum ; nam esse relativum, præcise ut relativum, abstrahit a substantia et accidente : quippe nihil aliud dicit in suo conceptu, quam referre unum ad aliud; unde non est substantia absolute, sed est modus substantiæ quo unum respicit aliud.

ARTICULUS II.

DE DISTINCTIONE RELATIONUM ORIGINIS A SE INVICEM.

Nota. Relationes divinas non distingui ab essentia divina realiter, sed tantum virtualiter, probavimus in tractatu *de Deo et attributis.* Unde

CONCLUSIO I.

Relationes originis quæ sibi mutuo opponuntur, nimirum paternitas, et filiatio, et spiratio passiva, a se invicem realiter distinguuntur. Est de fide contra Sabellium.

Prob. Personæ divinæ realiter ab invicem distinguuntur per relationes originis; siquidem ideo prima persona distinguitur a secunda, quod prima sit Pater, et secunda Filius, quod habent per relationes; ergo illæ relationes originis inter se realiter distinguuntur, nam propter quod unumquodque tale, et illud magis.

Objicies. Paternitas et filiatio non opponuntur spirationi passivæ; ergo ab illa non distinguuntur realiter.

Resp. *Dist. ant.* Non opponuntur per se, *conc.;* per spirationem activam cum qua identificantur, *nego ant.* Nam prima et secunda persona non solum sunt Pater et Filius, sed præterea sunt spirator, et sub illo respectu Spiritui Sancto opponuntur, et ab eo realiter distinguuntur.

CONCLUSIO II.

Spiratio activa non distinguitur realiter a paternitate, nec a filiatione. Est de fide.

Prob. Ex hoc D. Anselmi effato ab omnibus recepto: *Omnia in divinis sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio.* Atqui inter spirationem activam ex una parte, et paternitatem et filiationem ex altera, non obviat relationis oppositio; quippe relationis oppositio in divinis fundatur in reali processione unius ab alio; atqui spiratio activa non

procedit realiter a Patre et Filio, sed a Patre communicatur Filio. Ergo, etc.

Objicies. Quæ producunt terminos distinctos, distinguuntur realiter; atqui paternitas et spiratio activa habent terminos distinctos. Ergo.

Resp. *Nego maj*. Nam ad productionem terminorum realiter distinctorum, sufficit distinctio virtualis; porro paternitas et spiratio activa distinguuntur virtualiter.

Inst. 1. Spiratio activa in Patre communicatur, paternitas non communicatur; ergo distinguuntur realiter.

Resp. *Nego cons*. Eadem quippe res, sub diverso respectu, communicatur et non communicatur; sic, licet paternitas et spiratio activa sint in Patre eadem res, tamen communicatur Filio quatenus ei non opponitur relative; non communicatur quatenus ei relative opponitur : porro sola paternitas opponitur Filio relative.

Inst. 2. Spiratio activa, quæ est in Filio, est a Patre; ergo a paternitate distinguitur realiter.

Resp. *Retorq*. Natura divina, quæ est in Filio, est a Patre; ergo a paternitate distinguitur realiter. *Nego itaque consequentiam*, quia spiratio activa non est a Patre per productionem, sed per communicationem, sicut et ipsa natura.

Inst. 3. Tam spiratio activa in Patre, mediante paternitate, opponitur filiationi, quam filiatio, mediante spiratione activa, opponitur spirationi passivæ; atqui filiatio, mediante spiratione activa, opponitur spirationi passivæ realiter. Ergo.

Resp. *Nego maj*. Disparitas est, quod Filius, per spirationem activam, producat Spiritum Sanctum; et inde inter utrumque est relationis oppositio; e contra Pater per spirationem activam non producit Filium.

ARTICULUS III.

DE MUNERE ET OFFICIO DIVINARUM RELATIONUM.

CONCLUSIO.

Munus proprium relationum divinarum est personas constituere, et unam personam ab aliis distinguere.

Prob. Per id personæ divinæ constituuntur et distinguuntur, quod singulare est, non commune; atqui solum relativum in Trinitate singulare est, cum e contra omne absolutum sit commune, et ex æquo in singulis personis reperiatur. Ergo, etc.

Hinc Div. Basil. [1] ait : *Commune est deitas; proprium est paternitas*. Et Div. Greg. Nazianz. [2] dicit : *Adoramus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum : ita ut proprietates*, id est relationes, *distinguamus, divinitatem autem unam faciamus.*

Objicies. Persona prius concipitur in divinis, quam relativum; ergo persona non constituitur per relativum, sed absolutum : neque enim quod prius est, constituitur per id quod est posterius.

Prob. ant. Illud est prius relativo, quod est prius eo quod est principium relativi; atqui persona in divinis est prior intellectione et volitione, quæ sunt principium *quo* immediatum relativi, sive in Patre, sive in Filio, sive in Spiritu Sancto. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Persona enim est quid idem cum intellectione et volitione; ergo sunt simul.

Inst. 1. Actio supponit personam jam constitutam, actiones enim sunt suppositorum; ergo persona in divinis est prior intellectione et volitione.

Resp. *Dist. ant.* Actio creata supponit personam jam constitutam, *conc.;* actio increata, *nego ant.* Disparitas est,

[1] Epist. 349. — [2] Orat. 39.

quod actio creata ab ipso supposito distinguatur; e contra actio Dei identificatur cum supposito.

INST. 2. Relatio supponit in subjecto aliquid absolutum quod referat; ergo supponit subjectum jam constitutum.

RESP. *Dist. ant.* Relatio accidentalis, *conc.;* relatio essentialis et subsistens, *nego ant.* Sic, v. g., relatio paternitatis in Deo Patre non refert naturam quæ absoluta est, sed ipsam refert personam, quam non supponit, sed quam referendo constituit.

CAPUT V.

DE HIS QUÆ TRIBUS PERSONIS SUNT COMMUNIA.

Nota. Quæ tribus personis sunt communia revocari possunt ad notiones, circuminsessionem et missionem divinarum personarum : de quibus agemus tribus quæstionibus.

QUÆSTIO I.

DE NOTIONIBUS DIVINIS.

Nota 1. Per notiones divinas intelliguntur notæ quædam peculiares, quibus personæ divinæ dignoscuntur et ab invicem secernuntur.

Nota 2. Ad notionem divinam tres requiruntur conditiones : *prima,* ut sit aliquid proprium uni personæ, vel duabus tantum; *secunda,* ut aliquam importet dignitatem; *tertia,* ut pertineat ad originem; nihil enim in divinis est distinctivum et speciale, quod non pertineat ad originem. His notatis, sit

CONCLUSIO.

Quinque admittendæ sunt in Deo notiones, nec plures, nec pauciores, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa et spiratio passiva. Est communis.

PROB. Tot sunt notiones admittendæ in Deo, quot sunt

notæ propriæ, quibus personæ divinæ dignoscuntur et a se invicem secernuntur; atqui tales notæ sunt quinque modo recensitæ; namque per paternitatem et filiationem, Pater et Filius inter se distinguuntur; et per spirationem activam et spirationem passivam, Pater et Filius distinguuntur a Spiritu Sancto, sicque ternarius numerus personarum ostenditur; et ne plures personæ cogitentur quam tres, necessario addi debet *innascibilitas*, per quam ostenditur Patrem a nullo principio esse; ergo quinque admittendæ sunt in Deo notiones.

Hinc *innascibilitas* et *paternitas* conveniunt Patri; *filiatio* Filio; *spiratio activa* Patri et Filio; et *spiratio passiva* Spiritui Sancto.

OBJECTIONES QUIBUS MINUITUR NUMERUS NOTIONUM.

Objicies 1. Tot, et non plures, debent admitti notiones, quot sunt proprietates relativæ; atqui proprietates relativæ sunt tantum quatuor : *paternitas* scilicet, *filiatio*, *spiratio activa* et *spiratio passiva*. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj*. Quia notiones, qua notiones, nullam dicunt ad se invicem oppositionem; ergo non necesse est ut sint relativæ.

Prob. maj. Ideo notiones statuuntur, ut personæ cognoscantur et ab invicem distinguantur; atqui perproprietates relativas personæ cognoscuntur et ab invicem distinguuntur. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj*. Ut personæ cognoscantur et distinguantur, tam negative quam positive, *conc.;* positive tantum, *nego maj*. Atqui per proprietates relativas personæ cognoscuntur, positive, *conc.;* negative, *nego min*. Cum ergo personæ divinæ cognosci possint a nobis, vel *positive*, per oppositionem relativam quam habent ad se ipsas, vel *negative*, per exclusionem principii, inde fit quod, quamvis Pater sufficienter innotescat positive distinctus ab aliis personis per paternitatem et spirationem activam, nihilominus, ut

intelligatur omnino improductus, necessario opus est, ut ei tribuatur *innascibilitas*, quæ est negatio productionis ab alio.

INST. 1. Innascibilitas non est quid positivum; ergo non potest esse notio.

RESP. *Transeat ant.; nego conseq.* Sufficit enim ad notionem, quod personam distinguat per ordinem ad origines, et ad certum numerum personarum adstruendum faciat; sed id innascibilitati competit, quamvis non sit positiva; ergo est vera notio; sicut unitas et simplicitas admitti possent pro notionibus essentiæ divinæ, licet sint formaliter negationes.

Dixi : *Transeat ant.* Quia multi docent innascibilitatem esse quidem quid negativum quoad nomen, sed esse quid positivum quoad rem hoc nomine significatam; significat enim Patrem esse fontem totius divinitatis.

INST. 2. Innascibilitas sumpta pro negatione processionis ab alio, non dicit perfectionem; ergo non est notio.

RESP. *Nego ant.* Dicit enim esse principium formale totius divinitatis; atqui hoc dicit summam perfectionem. Ergo.

INST. 3. Nascibilitas, seu processio ab alio non dicit imperfectionem; ergo innascibilitas non dicit perfectionem.

RESP. *Nego conseq.* Utrumque enim in Deo æqualiter est perfectum, non procedere et procedere, quia utrumque eamdem naturam divinam participat; porro natura divina est omnis perfectio.

OBJICIES 2. Innascibilitas non distinguit Patrem a Spiritu Sancto; ergo non est notio Patris.

Prob. ant. Innascibilitas tam convenit Spiritui Sancto quam Patri. Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Innascibilitas sumpta pro negatione generationis, *conc.;* sumpta pro negatione processionis, *nego ant.* Procedit enim a Patre et Filio.

OBJECTIONES QUIBUS AUGETUR NUMERUS NOTIONUM.

OBJICIES 1. Personæ distinguuntur per origines, nempe per generationem activam et passivam; ergo inter notiones sunt computandæ.

RESP. *Nego conseq.* Quia origines concipiuntur ut via et tendentia ad terminum, cum notiones concipi debeant ut formæ permanentes, per quas personæ, velut propriis characteribus, dignoscantur et a se invicem distinguantur.

OBJICIES 2. Tam improductivitas in Spiritu Sancto dicenda est notio, quam innascibilitas in Patre; ergo sunt plures quam quinque notiones.

RESP. *Nego ant.* Disparitas est, quod innascibilitas aliquam exhibet dignitatem in Patre, nam ex eo quod non producatur, sequitur quod sit principium totius Deitatis; sed improductivitas nullam importat dignitatem, alias perfectior esset illa creatura quæ producere non posset; quod est falsum.

OBJICIES 3. Quod Filius sit *Verbum* et *Imago Patris*, sunt notiones Filii; item, quod Spiritus Sanctus sit *donum, amor* et *vinculum Patris et Filii*, notiones sunt Spiritus Sancti; ergo sunt plus quam quinque notiones.

RESP. *Dist. ant.* Sunt notiones quæ exprimuntur notionibus filiationis et spirationis passivæ distinctius intellectis, *conc.;* quæ aliud menti ingerunt, *nego ant. et conseq.* Quid enim est esse Verbum et Imaginem Patris, nisi esse Filium expressivum Patris? Quid est esse donum, amorem et vinculum Patris et Filii, nisi esse terminum spirationis activæ? Ille autem terminus est spiratio passiva.

OBJICIES 4. Sicut datur notio communis, nempe spiratio activa, qua Pater et Filius constituuntur in ratione principii productivi; sic debet dari notio communis, qua Filius et Spiritus Sanctus constituantur in ratione termini producti; ergo sex numerandæ sunt notiones.

RESP. *Nego ant.* Disparitas est, quod Pater et Filius per spirationem activam sibi communem in una speciali ra-

tione producendi Spiritum Sanctum conveniant, unde sunt unum illius principium; econtra Filius et Spiritus Sanctus ratione realiter distincta producuntur, unde produci in illis, non est quid realiter unum, sive non est unus specialis existendi modus, et ideo est quid unum tantum per mentem; porro notiones debent esse reales.

QUÆSTIO II.

DE CIRCUMINSESSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

Nota. Circuminsessio est *personarum divinarum intima in se mutuo inexistentia.* Quare ad illam duo requiruntur: 1° Identitas naturæ; 2° distinctio personarum.

CONCLUSIO

Datur in Deo circuminsessio personarum. Est de fide.

Prob. 1. Circuminsessio est personarum intima in se mutuo inexistentia; atqui personæ divinæ in se mutuo intime inexistunt [1]: *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?* ait Christus; et paulo post: *Pater in me manens, ipse facit opera.* Ergo, etc.

Prob. 2. *Ex PP.* dicentibus cum Div. Fulgentio [2]: *Totus est Pater in Filio et Spiritu Sancto, totus Filius in Patre et Spiritu Sancto, et totus Spiritus Sanctus in Patre et Filio.*

Prob. 3. *Ratione.* Eæ personæ in se invicem inexistunt, quæ unam eamdemque numero naturam indivisibilem et impartibilem habent; atqui personæ divinæ unam eamdemque numero naturam indivisibilem et impartibilem habent. Ergo.

Objicies 1. Quæ se invicem excludunt, non possunt esse in se mutuo; atqui personæ divinæ sese mutuo excludunt. Ergo, etc. *Resp. Nego min.*

[1] Joann. 14. — [2] Lib. *de Fide ad Petrum*, cap. 1.

Prob. min. Quæ relative opponuntur sese, invicem excludunt; atqui personæ divinæ relative opponuntur. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quæ relative opponuntur, secundum omnia, *conc.;* secundum aliqua tantum, *nego maj.* Porro personæ divinæ relative opponuntur sub ratione personalitatis, non sub ratione naturæ, quæ una et eadem est numero in singulis personis.

Objicies 2. Si Pater sit in Filio, Filius erit Pater, et vicissim; atqui consequens repugnat fidei. Ergo, etc.

Prob. maj. Ille in quo est paternitas, est Pater; atqui si Pater sit in Filio, in eo quoque erit paternitas. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ille est Pater in quo est paternitas formaliter, *conc.;* identice, *nego maj.* Porro paternitas non est in Filio *formaliter,* id est per modum formæ hypostaticæ et proprietatis personalis, cujus est constituere personam; sed est in Filio *identice,* ratione nimirum essentiæ divinæ, quæ una eademque numero est in tribus personis.

Inst. Qui ab alio exivit, non est in eo; atqui Filius a Patre exivit, juxta illud Christi [1] : *Exivi a Patre.* Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Qui ab alio exivit per productionem ad extra, *conc.;* per productionem ad intra, *nego maj.* Exitus autem Filii a Patre est ad intra, et *secundum solam distinctionem relationis,* ait D. Thom. [2], non secundum *essentialem aliquam distantiam.*

QUÆSTIO III.

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

Nota. Missio in divinis recte definitur : *Processio unius personæ ab alia cum habitudine ad novum existendi modum in creaturis.* Unde missio duplicem dicit respectum, unum ad personam originantem, et alium ad creaturam, vel locum in quo incipit esse novo modo, nimirum per aliquem effectum de novo productum, qua ratione missio est tempora-

[1] Joann. 16. — [2] 1 p., q. 42, art. 5, ad 2.

lis. Utrumque illum respectum expressit Christus [1] : *Exivi a Patre*, en processio; *et veni in mundum*, en novus modus existendi in mundo. His notatis, sit

CONCLUSIO.

Datur missio in divinis. Est de fide.

Prob. 1. *Ex Script.* [2] : *Solus non sum, sed ego et qui misit me, Pater.* Et [3] : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.*

Prob. 2. *Ratione.* Ut persona divina dicatur mitti, sufficit quod procedat ab alia, et importet novum quemdam modum existendi in creaturis; atqui aliqua persona in divinis procedit ab alia, ut Filius a Patre, et importat novum modum existendi in creaturis, ut idem Filius, qui existit in mundo per carnem assumptam. Ergo.

Objicies. Mitti ab alio multiplicem importat imperfectionem; ergo missio non debet admitti in Deo.

Resp. *Dist. ant.* Mitti ab alio, per imperium, consilium, vel transmissionem ab uno loco ad alium, *conc.*; mitti ab alio, per processionem originis cum habitudine ad novum modum existendi ad extra, *nego ant.* Itaque persona divina mitti non potest per imperium, quia superiorem non habet; nec per consilium, quia non habet se sapientiorem; nec per transmissionem ab uno loco ad alium, quia est immensa; sed mittitur solum per divinam originem cum illo novo modo existendi in alio.

Quæres 1. *Quænam personæ in divinis mittantur?*

Resp. *Solus Filius et Spiritus Sanctus.* Est de fide.

Prob. Quia illæ solæ personæ mittuntur, quæ procedunt secundum originem; atqui solus Filius a Patre, et solus Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedunt; ergo solus Filius et Spiritus Sanctus mittuntur; Filius quidem a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio.

[1] Joann. 16. — [2] Joann. 8. — [3] Joann. 15.

DICES 1. De tribus personis dicitur [1] : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Ergo omnes personæ mittuntur.

RESP. *Nego conseq.* Aliud est enim *mitti*, aliud *venire* : qui mittitur, ab alio debet exire; qui venit, a seipso venire potest. Unde D. Aug. [2] ait : *Solus Pater non legitur missus.*

DICES 2. Filius non procedit Spiritu Sancto : atqui tamen dicitur missus a Spiritu Sancto. *Filius*, inquit Conc. Toletanum XI, *non solum a Patre, sed a Spiritu Sancto missus esse credendus est, in eo quod per Prophetam dicitur : Et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus* [3]. Ergo.

RESP. *Dist. min.* Filius missus est a Spiritu Sancto, ut homo est, *conc.*; ut Deus est, *nego min*. Synodus autem Toletana, nomine missionis, intelligit Verbi divini cum natura unionem hypostaticam, quæ cum sit opus ad extra, operatum est a tribus personis Sanctissimæ Trinitatis; unde addit : *A se ipso quoque missus accipitur, pro eo quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur.*

QUÆRES 2. *Quotuplex est missio in divinis?*

RESP. Duplex est, visibilis nempe et invisibilis.

Missio visibilis est ea quæ fit in specie sensibili; talis fuit missio Filii in carne assumpta; et Spiritus Sancti in specie columbæ super Christum, et in specie linguarum ignearum super Apostolos.

Missio invisibilis est ea quæ fit sine specie sensibili, interius sanctificando animas, vel *formaliter* per gratiam habitualem, vel *efficienter* per gratiam excitantem, qua Deus sibi vult præparare templum in quo habitet, juxta illud [4] : *Ego sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo in illum et cœnabo cum illo.*

[1] Joann. 14.— [2] L. 2 *de Trin.*, cap. 5.— [3] Isaiæ 48. — [4] Apocal. 3.

DISSERTATIO II.

De Personis divinis in particulari.

Nota. Cum, tractantes de divinis processionibus, jam majorem partem eorum quæ spectant personas divinas sigillatim, exposuerimus; hic restat de earum nominibus et attributis disserendum, triplici capite.

CAPUT I.

DE NOMINIBUS PRIMÆ PERSONÆ PROPRIIS ET APPROPRIATIS.

Nota. Nomen *proprium* est illud quod uni personæ realiter ita convenit, ut alteri minime convenire possit.

Nomen *appropriatum* est illud quod, licet realiter toti Trinitati sit commune, tamen, propter quamdam rationem specialem, uni personæ singulari modo tribuitur.

Quæres 1. *Quot sunt nomina primæ personæ propria?*

Resp. Sunt tria, nimirum: *Pater, ingenitus*, seu innascibilis, et *principium fontale totius divinitatis.*

Prob. Quia prima SS. Trinitatis persona spectatur, vel per respectum ad Filium, quem sola producit, et sic dicitur *Pater;* vel per respectum ad suam primitatem, quatenus nimirum a nulla alia ducit originem, et sic dicitur *ingenita;* vel per respectum ad duas simul personas productas, quibus divinitatem ex sua infinita fœcunditate communicat, et sic dicitur *principium et fons divinitatis*, sumptæ scilicet in concreto, pro personis quæ a Patre ducunt originem.

Quæres 2. *Quomodo nomen*, Pater, *primæ personæ proprium est?*

Resp. Proprium est, ut *notionaliter* sumitur, id est quatenus dicit relationem realem ad Filium quem producit ex sua substantia.

QUÆRES 3. *Quomodo nomen*, ingenitus, *primæ personæ est proprium?*

RESP. Prima persona dicitur *ingenita*, hoc sensu quod nullo modo producta sit; sola enim prima persona est improducta; ergo ratio *improducti*, ipsi soli propria est. Unde D. Gregor. Nazianzenus ait : *Patris proprietas hæc est, quod ingenitus sit.*

QUÆRES 4. *Quo sensu dicitur*, principium fontale divinitatis, *esse nomen primæ personæ proprium?*

RESP. Dicitur hoc sensu, quod prima persona, a nulla producta, cæteras producat; quare D. Athan. contra gregales Sabellii dicit : *Pater radix et fons Filii et Spiritus Sancti.*

DICES : Filius est etiam *principium* ad intra; ergo illud nomen non est proprium Patri.

RESP. *Dist. ant.* Filius est principium notionale, *conc.;* principale et fontale totius divinitatis, *nego ant.* Principium *notionale* designat fœcunditatem ad intra, quæ communis est Patri et Filio. Principium *fontale* designat principium sine principio, quod solus est Pater, ut explicat D. August. [1] qui illud [2] : *Spiritum veritatis quem ego mittam vobis a Patre*, exponens, ait : *Videlicet ostendens quod totius divinitatis principium Pater est.*

QUÆRES 5. *Utrum Pater possit etiam dici causa et auctor Filii et Spiritus Sancti* [2].

RESP. Non potest recte dici apud Latinos, quia causa, juxta propriam rationem, est *principium influens esse in aliud*, unde importat diversitatem substantiæ, et dependentiam unius ab alio; atqui Filius et Spiritus Sanctus non habent diversam a Patre substantiam, neque ab eo dependent. Ergo.

Dixi : *apud Latinos*, quia Græci Patrem vocant causam et auctorem Filii et Spiritus Sancti, sed improprie et lato

[1] L. 4 *de Trin.*, cap. 22. — [2] Joann. 15.

modo, quia per illas voces intelligunt duntaxat principium originis, ut luculenter explicat Cardinalis Bessarion, sess. 25 Conc. Florentini : *Notandum*, inquit, *quod SS. Doctores orientales, etiam in divinis, utantur nomine causæ et causati largo modo : non quidem ut limitationem et dependentiam importat, sed prout productionem et emanationem a principio ejus quod est a principio, significat.*

QUÆRES 6. *Quot sunt nomina primæ personæ appropriata?*

RESP. Primæ personæ appropriatur quod sit *primum creaturarum principium;* quare dicitur : *Pater noster, creator omnium.* Ratio est, quia congruenter ratio primi principii respectu creaturarum appropriatur ei qui est primum in Trinitate principium.

CAPUT II.

DE NOMINIBUS SECUNDÆ PERSONÆ PROPRIIS ET APPROPRIATIS.

QUÆRES 1. *Quænam sunt nomina secundæ personæ propria?*

RESP. Sunt tria, nempe : *Filius, Verbum et imago Patris.*

PROB. Quia illa nomina sunt secundæ personæ propria, quæ ei soli, ex vi processionis, conveniunt; atqui nomina *Filii Verbi et imaginis,* soli secundæ personæ, ex vi processionis suæ, conveniunt. Ergo, etc.

1. Ille proprie dicitur *Filius,* qui ex propria Patris substantia genitus est; atqui secunda persona sola ex propria Patris substantia genita est, cui soli dixit Pater [1] : *Ex utero ante luciferum genui te.*

2. Illi soli ratio *Verbi* convenit, qui est terminus ab intellectu Patris fœcundo productus; atqui sola secunda persona est talis. Ergo, etc. Unde sola, in Scriptura, vocatur Verbum [2] : *Verbum caro factum est.* Et D. Cyrillus [3] : *Verum*

[1] Psal. 109. — [2] Joann. 1. — [3] Lib. 7 *Thesauri*, cap. 1.

Verum igitur Patris Verbum, inquit, *Filius est, neque est aliud verum Verbum Patris, quam Filius.*

3. Ad rationem *Imaginis* requiritur similitudo in natura vi processionis; atqui sola secunda persona est similis Patri in natura, quam unam eamdemque numero habet cum Patre, idque vi suæ processionis, ut supra fuse probavimus: ergo sola secunda persona dicitur proprie et personaliter Imago Patris [1] : sic dicitur *Imago Dei invisibilis.*

Dices 1. Hoc nomen, *Verbum*, non est proprium Filii. Ergo, etc.

Prob. ant Div. Basilius [2] Spiritum Sanctum vocat Verbum Filii. *Dei quidem Verbum Filius est*, inquit; *Filii autem Verbum, Spiritus.* Ergo *Verbum* non est nomen proprium Filio.

Resp. *Dist. ant.* D. Basilius Spiritum Sanctum vocat Verbum Filii, late, improprie et figurate, quatenus significat quidquid habet vim repræsentandi alterum a quo procedit, quocumque modo fiat illa repræsentatio, *conc.;* proprie, quatenus significat eum qui ab intellectu Patris fœcundo procedit, *nego ant.* Etenim Spiritus Sanctus a Filio procedens, illum hominibus annuntiat per gratiam, inspirationes et prædicationem Evangelii, quod promisit Christus, Joann. 16: *Ille me clarificat, quia de meo accipiet.* Porro illa impropria et figurata locutio satis fuit ad institutum D. Basilii, ut probaret contra Eunomium, Spiritum Sanctum Deum esse, quia a Filio procedit, sicut Filius Deus est, quia a Patre procedit.

Dices 2. Nomen, *Imago*, est commune Filio et Spiritui Sancto; ergo non est proprium Filio.

Prob. ant. Ex Damasceno dicente [3]: *Imago Patris est Filius, et Filii Spiritus Sanctus.* Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant. et textum.* Spiritus Sanctus est Imago Filii, improprie dicta, *conc.;* proprie dicta, *nego.* Hoc itaque

[1] Coloss. 1. — [2] L. 5 *contra Eunomium*, cap. 11. — [3] Lib. 1 *de Fide*, cap. 18.

sensu D. Damasc. dicit Spiritum Sanctum esse Imaginem Filii, quod eamdem habeat naturam cum Filio, non vero quod eam habeat vi processionis suæ, quod requiritur ad proprie dictam imaginem.

QUÆRES 2. *Quodnam est nomen appropriatum Filio?*

RESP. Nomen, *sapientia*, appropriatur Filio, et quidem congruentissime, quia sapientia est virtus intellectus; atqui Filius est terminus sapientissimæ intellectionis. Ergo.

DICES : In Scriptura Filius vocatur *sapientia;* ergo sapientia est nomen Filii proprium, non appropriatum.

RESP. *Dist. conseq.* Nomen, *sapientia*, cum actu notionali conjunctum, est proprium Filio, *conc.;* non conjunctum cum tali actu notionali, quod est generare vel generari, *nego conseq.* Porro, quando Scriptura Filio tribuit nomen, *sapientia*, illud semper conjungit cum actu notionali; sic Eccl. 24 : *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita.* Tuncque est nomen notionale et proprium, quod idem significat ac *Verbum* et *Imago Patris.* Sed quando sapientia de Filio dicitur sine addito, tunc est nomen essentiale, tribus personis commune, quod Filio appropriatur. Hoc totum exponit D. August. : [1] *Verbum sapientia est*, inquit, *sed non eo Verbum quo sapientia; Verbum enim relative, sapientia vero essentialiter intelligitur. Id dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac si dicatur, nata sapientia, ut sit Filius et Imago; et hæc duo cum dicuntur, id est nata sapientia, in uno eorum, eo quod nata est, et Verbum, et Imago, et Filius intelligitur, et in his omnibus nominibus non intelligitur essentia, quia relative dicuntur.*

[1] Lib. 7 *de Trin.*, cap. 2.

CAPUT III.

DE NOMINIBUS TERTIÆ PERSONÆ PROPRIIS ET APPROPRIATIS.

QUÆRES 1. *Quænam sunt nomina tertiæ personæ propria?*

RESP. Sunt tria, nimirum : *Spiritus Sanctus, donum, et amor.*

CONCLUSIO I.

Spiritus Sanctus, est nomen quod proprie convenit tertiæ personæ SS. Trinitatis, non hoc sensu, quod sit immaterialis et omnis impuritatis expers, sic enim est proprietas essentialis, quæ consequenter communis est tribus personis; sed hoc sensu, quod sit *spirata*, et quidem per voluntatem, a qua est omnis sanctitas.

PROB. Illud nomen proprie convenit tertiæ Trinitatis personæ, quod ei in Scriptura et Patribus tribuitur per oppositionem ad alias personas; atqui *Spiritus Sancti* nomen tribuitur tertiæ personæ per oppositionem ad alias personas [1] : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et D. Amb. [2] ait : *Licet Pater Spiritus sit, et Filius Spiritus sit, et Pater sit Sanctus, et Filius sit Sanctus : sola tamen tertia persona proprie Spiritus Sanctus nuncupatur.* Quia, nimirum, sola spiratur, seu flatur ab amore, a quo sanctitas repetitur.

DICES : Hoc nomen, *Spiritus Sanctus*, non significat relationem; ergo non est proprium alicui personæ.

RESP. *Dist. ant.* Non significat relationem, quatenus significat rem immaterialem, *conc.;* quatenus significat rem spiratam, *nego ant.* Sic enim significat relationem personæ spiratæ ad personas spirantes.

CONCLUSIO II.

Donum est nomen quod proprie convenit tertiæ Trinitatis personæ.

PROB. Ut aliqua persona dicatur *donum proprie et persona-*

[1] Matth. 28. — [2] *In Symbolum Apostol.*, cap. 1.

liter, requiritur et sufficit ut a dante procedat, et quidem ex voluntatis inclinatione; atqui sola tertia persona, ex voluntatis inclinatione procedit; ergo proprie et personaliter dicitur donum.

Dices : Isaiæ 9, dicitur : *Filius datus est nobis;* ergo esse donum, non est proprium Spiritui Sancto.

Resp. *Dist. conseq.* Esse donum, non personale, *conc.;* esse donum personale, *nego conseq.* Filius itaque non procedit ex voluntatis inclinatione, sed ex intellectus fœcunditate; unde non est terminus amoris quo se mutuo cum Patre diligit, alias esset principium simul et terminus, quod implicat; datur ergo tantum ex amore quo Pater hominem diligit, juxta illud Joann. 3 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

CONCLUSIO III.

Amor, est nomen proprie conveniens Spiritui Sancto; quia est terminus subsistens ac personalis mutui amoris Patris et Filii. *Quid convenientius est,* ait D. August. [1], *quam ut ille dicatur charitas proprie, qui Spiritus est communis ambobus?* Ergo, etc.

Quæres 2. *Quænam sunt nomina Spiritui Sancto appropriata?*

Resp. Ipsi attribuuntur omnia opera bonitatis, charitatis et misericordiæ, et quidem congruentissime; congruit enim ut divinæ charitatis et misericordiæ effectus ei personæ attribuantur, quæ ex perfectissima charitate procedit; atqui, etc. Hinc vocatur *Paraclitus*, id est consolator, consolatur enim nos per dona gratiæ quibus nos cumulat.

[1] Lib. 15 *de Trinit.*, cap. 19.

DISSERTATIO III.

De modo quo loquendum est de mysterio SS. Trinitatis.

Nota. Agemus hic : 1° De vocibus quibus unitas naturæ exponitur; 2° De vocibus quibus numerus personarum exprimitur; 3° De vocibus quibus distinctio personarum exprimitur; 4° De mutua prædicatione nominum absolutorum de relativis, et relativorum de absolutis; 5° De suppositione attributorum absolutorum pro personis.

CAPUT I.

DE VOCIBUS QUIBUS UNITAS NATURÆ EXPONITUR.

Nota. Voces quibus suspicari quis posset naturæ divinæ unitatem explicari posse, sunt istæ : *Idem, unus, unicus, singularis, solitarius, unitus*, seu *conjunctus, solus.*

CONCLUSIO I.

Voces, unus *et* idem, *recte dicuntur de personis divinis in neutro genere; non autem in masculino, nisi jungantur termino absoluto.*

Prob. Quia *unus* et *idem*, in neutro genere, vel quando in masculino conjunguntur cum termino absoluto, significant naturam; in masculino vero significant personam; ergo cum una sit natura, possunt dici in neutro genere de personis; cum vero plures sint personæ, non possunt dici de personis in masculino, nisi conjungantur cum termino absoluto et essentiali.

Hinc catholicæ sunt hæ propositiones : *Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unum et idem. Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt unus et idem Creator, Omnipotens;* et e contra

hæc : *Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unus et idem*, est falsa, et hæresim Sabellii continens.

CONCLUSIO II.

Voces, unicus *et* singularis, *non recte dicuntur de Deo, seu de essentia :* quia illæ voces in sensu obvio significant naturæ incommunicabilitatem ; atqui Dei natura non est incommunicabilis. Ergo, etc. Ista prop.: *Pater est Deus singularis, Deus unicus,* est falsa. Possunt vero dici de personis, v. gr.: *Pater est unicus, singularis.*

CONCLUSIO III.

Vox, solitarius, *non potest recte dici de personis divinis*, v. g., non potest recte dici: *Pater est solitarius ;* quia hæc vox, non tantum naturæ, sed etiam pluralitatem personarum excludit. *Non invenitur*, inquit D. Aug. [1], quomodo dici possit : *aut Pater solus, aut Filius solus, cum semper... in invicem, neuter solus,* ubi sumit vocem, *solus,* categorematice, pro voce, *solitarius.*

CONCLUSIO IV.

Voces, unitus *et* conjunctus, *non recte dicuntur de personis*, quia arguunt compositionem; quæ enim uniuntur et conjunguntur, ad modum partium se habent ; atqui quæ compositionem arguunt admitti non possunt in Deo, qui est ens summe simplex. Ergo.

CONCLUSIO V.

Vox exclusiva, solus, *non potest enuntiari de Deo categorematice, bene vero sincategorematice ;* hoc est, quando conjungitur cum alio termino, sive essentiali, sive notionali.

Ratio primi est, quia vox, *solus,* categorematice sumpta,

[1] L. 1 *de Trinit.*, cap. 9.

idem significat quod vox, *solitarius*. Hinc falsa est hæc propositio : *Deus est solus*.

Ratio secundi est, quia vox, *solus*, sincategorematice sumpta, non aliud significat quam prædicatum convenire subjecto, et non alteri; unde recte dicitur : *Solus Deus est omnipotens, solus Pater generat*.

CAPUT II.

DE VOCIBUS QUÆ NUMERUM PERSONARUM EXPRIMUNT.

Nota. Hæ voces sunt istæ : *multiplex, triplex, multiplicitas, trinus, trinitas*.

CONCLUSIO I.

Hæ voces, multiplex, triplex, *de Deo non possunt prædicari*; quia vox ista, *Deus*, non abstrahit a natura, sed illam formaliter includit; ergo hæ voces, *triplex, multiplex*, cadunt supra formale significatum hujus vocis, *Deus*, id est, supra naturam divinam, quæ non est multiplex; falsa ergo est hæc prop.: *Deus est multiplex, triplex*.

CONCLUSIO II.

Hæc vox, multiplicitas, *recte de Deo potest prædicari, etiam sine hoc addito*, personarum; unde vera est hæc propositio: *In Deo est multiplicitas*. Ratio est, quia cum aliqua in Deo vox est indifferens ad naturam vel personam significandam, illius significatio determinatur per subjectum, de quo prædicatur, ac proinde cum Deus, in quo dicitur esse multiplicitas, excludat in suo conceptu multiplicitatem naturarum, vox, *multiplicitas*, per subjectum restringitur ad multiplicitatem personarum, quæ in Deo realiter reperitur.

CONCLUSIO III.

Hæ voces, trinus, trinitas, *recte dicuntur de Deo*, v. g.: *Deus*

est trinus, in Deo est trinitas. Quia in Deo est determinatus numerus personarum.

DICES : Deus non potest dici *triplex;* ergo nec potest dici *trinus.*

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod *trinus* dicit tantum unum quid tribus distinctis modis existens; econtra *triplex,* non tantum tres distinctos existendi modos dicit, sed etiam tres, saltem secundum numerum, essentias. *Nec quoniam trinitas est,* inquit D. Aug. [1], *ideo triplex putandus est; alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater et Filius.*

QUÆRES : *Quo sensu in hymno corporis Christi dicitur :* Te trina Deitas, unaque poscimus.

RESP. Dicitur hoc sensu, quod Deitas una et indivisa, sit communis tribus personis, quibus inest et cum quibus identificatur; non vero dicitur hoc falso sensu, quod Deitas ex se multitudinem importet, alias essent tres naturæ.

CAPUT III.

DE VOCIBUS QUIBUS DISTINCTIO PERSONARUM EXPRIMITUR.

Nota. Hæ voces sunt istæ : *distinctus, discretus, secretus, alius,* et *alter, dissimilis, dispar, discrepans, differens, divisus,* et *separatus.*

CONCLUSIO I.

Hæ voces, distinctus, discretus *et* secretus, *recte prædicantur de personis;* quia de fide est personas esse realiter distinctas, et verba, *discernere, secernere,* idem significant ac verbum *distinguere.*

CONCLUSIO II.

Hæ voces, alius *et* alter, *in masculino, vel feminino, catholice*

[1] Lib. 6 *de Trinit.*, cap. 7.

de personis dicuntur, non autem in neutro genere, ex Concil. Later. IV : *Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus, Sanctus, non tamen aliud.* Ratio est, quia illæ voces in masculino, vel feminino, significant personam, at in neutro significant naturam, ut probat D. Thom. [1] dicens : *Si quæratur quis est iste? Respondemus, Socrates, quod nomen est suppositi. Si autem quæratur quid est iste? Respondetur, animal rationale et mortale.*

CONCLUSIO III.

Hæ voces, dissimilis, dispar, discrepans, differens, divisus *et* separatus, *non recte prædicantur de personis;* quia significant naturam, non vero personam. Ideo Div. Thom. [2] ait : *Ne tollatur simplicitas divinæ essentiæ, vitandum est nomen separationis et divisionis, quæ est totius in partes. Ne autem tollatur æqualitas, vitandum est nomen disparitatis,* et dissimilitudinis. *Ne vero tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni et discrepantis.*

CAPUT IV.

DE MUTUA PRÆDICATIONE NOMINUM ABSOLUTORUM DE RELATIVIS, ET RELATIVORUM DE ABSOLUTIS.

Nota. Nomina, tum absoluta, tum relativa, sunt vel abstracta, vel concreta. *Abstracta* sunt ea quæ exprimunt formam sine subjecto ut deitas, paternitas, etc. *Concreta* sunt quæ formam cum subjecto, seu subjectum habens formam, significant, ut Deus, Pater, etc.; item alia sunt substantiva, ut Deus; alia adjectiva, ut sapiens. His positis,

Quæres 1. *An et quomodo nomina absoluta prædicentur de personis?*

Resp. 1. *Nomina absoluta abstracta, non prædicantur de personis in plurali, sed tantum in singulari.*

Prob. Nomina abstracta formam sine subjecto signifi-

[1] 1 p., q. 31, art. 2, ad 4. — [2] 1 p., q. 39, art. 2 in corp.

cant; atqui in Deo est unica forma; ergo nomina abstracta, illam formam significantia, non possunt de personis prædicari, nisi in singulari... Hinc recte dicitur : *Tres personæ sunt una deitas, una sapientia*, etc., sed perperam diceretur, *sunt deitates, sapientiæ*, etc.

Resp. 2. *Nomina absoluta concreta substantiva, vel etiam adjectiva substantive usurpata, prædicantur de personis in singulari tantum; adjectiva vero prædicantur in plurali.*

Prob. Quia forma in nominibus substantivis, vel adjectivis substantive usurpatis, significat per modum substantiæ, et habentis esse per se; econtra in adjectivis significat per modum accidentis, seu adjacentis suo supposito, et in eo esse habentis; ergo in nominibus substantivis, vel adjectivis substantive usurpatis, singularitas vel pluralitas, petitur a singularitate, vel pluralitate formarum, et in adjectivis a singularitate, vel pluralitate suppositorum; atqui in Deo est unica substantia, plura vero sunt supposita. Ergo, etc..... Hinc 1° recte dicitur : *Tres personæ sunt Deus, unus creator;* perperam vero diceretur : *Sunt tres Dii, tres creatores;* 2° recte dicitur : *Tres personæ sunt tres creantes, sunt æquales*, etc.

Dices : Hæc nomina, *increatus, immensus, omnipotens*, sunt adjectiva; tamen in Symbolo Athanasiano dicitur : *Non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus et unus immensus...; non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.* Ergo nomina adjectiva non dicuntur de personis in plurali.

Resp. *Dist. conseq.* Nomina adjectiva substantive sumpta, *conc.*; adjectiva adjective sumpta, *nego conseq.* Itaque adjectiva substantive sumpta sequuntur conditionem substantivorum; porro in Symbolo Athanasiano : *Unus, increatus, immensus, omnipotens*, sunt adjectiva substantive usurpata, ut ait D. Thom.[1] : *Dicimus enim*, inquit, *tres existentes, vel tres increatos et immensos, si adjective sumantur. Si vero substan-*

[1] p., q. 39, art. 3 in corp.

tive sumantur, dicimus unum increatum, immensum, æternum, ut Athanasius dicit.

QUÆRES 2. *Utrum personæ possint prædicari de nominibus absolutis?*

RESP. Personæ de nominibus absolutis, sive in abstracto, sive in concreto sumptis, possunt prædicari. Ratio est, quia inter personas et essentiam, sive in abstracto, sive in concreto sumptam, est realis identitas. Hinc istæ prop. sunt veræ : *Essentia seu Deus est tres personæ : essentia est Pater, Deus, vel essentia, est paternitas.*

CAPUT V.

DE SUPPOSITIONE NOMINUM ABSOLUTORUM PRO PERSONIS.

QUÆRES 1. *Utrum nomina absoluta abstracta, supponant, seu in propositionibus sumantur pro personis?*

RESP. *Negative,* prout definitur in Conc. Lateran. IV, in quo dicitur : *Illa res* (essentia divina) *non est generans, neque genita, neque procedens.* Ratio est, quia si absoluta supponerent pro personis, essentia produceret seipsam, cum eadem numero sit essentia in tribus personis; hinc si hæc propositio : *essentia generat,* esset vera, sensus esset : *essentia producit seipsam,* quod repugnat; producens enim realiter debet distingui a producto.

QUÆRES 2. *Utrum nomina absoluta concreta supponant pro personis?*

RESP. Aliquando supponunt pro essentia, aliquando pro persona. Nam hæ propositiones sunt veræ : *Deus creat, Deus generat;* atqui in prima propositione, *Deus* supponit pro essentia, in secunda supponit pro persona; ergo nomina absoluta concreta supponunt aliquando pro essentia, aliquando pro persona.

QUÆRES 3. *Quomodo potest cognosci quandonam hæc vox,* Deus, *supponat pro persona, quandonam pro natura?*

RESP. Ad hujus quæstionis resolutionem, Sylvius [1] dat quatuor sequentes regulas, quas refero.

Iª Regula. *Quando huic nomini*, Deus, *nihil adjungitur, quod ejus significationem restringat vel determinet, supponit pro natura communi, sive pro illo singulari simplicissimo, quod est natura divina ut communis, imo ut realiter eadem cum tribus personis; ac per consequens æque principaliter et primo supponit pro personis et pro natura, ut cum dicitur :* soli Deo honor et gloria.

IIª Regula. *Quando isti nomini*, Deus, *tribuitur actus essentialis, qui personis convenit ratione essentiæ, tunc nomen*, Deus, *principaliter ac primario supponit pro essentia, minus autem principaliter, et secundario pro personis, ut in hac propos.*: Deus creat; *nam creare non convenit Patri, quia est Pater, aut Filio, quia Filius est, sed singulis personis competit, ratione divinæ naturæ.*

IIIª Regula. *Quando eidem nomini*, Deus, *tribuitur talis actus, vel proprietas essentialis, quæ convenit essentiæ secundum quod ipsa distinguitur a personis, tunc supponit tantum pro essentia, ut in his propositionibus :* Deus est communis tribus personis; Deus est trinus; Deus est trinitas.

IVª Regula. *Quando eidem nomini*, Deus, *tribuitur actus, vel proprietas notionalis, tunc supponit pro persona, eaque vel una, vel pluribus, secundum quod exigit proprietas ipsi attributa. Unde in hac prop.:* Deus generat Deum, *subjectum supponit pro persona Patris, et prædicatum pro persona Filii. In ista vero:* Deus spirat Deum, *subjectum supponit pro Patre et Filio, prædicatum vero pro Spiritu Sancto.*

Huic tractatui De ineffabili SS. Trinitatis mysterio finem imponentes, dicamus cum Sapiente [2] : *Multa dicemus, et definiemus in verbis, consummatio autem sermonum ipse est omnibus*, quia *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Itaque cum D. August. [3] concludens,

[1] Quæst. 49, art. 4. — [2] Eccl. 43, v. 9. — [3] Lib. 15 *de Trinitate*, cap. ult.

Deum sic depreeor : *Domine Deus unus, Deus Trinitas, quæcumque dixi in hoc tractatu de tuo, agnoscant et tui; si qua de meo, et tu ignosce et tui.* Interim protestamur nolle nos nostrosque te cognoscere, nisi ut te, unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur. Amen.

TRACTATUS

DE DEO CREATORE.

Nota. Circa creationem, hæc est fides nostra in Symbolo Nicæno Constantinopolitano definita : *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium conditorem.* * Itaque postquam Deum in suis actionibus *ad intra* consideravimus, restat ut eumdem quatenus se creaturis rationabilibus manifestat in suis actionibus *ad extra* spectemus. Porro quæcumque a Deo creata sunt, visibilia aut invisibilia sunt, et tres in classes distinguuntur. Alia enim sunt mere *spiritualia*, ut Angeli; alia mere *corporea*, ut res materiales quæ cœli terræque ambitu continentur; alia *mixta*, cujusmodi homo est spirituali et corporea substantia coalescens. In tres proinde dissertationes hunc tractatum dividemus. In quarum *prima* agemus de Angelis; in *secunda* de mundo; in *tertia* de homine. *

DISSERTATIO I.

De Angelis.

Nota. De Angelis multas quæstiones congerunt Theologi, quæ vel ad Philosophiam spectant, vel sunt penitus incertæ, vel certæ prorsus inutiles videntur; nos vero S. Scripturæ et traditionis lumine ducti, ea principaliter examinanda suscipimus, quæ his duobus momentis possunt

probari. Agemus itaque : 1° De existentia et creatione; 2° De natura; 3° De statu in quo conditi sunt; 4° De loco, motu, potentia motrice et locutione Angelorum; 5° De eorum peccato, et ejusdem pœna; 6° De variis eorum ordinibus; 7° Tandem de missione, illuminatione et custodia Angelorum.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA ANGELORUM.

Nota. Angelus, juxta Patres et Theologos, nomen est officii, non naturæ; quos Græci *Angelos*, Latini *nuntios*, Hebræi *Malachim*, vel *Elohim*, Ethnici passim *genios* vel *dæmones* appellant : definiri potest, *substantia creata, spiritualis, completa.*

Dicitur 1. *Substantia creata*, id est per se subsistens, et ex nihilo producta.

Dicitur 2. *Spiritualis*, id est, incorporea, juxta illud Hebr.: *Omnes sunt administratorii Spiritus.* Atqui ex Lucæ 24 : *Spiritus carnem et ossa non habet.*

Dicitur 3. *Completa*, quia est integra, nec ordinatur ad alterius compositionem, et per hoc ab anima rationali distinguitur.

CONCLUSIO.

Existunt Angeli. Est de fide contra Sadducæos, Socinianos et Rationalistas.

Prob. 1. *Ex Scriptura*, in qua frequens est memoria Angelorum [1] : *Venerunt duo Angeli Sodomam;* et [2] : *Angelus Domini de cœlo clamavit dicens : Abraham*, etc. Matth.: *Angeli eorum in cœlis vident semper faciem Patris.* Unde Divus August. in Ps. 102, ait : *Esse Angelos novimus ex fide; et multis*

[1] Genes. 19. — [2] Cap. 22.

apparuisse scriptum legimus, ac tenemus, nec inde dubitare fas nobis est.

* PROB. 2. *Ex consensu omnium populorum.* Illud dogma est admittendum, quod omnes populi antiqui ac recentiores una voce admiserunt et admittunt; atqui omnes populi antiqui et recentiores Angelorum seu substantiarum spiritualium existentiam admiserunt et admittunt. Ergo, etc.

Prob. min. Præter Judæos et Christianos de quibus nullum est dubium, pagani omnes sunt unanimes in admittenda Angelorum seu substantiarum spiritualium existentia, quæ sub Deo constituantur, ac natura hominibus sint præstantiores. Sic Thales, ut refert Athenagoras [1], in tres dividit classes substantias superiores : *in Deo* scilicet, *in dæmones* et *in hæroas*. Hierode teste, Pythagoras Angelos *Deos immortales* a summo Deo conditos appellat. Socrates, teste Xenophonte, dæmonis seu genii custodia se commendatum existimabat. Plato has spirituales substantias, tum *Angelos*, tum dæmones vocat. Hujus generalis doctrinæ fidem facit Tertull. [2] Demum Angelorum bonorum et malorum conflictus, quasi fundamentum omnium religionum etiam sylvestrium constituit, ut patet ex historiis, viatorum Missionariorumque relationibus. Ergo persuasio de Angelorum, seu substantiarum spiritualium existentia universalis est. Ergo, etc.*

PROB. 3. *Ex Conc. Lateranensi*, cap. *Firmiter*, ubi definitur, Deum *sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, et spiritualem et corporalem, Angelicam videlicet et mundanam, et deinde humanam quasi communem, et spiritu et corpore constitutam.*

DICES : Moyses non descripsit creationem Angelorum; ergo non dantur.

RESP. *Nego conseq.* Ideo enim Moyses creationem Ange-

[1] In Legat. pro Christianis, n. 25. — [2] Apol., cap. 22. Conf. etiam ejus annotatorem Jacobum Pamellum, n. 338 et seqq., qui plurimos in testes attulit hujus universalis persuasionis.

lorum prætermisit, quia periculum erat ne Israelitæ, idololatriæ maxime dediti, Angelorum excellentiam cognoscentes, ipsos tanquam Deos colerent.

QUÆRES 1. *Quo tempore Angeli fuerunt creati?*

RESP. Simul cum *mundo* creati sunt, nec ante, ut constat ex cap. *Firmiter*; et probatur ex Gen. 1: *In principio creavit Deus cœlum et terram*, ubi sub nomine *cœli* comprehendit Angelos; et Exodi 20: *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt;* ergo et Angelos, qui in cœlis continentur.

QUÆRES 2. *Quo in loco creati sunt Angeli?*

RESP. Id omnino certum non est. Probabile est in cœlo quidem eos fuisse conditos, juxta illud Lucæ 10: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*. Sed non in cœlo empyreo, quod est sedes beatorum, alias non potuisset dicere: *In cœlum conscendam* [1].

* QUÆRES 3. *Quantus est numerus Angelorum?*

RESP. S. Thomas [2] quod sint in multitudine maxima, infirmam et constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum commemorationem. Hinc communiter volunt, quod numerus Angelorum sit adeo magnus, ut excedat numerum hominum qui fuerunt, sunt et erunt. Ratio, quia quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in majori excessu sunt creata a Deo. Hinc dicit Daniel [3]: *Millia millium ministrabant ei, decies millies centena millia assistebant ei.*

CAPUT II.

DE NATURA ANGELORUM.

Constat ex definitione Angelorum, ipsos esse spirituales et intellectuales; restat resolvendum utrum sint immortales, et ejusdem vel diversæ speciei.

[1] Isaiæ 14. — [2] 1 p., q. 50, art. 3 in corp. — [3] Cap. 7, v. 10.

QUÆRES 1. *An Angeli sint immortales?*

RESP. Sunt immortales ab intrinseco, non ab extrinseco.

PROB. PRIMA PARS. Illi sunt immortales ab intrinseco, qui carent principio corruptionis; atqui Angeli carent principio corruptionis; nempe principium corruptionis est materia, cujus, cum partes dissolvuntur, totum perire necesse est; atqui Angeli, utpote spirituales, non constant materia. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Illi non sunt immortales ab extrinseco, qui possunt ab aliqua causa extrinseca destrui; atqui Angeli possunt a Deo destrui, Sap. 11 : *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Ergo, etc.

DICES : Ex D. Damasceno : *Angelus immortalis est, non natura, sed gratia;* ergo non est immortalis ab intrinseco.

RESP. *Dist. ant.* Angelus est immortalis gratia naturali creationis, *conc.;* gratia supernaturali, *nego ant.* Hic est ergo SS. Patrum sensus, quod Angelus non a se, sed a Deo per creationis beneficium immortalitatem habeat; illud autem beneficium vocatur gratia, quia est indebitum.

QUÆRES 2. *An Angeli sint ejusdem vel diversæ speciei?* Hæc quæstio non pertinet ad fidem, cum nec colligi possit ex Scriptura et traditione, nec sit definita.

RESP. Communior est sententia, quæ asserit omnes Angelos esse ejusdem speciei, soloque numero differre, contra S. Thom., l. cit., a. 4.

PROB. Illa sententia videtur probabilior, quæ propius accedit ad modum loquendi Patrum; atqui talis est sententia quæ docet Angelos omnes esse ejusdem speciei. Ergo, etc.

Prob. min. ex Patribus. *Angeli omnes*, ait Divus Basil. [1], *ut appellationis unius, sic et naturæ omnino sunt ejusdem invicem.* Divus Damascenus, [2] ait : *Angeli et homines suam quique divisam et distinctam habent hypostasim, etsi ejusdem naturæ sint.* Quia ex Divo Augustino [3] natura Angeli est

[1] Lib. 2 *de Fide orthodoxa*, cap. 3. — [2] Lib. *de Duabus voluntatis.* — [3] Lib. 3 *contra Eunomium.*

quod sit Spiritus. *Ex eo quod est*, inquit, *Spiritus est; ex eo quod agit, Angelus est*. Atqui omnes Angeli sunt Spiritus. Ergo, etc.

Dices : Angeli differunt forma; ergo differunt specie.

Resp. *Dist. ant.* Angeli enim solo numero, seu individuatione differunt, non forma; differt enim Gabriel a Michaele, quod hanc, non autem illam in individuo naturam habeat, licet ejusdem sit speciei cum aliorum Angelorum natura.

* Quæres 3. *Utrum Angeli interdum assumant corpora?*

Resp. affirmat. Scriptura enim Sacra sic introducit interdum Angelos apparentes, ut communiter ab omnibus viderentur. Sic Angeli apparentes Abrahæ, Lot et Tobiæ ab omnibus indifferenter videbantur; tali autem visione non videtur nisi corpus [1].

* *Nota* 1. Angelus tamen non assumit corpus per unionem hypostaticam, vel per unionem vitalem, qualis in unione animæ humanæ cum corpore suo; sed unitur corpori sicut motor mobili, ad manifestandum se, suas vel Dei proprietates. Hinc Angeli non proprie loquuntur nec manducant, nec generant, etc., per corpora assumpta, sed est aliquid simile locutioni, manducationi, etc., in quantum formant sonum in aere similem voci humanæ; et alia ad diversas ejusmodi operationes necessaria. Ratio eorum est, quia, *cujus est potentia, ejus est actio;* ergo nihil potest habere opus vitæ quod non habeat vitam, quæ est potentiale principium talium actionum, sed Angelus non habet tale potentiale principium, cum non habeat vitam. Ita S. Th., p. 1, q. 51, art. 3.

Diximus : vel Dei *proprietates*. Quia putat S. Augustinus [2] Deum nunquam per seipsum apparuisse (excepta incarnatione), sed omnes manifestationes quæ referuntur factas fuisse per Angelorum ministerium, cui favere videtur

[1] Ita S. Thom., p. 1, q. 51, art. 2. — [2] In Psalm. 103.

Sacra Scriptura [1], nec tamen Angeli false vocabantur *Deus*, *Dominus*, etc., nempe repræsentative.

* *Nota* 2°. Angeli boni apparere solent sub forma virili, mali vero in qualibet specie, etiam feminea, brutali, etc.; illa autem corpora formant ex aere, non mutando rerum naturas in carnem, sed sua naturali virtute aerem, aut vapores, aut nubes condensando et apte ordinando. Ita S. Thom. [2]

* *Nota* 3°. Dæmones, quandoque assumunt corpora defunctorum, non tamen eorum qui hic de Dæmone triumpharunt [3]. Utrum Angeli mali vera possint patrare miracula, diximus in tract. *de vera Relig.* *

CAPUT III.

DE STATU IN QUO ANGELI CONDITI SUNT.

QUÆRES 1. *Utrum Angeli creati fuerint beati?*

RESP. Angeli fuerunt creati beati beatitudine naturali, non autem beatitudine supernaturali.

PROB. PRIMA PARS. Beatitudo naturalis consistit in perfectione quæ omnem excludat miseriam : atqui Angeli fuerunt creati in illa perfectione; miseria enim est pœna peccati. Ergo, etc. Hinc D. August [4] ait : *Diabolus et Angeli ejus beati erant, antequam caderent.*

PROB. SECUNDA PARS. De ratione beatitudinis supernaturalis, quæ consistit in intuitiva visione, est stabilitas et confirmatio in bono; sed Angeli, statim ut creati sunt, stabiliti et confirmati non fuerunt in bono, ut patet ex lapsu malorum Angelorum. Ergo, etc.

Resolves : Beatitudinem bonorum Angelorum supernaturalem, fuisse præmium illorum in bono perseverantiæ, ut

[1] Act. Apos., cap. 7, v. 38 et 53. — [2] Loco cit. a. r. ad 3. — [3] P. Dens, *de Ang.*, n. 78. — [4] Lib. *de Correpl. et gratia.*

asserit D. Aug. [1], dicens : *Angeli sancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi; et hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa mansuros.*

QUÆRES 2. *An Angeli creati fuerint in statu gratiæ sanctificantis?*

RESP. *affirm.* Ut constat tum ex Scriptura, *Ezech.* 18, ubi quod de rege Tyri ad litteram dicitur, a SS. Patribus de Lucifero intelligitur : *Ambulasti perfectus in viis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Ergo per peccatum amisit perfectionem, non naturalem; ergo supernaturalem; sed perfectio supernaturalis consistit in gratia sanctificante. Ergo, etc. Hinc Div. Aug. [2] ait : *Cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit; simul in eis condens naturam, et largiens gratiam.* Contrarium nostræ responsionis damnatum est contra Baium, proposit. 9.

Resolves. Angelos in primo instanti suæ creationis recepisse fidem, spem et alias virtutes, quæ gratiam sanctificantem consequuntur.

CAPUT IV.

DE LOCO, MOTU, POTENTIA MOTRICE, ET LOCUTIONE ANGELORUM.

QUÆRES 1. *An Angeli sint in loco et quomodo?*

RESP. *ad primum.* Angeli vere sunt in loco.

PROB. Ex *Apoc.* cap. 20, ubi dicitur, Diabolum fuisse ligatum et missum in abyssum; ergo Angelus est in loco, alias esset nullibi, quod repugnat.

RESP. *ad secundum.* Angeli non sunt in loco circumscriptive, sed definitive.

PROB. PRIMA PARS. Esse in loco *circumscriptive*, est ita

[1] L. *de Correp. et gratia*, cap. 11. — [2] 12 L. *de Civit. Dei*, cap. 9.

contineri loco ut res, quæ in eo est, correspondeat variis partibus loci; atqui Angeli non correspondent variis partibus loci, nam sola illa res correspondet variis partibus loci, quæ habet partes; atqui Angeli partes non habent, cum omnis materiæ sint expertes. Ergo.

PROB. SECUNDA PARS. Rem esse in loco *definitive* est eam certo spatio ita contineri, ut non sit alibi; atqui certo spatio ita continentur, ut non sint alibi, nam extensionem virtualem limitatam habent. Ergo.

DICES CONTRA PRIMAM PARTEM : Div. Athan[1] ait : *Angeli consistunt in certis locis, loco circumscribuntur*. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Loco circumscribuntur, improprie, *conc.;* proprie, *nego*. Circumscribi improprie est spatio comprehendi, seu rem ita certo spatio contineri, ut alibi non sit : hoc autem satis erat Patribus, ut probarent immensitatem soli Deo, non Angelis competere.

QUÆRES 2. *An Angeli moveantur localiter?*

RESP. *affirmative*. Nam moveri localiter, est transire de loco in locum fluxu continuo; idque factum esse declarat Scriptura, Luc. 2: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem... et ingressus Angelus ad eam, dixit... et discessit ab illa Angelus*. Et Lucæ 2: *Discesserunt Angeli a Pastoribus in cœlum*. Ibi certe est motus localis, nempe derelictio termini a *quo*, et progressus ad terminum *ad quem*.

QUÆRES 3. *An Angeli possint movere corpora localiter?*

RESP. *affirmative*, ut constat, *Daniel*, cap. 14, ubi Angelus portavit Prophetam Habacuc ex Judæa in Babylonem : *Et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum*. Et Matth. 4 : *Assumpsit eum* (Jesum) *Diabolus in sanctam Civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi*.

QUÆRES 4. *Utrum, et quomodo Angeli inter se colloquantur?*

RESP. *ad primum*. Angeli inter se colloquuntur, ut fide

[1] Epist. ad Serapionem.

constat ex Scrip., Isaiæ 6 : *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus*, etc., et Epist. can. Judæ : *Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur... dixit : Imperet tibi Dominus.*

Resp. *ad secundum.* Angelus alterum alloquitur Angelum suam intellectionem aut volitionem ad illum dirigendo per actum quo vult, ut utraque, vel alterutra, illi pateat. Ratio Div. Thomæ est [1], quia *loqui ad alterum, nihil aliud est quam conceptus mentis alteri manifestare.* Atqui Angelus, intellectionem et volitionem ad alterum dirigendo, illi manifestat suos conceptus; et non dirigendo, illi occultat. Ergo, etc.

Quæres 5. *Quænam Angeli cognoscant?*

Resp. Cognoscunt : 1° Deum, seipsos et alios Angelos; 2° Omnes causas naturales; 3° Omnia futura necessaria : futura autem quæ ex causis naturalibus contingere solent, cognoscunt tantum conjecturaliter; 4° At nullo modo cognoscere possunt futura contingentia libera, seu quæ pendent a libero arbitrio : hæc enim soli Deo nuda et aperta sunt, juxta illud : *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Hinc dæmones nostras liberas cogitationes et affectiones voluntatis *mere* internas non cognoscunt Dico *mere* internas, quia propter suam nativam sagacitatem, illas conjectura consequi possunt ex affectionibus et motibus corporis; ex dispositione spirituum animalium in phantasia, etc. Angeli autem boni cogitationes nostras in Deo videre possunt.

CAPUT V,

DE PECCATO ANGELORUM, ET EJUSDEM PŒNA.

Quæres 1. *Cujus speciei fuerit primum peccatum Angelorum?*

Resp. *Fuit peccatum superbiæ.*

Prob. *Ex Tobiæ 4,* ubi Spiritus Sanctus dicit : *Superbiam*

[1] 1 p., q. 107, art. 1. — [2] Paral., cap. 6, v. 30.

nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Et [1] de Diabolo, sub nomine regis Babylonis, dicitur : *Detracta est ad inferos superbia tua... Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam... similis ero Altissimo.* Unde S. Chrysost. [2] ait : *Neque Diabolus cecidisset, nisi se scelere superbiæ coinquinasset.*

QUÆRES 2. *Quodnam fuit objectum superbiæ Angelorum apostatarum?*

RESP. Est incertum, probabilius tamen est illud peccatum superbiæ in eo positum fuisse, quod æqualitatem cum Deo desideraverint, non quidem absolute (neque enim potuerunt ante peccatum judicare illam æqualitatem esse possibilem), sed conditionate, si nimirum esset possibilis, in eoque desiderio mirum in modum sibi complacuerint.

PROB. Ex citato textu Isaiæ 14 : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum; similis ero Altissimo.* Idipsum diserte docet D. Gregor. [3] : *Ei a quo conditus fuerat subesse despexit... appetiit, ut et præesset cæteris, et nulli subesset, dicens : Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo ; cujus eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbe similis in celsitudine concupivit.*

QUÆRES 3. *An omnes Angeli, qui cum Lucifero ceciderunt, fuerunt ex uno tantum ordine, aut ex una tantum hierarchia?*

RESP. Probabile est quod fuerint ex quolibet ordine, et ex qualibet hierarchia.

PROB. Quia Apost. [4] inter humanæ salutis hostes recenset Angelos, Principatus et Virtutes : *Neque Angeli,* inquit, *neque Principatus, neque Virtutes... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.*

QUÆRES 4. *Quot angelos Lucifer in suam partem traxerit?*

RESP. Cum D. Thom. [5] : *Eum quamplurimos secum traxisse,*

[1] Isaiæ 14. — [2] Homil. 15, in Joann. — [3] Lib. 34 *Moral.*, cap. 17. — [4] Rom. 8. — [5] 1 p, q. 63, art. 8.

quamquam non tot, quot in gratia, cum suo duce Michaele, remanserunt. Nam [1] de apostatarum Angelorum principe legitur : *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram.* Atqui per illas stellas intelliguntur Angeli qui ceciderunt; ergo duæ illorum partes missæ non sunt in terram.

QUÆRES 5. *Quotuplex pœna consecuta est peccatum Dæmonum?*

RESP. Quadruplex, nempe : 1° cæcitas mentis; 2° obstinatio voluntatis in malo; 3° exclusio a gloria; 4° tormentum ignis.

QUÆRES 6. *Quæ et quanta sit Dæmonum cæcitas?*

RESP. In hoc consistit, quod priventur omni penitus lumine supernaturali, non vero naturali.

PROB. PRIMA PARS. Quia lumen supernaturale est ordinatio quædam ad vitam æternam; atqui Dæmones nullum habent ordinem ad vitam æternam; ergo privantur omni lumine supernaturali gratiæ. Unde de Dæmone dicitur [2] : *Ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o cherubim... et elevatum est cor tuum in decore tuo : perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te.* Et ideo dicuntur ab Apost. [3] : *Mundi rectores tenebrarum harum.*

PROB. SECUNDA PARS. Quia intellectus in naturalibus non minuitur, nisi cum minuitur natura, cujus est facultas; atqui Dæmonum natura per peccatum non est immutata; ergo nec eorum intellectus in naturalibus; unde S. Dionys. [4] dicit : *Naturalia dona in Angelis reprobis integra remanserunt.*

QUÆRES 7. *An tanta sit in Dæmonibus obstinatio voluntatis, ut nullum possint exercere actum moralem omnino bonum?*

RESP. *affirm.* Ratio est : 1° summum Dei vindicis odium, quo voluntas eorum male affecta, semper Deo displicere velit; 2° Privatio concursus divini, cujus defectu nihil,

[1] Apocal. 12. — [2] Ezech. 28. — [3] Ephes. 6. — [4] Lib. *de Divinis nominibus*, cap. 4.

nisi malum, ipsis placere potest : unde vocantur spiritus mali [1] : *Immissiones per Angelos malos.*

QUÆRES 8. *Utrum detur aliquis locus in terræ visceribus, ad cruciatum Dæmonum destinatus?*

RESP. *affirm.* Ut clarissime testatur Div. Petrus [2] : *Deus Angelis peccantibus non pepercit,* inquit, *sed rudentibus inferni detractos ad Tartarum tradidit cruciandos.* Et, licet nonnulli ex illis, ante diem judicii, pœnas suæ damnationis luant in hoc aere nostro, ubi ad hominum exercitationem divagari permittuntur, juxta illud [3] : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus Principes et Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus;* id est in aere nostro. Tamen fides docet, in die judicii, omnes prorsus in carcerem infernalem esse detrudendos, qui est *terra miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* [4].

QUÆRES 9. *An Dæmones in Inferno torqueantur igne vero et corporeo?*

RESP. *affirm.* Ut tradit communis Patrum et Ecclesiæ consensus.

PROB. 1. Ex Scrip. [5] : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. Quis* [6] *poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et [7] : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus.* Ex quibus sic argumentor : Scriptura Sacra sumi debet in proprio sensu, quando nulla est necessitas illam in sensu metaphorico accipiendi; atqui nulla est necessitas nomen *ignis,* toties repetitum, in sensu metaphorico accipiendi, cum nullum sequatur absurdum, si intelligatur de vero igne corporeo. Ergo, etc. Hinc Div. Hieron. [8] arguit Origenem, quod ignem tartareum ad metaphoram transtulerit.

[1] Psalm. 77. — [2] Epist., cap. 2. — [3] Ephes. 6. — [4] Job, 10. — [5] Deut. 32. — [6] Isaiæ, 33. — [7] Matth. 25. — [8] Epist. 59.

PROB. 2. *Ex Patribus*. S. Greg. [1] de igne infernali affirmat, *corporeum esse non ambigo*. Et S. August. [2] : *Adhærebunt*, inquit, *Spiritus incorporei, corporeis ignibus cruciandi*.

QUÆRES 10. *Quomodo Dæmones ab igne corporeo torqueantur?*

RESP. Hæc quæstio est mere philosophica, de qua nihil certum posse haberi in hac vita, ingenue fatetur Div. August. *ibid.*, dicens : *Quamvis miris, tamen veris modis, etiam Spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi*. Non ergo mirum est, si in tot, tamque varias, circa præsentem controversiam, sententias, abierunt Theologi, quas referre contra nostrum institutum est.

CAPUT VI.

DE VARIIS ANGELORUM ORDINIBUS.

Nota 1. Certum est quod Angelorum numerus sit maximus, ut constat ex Daniel. 7 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*. At quantus sit hic numerus, res est penitus incerta, de qua tum Scriptura, tum traditio, sine quibus id sciri non potest, tacent.

Nota 2. Cum Angeli inter cæteras omnes creaturas dignitate præstent, dubium esse non potest, quin innumera eorum multitudo sit ordinatissima; hinc vulgo dicitur *exercitus*, qui nonnisi ex ordine coalescit, et *chorus*, qui proprie est societas psallentium, in qua ne minima quidem dissonantia debet reperiri.

Nota 3. Hierarchia *est multitudo ordinata sub unius sacri Principis gubernatione*.

Ordo, seu chorus *est hierarchiæ angelicæ gradus unus* : conveniens hierarchiæ suæ communi modo illuminationis, distinctus secundum officia diversa. His positis :

QUÆRES 1. *Quot sunt hierarchiæ Angelorum?*

RESP. Cum Div. Dionysio [3] sunt tres, nempe : *Suprema*,

[1] Lib. 4 *Dial.*, cap. 29. — [2] Lib 21 *de Civit. Dei*, cap. 10. — [3] Lib. *de cœlesti Hierarchia*, cap. 6.

quæ immediate a Deo recipit illuminationes, easque transmittit Angelis secundæ hierarchiæ; *media*, quæ divinas illuminationes immediate recipit ab Angelis primæ hierarchiæ, easque transmittit Angelis tertiæ hierarchiæ; *infima*, quæ divinas illuminationes recipit ab Angelis secundæ hierarchiæ, easque transmittit hominibus.

QUÆRES 2. *Quot sunt ordines, seu chori Angelorum?*

RESP. Sunt novem, quorum tres in qualibet hierarchia continentur.

In prima hierarchia continentur *Seraphini, Cherubini* et *Throni*.

In secunda hierarchia sunt *Dominationes, Virtutes* et *Potestates*.

In tertia hierarchia sunt *Principatus, Archangeli* et *Angeli*. Porro illa diversa nomina sortiuntur ex diversis, quibus funguntur, ministeriis et officiis.

1. *Seraphini*, sic dicuntur, quia charitatem divinam, qua ardent, in alios Angelos transfundunt.

2. *Cherubini*, sic appellantur, quia eminentem scientiam, qua præditi sunt, aliis communicant.

3. *Throni*, sic dicuntur, quia ipsis majestas divina insidet tanquam Judex, unde divina judicia aliis Angelis denuntiant.

4. *Dominationes*, sic dicuntur, quia in eis maxime elucet supremum Dei in res creatas dominium, dominatumque exercent in inferiores Angelos, tanquam in subditos.

5. *Virtutes*, sic dicuntur, quia, virtute quasi divina pollentes, causas universales movent, per eos patrantur miracula, etc.

6. *Potestates*, sic dicuntur, quia, potestatem Creatoris participantes, potestates infernales cohibent efficiuntque ne hominibus noceant.

7. *Principatus*, sic dicuntur, quia moderamine suo inferioribus Angelis principantur, necnon regnis et principatibus, quos regunt et custodiunt.

8. *Archangeli*, sic dicuntur, quia majora et summa hominibus annuntiant, ipsisque committitur custodia Pontificum, Regum et Principum, et aliorum Pastorum.

9. *Angeli*, sic dicuntur, quia minora annuntiant, hominumque privatorum custodes constituuntur.

CAPUT VII.

DE MISSIONE, ILLUMINATIONE, ET CUSTODIA ANGELORUM.

QUÆRES 1. *Utrum et a quo Angeli mittantur?*

RESP. Angeli hominibus a Deo mittuntur, tum ad quædam ipsis exhibenda ministeria, tum ad ventura ipsis prænuntianda. Id patet ex Script. [1] : *Mittam præcursorem Angelum tuum.* [2] Angelus Raphael ait : *Tempus est ut revertar ad eum qui me misit.* Et [3] : *Missus est Angelus Gabriel a Deo.*

QUÆRES 2. *Utrum Angeli ab aliis Angelis superioris hierarchiæ mitti possint?*

RESP. *affirm.*, ut communis theologorum fert sententia; ratio est, quia ibi potest esse missio unius ab alio, inter quos est prælatio; atqui inter Angelos, sive bonos, sive malos, est prælatio, ut constat ex Daniel. 10, ubi Michael dicitur *unus de principibus primis.* Et ex Job. 41, ubi *Leviathan* dicitur *Rex super universos filios superbiæ.* Ergo.

QUÆRES 3. *Utrum Angeli illuminent homines?*

RESP. *affirm.* Estque de fide : nam illuminare nihil aliud est, ex D. Thoma, quam veritatem aliquam revelare; atqui Angeli revelant hominibus plures veritates, ut constat ex Scriptura [4] : *Ait ad me* (Gabriel) : *Intellige, fili hominis.* Et [5] : *Docuit me* (Gabriel), *dixitque : Daniel, nunc egressus sum ut docerem te et intelligeres.* Et [6] : *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge... et fuge in Ægyptum... futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.*

[1] Exodi 33. — [2] Tob. 12. — [3] Luçæ 1.— [4] Daniel. 8. — [5] Cap. 9. — [6] Matth. 2.

QUÆRES 4. *An Angeli deputentur ad custodiam hominum?*

RESP. *affirm.* Est de fide. *Prob.* Ex Scriptura [1] : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te.* Et Apost. [2] ait : *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

Accedit unanimis consensus Patrum, dicentium cum Origene [3] : *Angeli tenent curam animarum nostrarum, et in eis ab infantia, tanquam tutoribus et curatoribus committuntur.*

QUÆRES 5. *An singuli fideles suum habeant Angelum custodem?*

RESP. *affirm.* Hocque ita certum est, contra Calvinum [4], ut quamvis oppositum non sit hæreticum, utpote nondum ab Ecclesia definitum, nihilominus est erroneum.

PROB. 1. *Ex Scriptura* [5] : *Videte, ne contemnetis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Ubi Christus; 1° non dicit *Angelus*, sed *Angeli*, significans non unum, sed plures præfici; 2° Non dicit simpliciter *Angeli*, sed *Angeli eorum*, id est Angeli cuilibet deputati... Hæc veritas ita primorum fidelium mentem pervaserat, ut [6] Petro e carcere educto et pulsante ostium domus Mariæ matris Joannis, fideles, qui ibi multi erant, dixerint : *Angelus ejus est.*

PROB. 2. *Ex Patribus Græcis et Latinis.*

Eusebius Cæsariensis [7] ait : *Angelum unicuique ad custodiam divinitus datum, nos ex Scriptura didicimus.*

S. Hieronym. [8] : *Magna dignitas animarum, ut unaquæque ab ortu nativitatis habeat in custodiam sui Angelum delegatum.* Et S. Anselmus [9] ait : *Unaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur.*

QUÆRES 6. *An quilibet homo, etiam reprobus et infidelis, suum habeat Angelum custodem?*

[1] Psalm. 90.— [2] Hæb. 1. — [3] Homil. 8, *th. Genes.* — [4] Lib. 2 *Inst.*, cap. 14. — [5] Matth. 18. — [6] Act. 12. — [7] Lib. 13 *de Præparatione evangelica*, cap. 7. — [8] In cap. 18 Matthæi. — [9] In elucidario.

Resp. *affirm.* Ut communiter docent Theologi : tum quia Patres citati, asserentes unicuique deputatum esse Angelum custodem, non distinguunt inter fideles, et infideles ac reprobos : *Putemus Angelos dici,* inquit D. Bern. [1], *qui singulis hominibus dati creduntur.* Tum quia Deus vult sincere omnium, etiam infidelium et reproborum salutem ; ergo neminem excludit a mediis salutis generalibus, inter quæ est Angelorum custodia.

Quæres 7. *Utrum singula regna habeant Angelos custodes?*

Resp. *affirm.* Id enim constat ex Scriptura, *Daniel* 10, ubi fit mentio Angeli, qui præerat regno Persarum, et alterius Angeli, qui præerat regno Græcorum : Princeps regni Græcorum sic Danielem allocutus est : *Princeps regni Persarum restitit mihi*, 21 *diebus*, *et ecce Michael*, *unus de Principibus primis, venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum.* Unde D. Basil. de Angelis agens, ait : *Alii ipsorum gentibus præpositi sunt, alii fidelium singulos consequuntur.*

Imo, communis est sententia Patrum, singulas diœceses, civitates, et communitates, suos habere Angelos tutelares. Ita censent Origenes, [2] Ambrosius [3], etc.

Quæres 8. *Quænam ministeria circa nos exercent Angeli custodes?*

Resp. 1. Homines a periculis et malis imminentibus liberant. *Genes.* 48, dicit Jacob : *Angelus qui eripuit me de cunctis malis.*

2. Impediunt ne Dæmones hominibus noceant. Tobiæ 8: *Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, et relegavit illud in deserto,* ne videlicet noceret Tobiæ.

3. Pias cogitationes suggerunt ad prosecutionem boni, et fugam mali. Hinc Deus Moysi de Angelo dixit, Exod. 13: *Observa eum et audi vocem ejus, nec contemnendum putes : quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo.*

[1] Lib. 6 *de Considerat.*, cap. 5.— [2] Homil. 20 *in Numer.*— [3] Lib. 2 in Luc.

4. Preces nostras Deo offerunt, suasque ipsi nostris conjungunt, ut declaratur Apocal. 8 : *Alius Angelus venit..... ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.*

5. Clientum suorum animas in Purgatorio consolantur, easque plene purgatas ad cœlum deducunt, ut colligitur ex Lucæ 16 : *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.*

QUÆRES 9. *Utrum sicut quilibet homo ad sui custodiam habet Angelum bonum, ita etiam ad pugnam habeat Angelum malum?*

RESP. 1. Certum est quod Dæmones hominibus semper nocere conentur, eos, Deo ita permittente, impugnando, et ad peccatum inducendo; quare Apost. *Ephes.* 6, dicit : *Nobis non est colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus Principes, et Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, id est in aere.

RESP. 2. Non est credendum, quod Deus cuilibet homini tentatorem mittat ad exercitium; quia hoc repugnat bonitati Dei, qui ut dicitur Jac. 1 : *Neminem tentat.*

RESP. 3. Valde probabile est Luciferum, qui propter superbiam et æmulationem opera Dei audet usurpare, cuilibet homini Dæmonem tentatorem deputasse, ut colligi posse videtur ex I Petri 5 : *Vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.*

* DISSERTATIO II.

De Mundo.

Nota. Ex antiquis, teste S. Epiphanio [1], negarunt mundum esse a Deo conditum, Gnostici; Manichæi, ex eodem Epiphanio [2], duos astruebant deos vel principia, unum bonum, qui esset auctor lucis, rerum spiritualium et incorruptibilium; alterum malum, qui esset auctor tenebrarum et rerum visibilium et corruptibilium. Ex recentioribus autem plures physicis, geologicis et astronomis, vel ex ignorantia, vel ex malitia, mundi constitutionem impugnarunt. Rationalistæ, quo brevius sese ab invisa veritate expedirent, in historiam creationis, ut alii in *purum idealismum*, alii in *purum materialismum*, alii in *purum phænomænismum* ruerent, inter fabulas amandarunt. Contra quos agemus tribus capitibus : 1° De mundi creatione; 2° De cosmogonia mosaica; 3° De chronologia mosaica generis humani.

* CAPUT I.

DE MUNDI CREATIONE EX NIHILO.

Nota 1. Hic nomine mundi intelligitur congeries entium finitorum et contingentium, seu rerum universalitatem quæ præter Deum existunt, sive spirituales, sive materiales, sive mixtæ. Cum vero jam dixerimus de substantiis mere spiritualibus, in prima conclusione, et de mixtis sive de homine tractaturi simus in tertia, dicemus hic de rebus mere corporeis.

Nota 2. Creationis vox potest sumi tripliciter : 1° *late,*

[1] *Hæresi* 25 et 26. — [2] *Hæresi* 22 et seqq. et ex S. August., *Hæresi* 44.

pro cujuslibet rei creatione, quo sensu sapientia dicitur ab initio creata [1]; 2° *æquivoce*, pro elevatione ad superiorem gradum, quo sensu quis dicitur creatus Episcopus; 3° *stricte*, pro productione totius entis ex nihilo; de hoc ultimo tantum hic agitur.

Nota 3. Propositio *ex* non importat hic ideam seu habitudinem *causalitatis affirmativæ*, quasi *nihilum* sit materia *ex qua* res producitur, uti cum dicitur gladius fit ex ferro; sed importat ideam *causæ* quæ negatur, seu non existentiæ, ita ut *ex nihilo* idem sit ac non *ex aliquo*. Itaque creatio est productio totius entis a causa universali.

CONCLUSIO.

Deus mundum in esse producit ex nihilo, hoc est in tempore et cum tempore creavit.

Est de fide, ut patet ex utroque *Symbolo Apostolorum et Nicæno*, quo profitemur credere *in unum Deum omnipotentem, creatorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium.* Item *ex Concil. Lateran. IV*, sub Innoc. III [2], ubi definitur: *Unum esse creatorem omnium..., qui simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam.*

Patet etiam *ex Sacris Scripturis;* Gen. 1 dicitur: *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Id est in principio temporis Deus res in esse produxit ex nihilo, quæ prius non erant; nam verbum *creare* idem est ac *ex nihilo producere.* Ex eadem Sacra Scriptura [3]: *Peto, nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, ut intelligas quia* EX NIHILO *fecit illa Deus et hominum genus.*

Probatur etiam *ex verbis Christi* suum Patrem alloquentis [4]: *Clarifica me, tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset.*

Probari etiam potest *ex SS. Patribus* quorum constans

[1] Eccles. 2.— [2] Cap. *Firmiter*, tit. *de Summa Trinitate.*— [3] 2 Machab. 7. — [4] Joann. 17, 5.

est hæc doctrina, nihil esse in natura quod a Deo non factum sit [1].

Prob. *Ratione*. Vel mundus est creatus, vel existit a se; atqui secundum repugnat.

Prob. min. Quod est a se, omnes necessario habet perfectiones, et est Deus; etenim, si limitaretur in suis perfectionibus, hoc esset vel ab alio, vel a se, sed non ab alio, quia a nullo dependet; non a se, quia ratio entis ac substantiæ et necessitatis existentiæ nullas excludere potest perfectiones; nullum enim ens inimicum sui est; ergo nullam in suis perfectionibus admittit limitem, ac proinde illud ens esset infinitum. Jam vero mundus est finitus et contingens; illud enim est finitum et contingens quod partibus finitis et contingentibus coalescit; atqui mundus coalescit partibus finitis, contingentibus et limitatis, quæ indigent ab alio determinari ad hanc vel illam perfectionem; sic materia cui motus non est essentialis præ quiete. Ergo mundus coalescens partibus finitis et contingentibus, *est* ipse finitus et contingens; ergo ab alio determinari debuit ad existentiam, ab eo nempe qui omnipotens et immobilis est omnia movens, scilicet Deus. Ergo, etc.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Verba Gen. 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, non sunt intelligenda de creatione proprie dicta, sed de formatione ex præjacente materia, siquidem verbum *creavit* vertitur per verbum *fecit* in græcum, et sic plures intelligunt interpretes. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Jam enim patet ex ipsa Scriptura in conclusione allata, quod verbum *creare* proprie *ex nihilo* producere significet; sic etiam græcos intelligere patet ex symbolo Constantinopolitano, ubi verbum *factorem* cœli et

[1] Conf. S. Cyrill., *contra Julian.*; S. Aug., *de Civit. Dei*, lib. 12; *de Trinit.*, lib. 3.

terræ pro verbo *creatorem* usurpatur; alii sic semper acceperunt SS. Patres.

Ad allatos interpretes, *dist.* Juxta interpretes Socinianos, suo proprio sensu innixos, *conc.*; juxta catholicos, *nego.* Omnes enim, ne uno quidem excepto, sic interpretantur.

Inst. Justinus, Origenes, Clem. Alexan., aliique Patres nullam agnoverunt creationem proprie dictam, sed materiam æternam professi sunt. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Patet enim ex illorum scriptis adversariorum calumnia; siquidem S. Justinus [1] : *Creator*, inquit, *nulla re alia indigens, sua virtute et potestate, id quod fit, efficit. Opifex vero accepta ex materia condendi facultate, opus suum construit.* Unde Platonem redarguit quod Deum non *creatorem*, sed *opificem* fecerit. Origenes vero, in *Gen.* 1, increpat et refellit eos qui materiam Deo coæternam dixerunt. Clemens Alex. [2] solam Dei voluntatem hujus orbis causam agnovit efficientem.

Objicies 2. Dogma creationis mundi est explorandum per humanam rationem; atqui rationi repugnat mundum initium habuisse. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* vel *Dist. maj.* Per humanam rationem, prælucente lumine fidei, *conc.* vel *transeat;* sibi solam derelictam, *nego.* Etenim non nisi ex revelatione dogma creationis novimus, ita ut omnes Philosophi, tum antiquiores, tum recentiores, qui, vel neglecta vel ignorata revelatione divina, in absurda prolapsi sunt systemata, et in suis ridiculis cogitationibus evanuerunt, nam alii *hylozoismum*, alii *autotheismum*, alii *pantheismum*, alii *manichæismum*, *emanatismum*, alii sive *transeuntem*, sive *permanentem*, docuerunt [3];

[1] *Exhort. ad Gentes.* — [2] In *Exhort. ad Gentes.*

[3] *Hylozoismus* docet materiam æternaliter existentem. *Emanationis* doctrina rerum omnium existentiam explicat per actionem Dei *immanentem*, et est duplex *emanatismus*, *permanens* scilicet et *transiens*. Primus est actio Dei ab intra, unde mundum facit Deum ipsum et convenit cum *Spinozismo;* secundus dicit materiam ab ipsa Dei substantia proma-

alii ex aqua, alii ex igne, alii ex alio mundum faciunt oriri elemento.

Dixi : *transeat*, quia ratio innixa et collustrata fide divina bene potest originem mundi confidenter investigari, prout faciunt omnes SS. Patres, interpretes et catholici Doctores, at Philosophi qui, fidem et traditionem abnegantes, de mundi origine discurrunt, non absimiles sunt illius, qui progenitores suos et conceptionis ac nativitatis suæ circumstantias, nemine narrante, vellet perpendere. Ergo, negata majore, pariter negatur minor, cum nulla contradictio inveniri possit fidem inter et rationem, ut probavimus in tract. *De Regulis fidei*.

Prob. min. Nempe creationem mundi *ex nihilo* contradictionem implicare. Nam fuit apud antiquos Philosophos vulgatum hoc axioma : *Ex nihilo nihil fit*. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant. Ex nihilo nihil fit*, si de productione effectuum particularium a causis particularibus agatur, *conc.;* sic opifex non facit gladium nisi prius exstet ferrum; si vero de productione ab universali principio, *nego*. Propterea in hoc turpiter errarunt gentiles Philosophi, quod, tractantes de creatione mundi in primo sensu, hoc axioma intellexerunt, quasi omnipotentia Dei non plus valeret efficere quam possunt opifices.

Inst. 1. Inter ens et nihilum est distantia infinita; atqui distantia infinita est impertransibilis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Inter ens et nihilum est distantia infinita, negative, *conc.;* positive, *nego*. Atqui distantia inter ens et nihilum non est sic infinita, ut sit aliquod medium quod debeat pertransiri ; sed sic tantum quod *non esse* simpliciter tendat *ad esse* simpliciter : atqui sicut virtute propria potest agens finitum transire a *non esse* secundum quid, id est *modificationis*, ad esse *modificationis ;* v. g., a non *esse* taliter affectus, ad *esse* taliter affectus, sic fieri po-

nasse, velut radii a sole, vel ex aranea telæ, vel ex bombice filamenta produci solent. De *pantheismo, manichæismo* diximus in tract. *de Deo*.

test virtute infinita, ut a non *esse* simpliciter fiat transitus ad *esse* simpliciter.

INST. 2. Quod fit, nondum factum est. Ergo *fieri* præcedit *factum esse*. Ergo debet assignari subjectum in quo sustentetur *ipsum fieri; subsumo* : atqui in eo quod creatur non potest assignari subjectum in quo sustentetur *fieri*, seu *creari*, cum sit ex nihilo; ergo nihil potest fieri ex nihilo.

RESP. *Dist. ant.* Quod fit actione successiva nondum factum est, *conc.;* actione instantanea, *nego*. Sic, v. g., dum aer illuminatur est illuminatus, dum verbum in corde formatur est formatum : atqui creatio est instantanea; sic cum aliquid creatur creatum est, et terminus creationis est res creata ipsa in creatione producta; unde nullus intermedius reperitur impetus physicus, qui subjecto indigeat quo recipiatur.

OBJICIES 3. Materia quæ a Deo creata supponitur, ante creationem vel fuisset in Deo, vel extra Deum; atqui neutrum dici potest: non fuit in Deo, qui totus spiritus est; non fuit extra Deum, alioquin fuisset antequam crearetur. Ergo.

RESP. *Dist. min.* Non fuit in Deo formaliter, *conc.;* non fuit in Deo virtualiter, *nego*. Deus enim, quatenus infinita pollet virtute, materiam quæ non nisi in possibilitate existebat, ad existentiam eduxit, quæ *virtualiter* tantum in ipso erat; sic in architecto *virtualiter*, non vero *formaliter* domus ædificanda existit.

INST. Cujus actio est æterna, effectus est æternus : atqui actio Dei est æterna, cum sit ejus substantia. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Cujus actio est æterna, est effectus æternus in agentibus necessariis, *conc.;* in agentibus liberis, *nego*. Atqui mundi creatio a Deo est veluti a causa libere agente, et quidem extra se : *Operatur enim omnia secundum consilium voluntatis suæ* [1]. Indesinenter errant adversarii, dum semper permiscent in Deo actiones quæ fiunt *ab intra*

[1] Ephes. 1.

cum iis quæ produnt *ab extra;* in prioribus Deus omnino necessarie agit, non in posterioribus. Aliunde, creatio mundi nonnisi improprie dicitur *effectus*, siquidem non exurgit ab eo tanquam ex causa, sicut effectus physicus sese evolvit a causa physica.

QUÆRES 1. *Utrum mundus potuerit esse ab æterno?*

RESP. 1. Si mundus consideretur ex parte principii et auctoris, potuit esse ab æterno, quia quo instanti Deus concipitur, eodem concipitur omnipotens.

RESP. 2. Si consideretur mundus ex parte sui, et ratione termini creationis, duplex est sententia. Prima *sententia* negat, quia creatio est actio, ac proinde dicit relationem agentis ad terminum; sed quantumcumque agens ex parte sui operari possit, nusquam tamen erit actio quandiu terminus non poterit produci; porro mundus ab æterno non potest produci. Ergo, etc. Hinc S. Damascenus, nec natura rei patitur quod ex non esse ad esse deducitur, æternum sit. Et alios Patres in suam sententiam adducunt [1].

Secunda *sententia* negat etiam, quantum ad res successivas, quia implicat posse dari motus successivus, vel tempus ab æterno quod esset infinitum actu; sed affirmat, quantum ad res permanentes, quia non repugnat neque ex parte Dei producentis, neque ex parte effectus producendi, neque ex parte ipsius actionis seu creationis, ut res permanentes participent ad *esse* de æternitate, non quidem *per essentiam* et ex omni parte indefectibili, quæ soli Deo competit, sed de æternitate *per participationem*, quæ a Deo creaturæ ex se defectibili communicari potest. 1° Non repugnat ex parte Dei, cum non sit minor Dei potentia ab æterno quam in tempore, nec minor cum libere agit quam si necessario ageret. 2° Neque ex parte effectus produ-

[1] S. Damascenus, lib. *de Fide*, cap. 8; S. Athanas., *Epist. ad Serapionem, de Spiritu Sancto;* S. Basilius, lib. 2 *contra Eunomium;* S. August., lib. *de Genes. ad litt.*, cap. 23; S. Ambrosius, in *Hexameron* præfatio.

cendi, quia creaturæ sunt possibiles ab æterno, nec incipiunt esse possibiles in tempore. Aliunde æternitas per participationem non ipsi repugnat, cum nihil aliud foret quam propria creaturæ duratio a parte ante. 3° Neque ex parte actionis ; etenim si foret repugnantia, oriretur, vel ex eo quod actio productiva non præcederet suum effectum, vel quia non salvaretur ratio transitus de *non esse* ad *esse*, vel quia non foret libera; atqui non *primum*, cum actio Dei sit instantanea; non *secundum*, propter eamdem rationem, aliunde non esset verus transitus, ut dictum est supra; non *tertium*, quia Dei determinatio, cum sit ipsa Dei essentia, non in tempore, sed ab æterno fit. Ergo nihil repugnat. Ad textus SS. Patrum respondent SS. Patres intelligendos esse de æternitate per essentiam, non per participationem. Unde argumentum contra Arianos, petitum ex æternitate Verbi, recte concludit ipsum non esse creaturam. Ita Billuart [1].

Quæres 2. *Utrum sit solius Dei creare?*

Resp. 1° Est de fide solum Deum de facto creasse universum. 2° Certum est sic solius Dei esse creare, ut nulla creatura possit esse causa principalis creandi, cum ad creandum requiratur virtus infinita. 3° Probabilius est creaturam non posse assumi ut causam etiam instrumentalem physicam creandi, quia de natura est physici instrumenti, ut physice attingat subjectum et in illud mecanice agat; si vero agitur de natura spirituali, requiritur ut illius volitio habeat proportionem cum effectu producendo, ita ut hujus volitionis virtus habeatur pars effectus productionis sub dependentia causæ principalis; atqui actio creaturæ non habet talem proportionem cum agitur de creatione ex nihilo [2], ubi requiritur virtus infinita. Ergo.

Quæres 3. *Utrum creare sit proprium alicui personæ divinæ.*

[1] *De Op. sex dierum*, diss. 1, art. 6. Ex S. Thom., p. 1, q. 46, art. 2, et q. 3, de potent., art. 148. — [2] S. Thom. ibid., art. 5.

Resp. *negative*. Sed creatio toti Trinitati communis est. 1° quia omne agens agit sui simile; atqui creare est producere *esse* rerum; ergo creare convenit Deo secundum suum *esse*, quod est tribus personis commune, cum *esse* sit Dei substantia; 2° quia opera *ad extra* sunt tribus personis communia; 3° quia potentia creans, sapientia seu intellectus per quem creatur, et affectio seu voluntas ex qua creatur, ad tres personas pertinent [1].

Attamen, quia commode potentia tribuitur Patri, sapientia Filio, amor Spiritui Sancto, ideo in sensu accommodatitio, Pater dicitur Creator, Filius per quem creatur, et Spiritus Sanctus ex quo creatur.

* CAPUT II.

DE COSMOGONIA MOSAICA.

Nota. Si religionis Christianæ hostes scientiis naturalibus non abuterentur in ipsius religionis perniciem, nihil scientiarum naturalium moveremus; ast increduli, tum ex physicis, tum ex geologicis, tum ex astronomicis argumenta congesserunt ad concutiendam Mosaicam cosmogoniam, aut saltem geogoniam. Nostrum tamen non est penetralia, ut dicunt, naturæ pervadere ad illos confutandos, nec id quidem necessarium est. Historiam habemus authenticam, qua antiquior et verior dari non potest; satis ergo faciemus muneri nostro, si illam contra adversarios tueamur, quod certe efficiemus aliquot animadversiones subministrando et illorum argumenta evertendo. Sit ergo

CONCLUSIO.

Admittenda est Mosaica cosmogonia ut sola et unice vera.

Prob. Illa cosmogonia est admittenda uti sola et unice

[1] S. Thom., p. 1, q. 4, art. 6.

vera, quæ neque ex physicis, nec ex geologicis, nec ex astronomicis observationibus, nec philosophicis rationibus infirmari non solum potest, sed ab his stabilitur; atqui talem esse cosmogoniam Mosaicam patebit ex objectionum solutione. Ergo, etc.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Constat ex physicis mundum antiquiorem esse quam a Moyse fingitur. Ergo. *Prob. ant.* Configuratio mundi effecta est per aquæ vel ignis actionem : atqui hujusmodi actio ad telluris interiorem constructionem et ad montium primitivorum, ut dicunt, formationem, longiorem periodum expostulat, quam quæ a Moyse supponitur. Ergo, etc.

RESP. *Dato, non concesso ant., nego conseq.* Moysis enim cosmogonia seu geogonia non assignat epocham qua mundus creatus est. Dixit enim [1] : *In principio Deus creavit cœlum et terram; terra autem erat inanis et vacua.* Fingant ergo periodum quantum voluerint longam, ad mundi configurationem, nihil veritati Mosaicæ geogoniæ obesse potest; chronologia vero Moysis proprie ab hominis creatione initium ducit.

Dixi : *Dato ant., non concesso;* nam illa varia et pene infinita excogitata systemata ad conformationem mundi explicandam sunt ipsis contradictoria, alia aliis absurdiora, legibus physicis contraria, et a recentioribus ac doctioribus physicis et geologis tanquam deliramenta habita et novis ac certissimis observationibus penitus eversa [2]. Hinc Cl. Dumerron ait : *Le temps, qui fait justice de tout ce qui n'est pas vérité, appesantit ses mains de fer sur ces ingénieuses et brillantes cosmogonies.* At vero, si in suis systematibus aliquid conforme rationi et certis physicæ legibus invenitur, id clare patet mosaicæ geogoniæ nullo modo repugnare.

[1] Genes. 1. — [2] Vid. Bergier, *Dict. theol.* verbo *Monde;* Waterius, Kirvan, Pollam, Pinius, Cuvier, de Luc, etc.

INST. 1. Geologi probant ex maris situs mutatione, ex *volcanorum* vetustorum pervetusta antiquitate, ex fossiliis in visceribus terræ delitescentibus, et ex aliis ejusmodi non paucis phænomenis et observationibus mundum esse multo antiquiorem quam fert Mosaica narratio. Ergo.

RESP. *Dato* iterum *antecedente, non* tamen *concesso, negatur conseq.* Adversarii enim permiscere solent cosmogoniam seu geogoniam mundi cum ejus propria chronologia; stricte tamen loquendo, illa sunt omnino distincta; cosmogonia enim seu geogonia tractat de creatione et conformatione orbis terrarum et cœli, vel etiam, si placet, de animantium productione; at vero chronologia Mosaica proprie ab hominis creatione initium ducit, ut supra notavimus, siquidem Moyses Adæ cæterorumque Patriarcharum annos solum enumerat, unde deducitur ætas generis humani. Quandonam vero Deus *ex nihilo* materiam eduxerit, quandonam formam quam aspicimus ipsi indiderit, nec Sacra Scriptura, nec Ecclesia docet; unde peregrinantur a quæstione quotquot a cosmogonia mundi contra Mosaicam narrationem emendicant argumenta.

Dixi : *Dato, non concesso;* nam de geologicorum sicut de physicorum systematibus pronuntiandum; plurima sunt præconcepta, falsis principiis innixa, gratis asserta, deductiones illegitimæ et observationes omnino imperfectæ; unde concludit R. P. Perronne : *Omnia pene obsolevisse systemata illa geologica quæ ad hæc ferme tempora invecta sunt, uti contraria Mosaicæ cosmogoniæ;* eorumque inventores veluti somniatores a recentioribus, tum physicis tum geologis scientia conspicuis, habentur [1]; imo constat experientia quo majorem scientiam attingere perfectionem, eo Mosaicæ cosmogoniæ sicut chronologiæ magis inservire. Sic alii novitatem mundi per montium depressionem, alii universale diluvium per fossilia, etc., alii biblicam chro-

[1] Cf. P. Perron., tract. *de Deo creat.*, cap. 11.

nologiam, unitatem stirpis generis humani, etc., etc., nervosis argumentis et certis observationibus vel inviti probarunt [1].

INST. 3. Astronomi detexerunt motum eclipticæ *progressivum;* quo posito, plures myriades annorum supponi debent mundi existentiæ; item phænomenis processionis æquinoctiorum et mutationis axis terræ, lunæ et planetarum; ex quibus concludendum est universum orbem longe antiquiorem esse quam fingit Moyses. Ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Nunc enim compertum est motum eclipticæ non esse *progressivum*, sed *oscillatorium*, nec soli terræ illum competere, ut probant doctiores astronomi; quo posito, dicunt, omnes incredulorum difficultates evanescunt [2]

OBJICIES 2. Mundum intra sex dies creatum testatur Moses; atqui impossibile est in hac hypothesi omnia phænomena telluris explicare. Ergo.

RESP. 1. *Nego min.* Deus enim omnipotens, qui mundum *ex nihilo* creavit uno verbo, potuit utique tellurem brevi

[1] « En examinant, dit Cuvier, ce qui s'est passé à la surface du globe depuis qu'elle a été mise à sec pour la dernière fois, et que les continents ont pris leur forme actuelle, au moins dans leurs parties un peu élevées, l'on voit clairement que cette dernière révolution, et par conséquent l'établissement de nos sociétés actuelles, ne peuvent pas être très-anciens. C'est un des résultats les mieux prouvés et les moins attendus de la saine géologie, résultat d'autant plus précieux qu'il lie d'une chaîne non interrompue l'histoire naturelle et l'histoire civile. Partout la nature tient le même langage; partout elle nous dit que l'ordre actuel des choses ne remonte pas très-haut; et, ce qui est bien remarquable, partout l'homme nous parle comme la nature, soit que nous consultions les vraies conditions des peuples, soit que nous examinions leur état moral et politique, etc . . . . . .
. . . . . « S'il y a quelque chose de constant en géologie, c'est que la surface de notre globe a été victime d'une grande et subite révolution, dont la date ne peut remonter beaucoup au-delà de cinq ou six mille ans. » (Cuvier, *Discours prélim.* de son ouvrage sur les fossiles). Conf. P. Perronne, qui citat plurimos; Bergier, *Dict. théol.*, verbum *Monde*.

[2] Voyez Euler, La Place et autres, cités par le R. P. Perronne, *de Mosaica cosmog.*, cap. 2.

momento formare cum omnibus phœnomenis quæ nunc conspiciuntur.

Resp. 2. Neque Patres, neque interpretes sacri, neque Theologi consentientes sunt circa dierum naturam de quibus scribit Moyses [1]. Alii enim cum S. Augustino [2] eos accipiunt figurate seu *allegorice* secundum divinas cognitiones Angelorum. Dicunt enim Deum mundum uno die, imo uno instanti creasse; tunc dividit omnes res creatas in sex genera, quorum cognitionem dedit menti Angelicæ [3]. Alii sex illos dies reales viginti quatuor horarum esse dicunt. Hæc sententia communior ac verior videtur. Ratio, quia Sacra Scriptura debet intelligi in sensu litterali et proprio, si inde non sequatur absurdum. Præterea Moyses contexuit historiam creationis mundi principaliter pro populo judaico; verisimile est ergo illum modo ordinario fuisse locutum. Ast si non placent hæc, en tertia sententia quorumdam, maxime recentiorum, qui putant duplicem in Mosaica geogonia epocham distinguendam : alteram quæ tribus prioribus versiculis concluditur, usque ad lucis creationem; alteram vero quæ a lucis formatione incipitur et protrahitur ad finem narrationis. Jam vero in illa sententia prior epocha indeterminata est, ac tempus indefinitum complectitur, per quod omnes difficultates, si quæ sint, in explicandis phænomenis tolluntur.

Objicies 3. Illa cosmogonia non est fide digna, quæ mythis priscarum gentium simillima antiquissimis traditionibus videtur esse conflata; atqui Mosaica cosmogonia mythis priscarum gentium simillima ex antiquissimis traditionibus videtur conflata. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Ipsi enim præsto erat domestica Patriar-

[1] Genes. 1. — [2] In lib. *de Genes. ad litteram.*

[3] Angelus autem cognovit primum genus rerum in semetipsis, et vocat S. Augustin. hanc cognitionem vespertinam; deinde cognovit in Verbo, et hanc cognitionem vocat matutinam, utpote altera clariorem. Sic factum est vespere et mane dies unus; et sic de cæteris.

charum traditio; nam inter Amramum, patrem Moysis, et Adamum non fuerunt nisi quinque generationes. Moysis pater diu cum avo suo Levi conversatus est; hic vero cum Isaac; Isaac autem Sem, filium Noe, viderat; Noe Mathusalem per sexentos annos; Mathusalem ducentis annis Adami comes et conviva fuit. Præterea non defuerunt ipsi sincera documenta publica quibus tute servabatur traditio, v. g., usus canticorum, etc.

At cosmogoniæ antiquarum gentium fabulis et amplificationibus refertæ, post plura a Moysis ætate sæcula a Phœnicis et Græcis editæ sunt. Ergo ab illis Moyses non mutuatus est suam cosmogoniam.

Inst. 1. More antiquorum legislatorum, duplicem Moyses sibi proposuit finem, nempe : 1° unius Dei notionem tradere veluti religionis et politici regiminis fundamentum; 2° constituere diem sabbati in Dei honorem; ergo Moysis cosmogonia nulla est fide digna.

Resp. 1. *Dist. ant.* Sibi duplicem proposuit finem præstituto fundamento historico ac reali, *conc.;* hoc non supposito, *nego*. Mirum id genus argumentandi, quasi alicujus legislationis fundamenta jaci non possint, nisi in commentis historicis! Aliunde dato antecedente, duplex ille finis legislatoris esset dignus; intrinsecus enim esset atque ex ipsa rei natura profluens; ergo maxime deberet inniti in historica rei veritate.

Resp. 2. *Neg. ant.* Absurdum est enim fingere hanc historicam narrationem ad duplicem hunc finem obtinendum, nec unquam adversarii poterunt probare hujusmodi absurditatis Moysem fuisse reum, nisi prius ostendant gentem judaicam desipuisse.

Objicies 4. Moysis cosmogonia infantiam redolet physicæ scientiæ et astronomiæ, nec cum novis observationibus componi potest. Ergo, etc.

Resp. *Dist. quoad primam partem antecedentis;* id est, Moyses non tractat modo scientifico de physica et astro-

nomia, *conc.;* non satisfacit scopo sibi intento, *nego*. Scopus Moysis fuit simpliciter, sed veraciter, mundi creationis texere historiam, et hunc obtinuit, quod nobis sufficit. *Ad secundam partem antecedentis, nego;* ex dictis et experientia patet quod quo major scientia profana progreditur, eo conformior cum Mosaica cosmogonia inveniatur, et ideo nonnisi cum semiscientia, quæ pejor est ignorantia, repugnare videtur.

* CAPUT III.

DE CHRONOLOGIA MOSAICA, QUATENUS SPECTAT AD GENUS HOMINUM.

Nota. Chronologia est scientia temporum et seriei factorum historicorum ordinatio. Diximus supra Mosaicam chronologiam proprie initium a creatione hominis capere. Quandonam vero mundus creatus, aut quomodo conformatus fuerit, plures sunt sententiæ, ut notatum est, quarum unam aut aliam cuique licebit amplecti, quin fides aliquid detrimenti patiatur, modo firmiter credat a Deo mundum creatum *ex nihilo*, et habuisse *esse* post non *esse*. At non ita de Mosaica chronologia qua generis humani initium assignatur, anni Adami cæterorumque Patriarcharum numerantur, et facta, quæ veritatem divinæ revelationis comprobant, ordinantur, etc. Et ideo nihil non moverunt increduli ad arguendum falsitatis Mosaicam historiam. Ast quam infelici conatu, patebit ex conclusione sequenti.

CONCLUSIO.

Mosaica chronologia, quantum spectat ad genus humanum, falsitatis argui non potest.

Prob. Quæ contra Mosaicæ chronologiæ veritatem objiciuntur, hæc sunt :

1. Differentia quæ exstat inter hebraicam veritatem et

latinam Pentateuchi versionem, et textum Samaritanum, necnon Doctorum opinionem diversitas [1]. Ast nihil est in tanta diversitate quod nos conturbare debeat aut Mosaicam chronologiam infirmare possit, si ad monita sequentia attendimus. 1° Certum est Moysen unicam chronologiam confecisse, illamque ut certe veram omnes chonologicos et amanuenses, tum Judæos tum Christianos, semper habuisse et huic se conformare voluisse. Si igitur codex Mosaicus exstaret, omnes evanescerent difficultates, omnes corrigerentur errores. 2° Mendæ igitur in computo oriuntur, vel ex incuria aut lapsu amanuensium, vel ex eo quod chronologici alii aliter annos Mosaicos computarunt, alii longiores, alii breviores, relative ad nostrum computandi modum, existimarunt. 3° Chronologiarum veritas non tam repetenda est ex fidelitate in annis, mensibus et diebus computandis, quam ex eo quod facta omnia historica, præcipue quæ magni sunt momenti probe coordinentur, suo tempore late sumpto, assignentur, et cum aliis factis publicis ac monumentis, necnon observationibus scientificis coaptentur; alias nulla pene esset chronologia quæ falsitatis nota non inureretur, nulla natio cujus historia pro authentica habenda esset; atqui omnes chronologiæ sacræ, quamvis diversæ in annorum calculo, eadem tamen

[1] Juxta hebraicam versionem, 6000 circiter anni ab Adami creatione ad nos usque effluxissent; 7000 vero et amplius, juxta græcam seu LXX versionem. Codex vero Samaritanus mediam epocham indicat; textus hebraicus a creatione mundi ad diluvium enumerat ann. 1656. Versio Septuag., ann. 2242: a diluvio ad vocationem Abrahæ; text. hebr. habet ann. 369; juxta Septuag. ann. 1143. Codex autem Samar. a creatione mundi ad diluvium ann. 1307; a diluvio ad vocat. Abraham ann. 1017 duntaxat numerat. Inter doctores eadem est diversitas. P. Tournemine inter Adamum et Jesum Christum ann. 4891 circiter enumerat; Euseb., 5199; Beda et Martyrologium rom., et Ecclesia Alexandr., 5504; Theophilus Antioch., 5508; Ecclesia Constantinopol., 5510; Lactantius, 5800; P. Perron., 5972; S. Cyprianus et Vossius, 6000, etc., et licet, salva fide, tam unum quam alium ponere numerum.

facta, præcipue duo eminentiora, creationem scilicet hominis et diluvium referunt, easdem generationes componunt, et coordinant; juxta hebraicam veritatem. Ergo, etc.

2. Opponuntur Manetho, qui in sua Ægyptiorum historia varias hujus populi dynastias enumerat, quæ annos 53,535 conficiunt; Charemon, Lymachus, apud Josephum; Berosus, qui refert Chaldæos 48,000 annorum astronomicas observationes habere; item duo zodiaci, quorum unus in templo *Denderah*, alter vero in *Henne*, civitatibus Ægyptiacis, tempore Francorum sub Napoleone invasione repertis, ex quorum primo 4320 annis antiquior esset mundus quam ex Mosaica chronologia colligitur; ex posteriore, concludi tur nationem Ægyptiacam multis sæculis ante diluvium Noechicum præcessisse.

Verum citatis profanorum auctorum annalibus longe anteponenda est Moysis auctoritas: 1° quia secum non consentiunt, nec forte duo sunt qui consentanea referant, ubi de rebus antiquissimis desserunt; 2° quia, fatentibus vulgo eruditis, apud auctores profanos ante bellum Trojanum, quod diu post Moysen exstitit, nihil certi reperitur; 3° quia scriptores præfati multa improbabilia, imo absurda referunt. Adde Manethonem, juxta multos eruditos, cum Moyse conciliari posse, dicendo plures reges in Ægypto simul regnasse, vel annos Ægyptiorum nostris fuisse multo breviores. Aliunde, omnes aliæ nationes, teste Strabone, Ægyptiorum vanitatem et ignorantiam in derisum vertebant, nec ullus Judæorum adversarius Manethonis auctoritatem ausus est in medium proferre contra Judæorum chronologiam. Berosus procul dubio aberravit, cum observationes astronomicas tantæ antiquitatis Chaldæis assignavit. Calisthenes enim, qui diu ante Berosum vixit, nempe Aristotelis temporibus, quippe sub Alexandro observationes a Chaldæis factas magnis curis inquisivit, turre Babylonica antiquiores non invenit. Quoad zodiacos præfatos, fatentur nunc docti, nulla in ipsis reperiri remotæ antiquitatis ves-

tigia, et ad tempora quibus Romani Ægypto imperabant, ipsorum constructionem revocandam esse. [1]

3° Objiciuntur Sinenses, quorum antiquitatem ex suis et annalibus, observationibus astronomicis constat multis sæculis excedere chronologiam Mosaicam; sed nunc extra dubium positum est initia Sinensium, sicut omnium fere populorum, esse fabulosa, eorumque primam dynastiam certam non excedere tempora filiorum vel nepotum Noe [2]. Astronomus autem Delambre evincit longe probabilius esse Sinenses mutuatos esse suam doctrinam astronomicam ab Indis primo, deinde vero a Mahumetanis; aliunde Sinenses adhuc in infantia scientiæ astronomicæ versantur, nec nisi elementares aliquot atque imperfectas et absurdis refertas illius notiones habent, quæ scientiæ nomen prorsus mereri non possunt.

4. Proferuntur tandem Indorum observationes astronomicæ, quæ jacent in commentariis vulgo dictis *Vedas*, *Vedam*, *Schastur*, *Schaster*, *Schastram*, *Puranams*, sanscrita lingua compositis, ex quibus constaret Brahamo Indorum legislatorem quatuor libros *Vedams* scripsisse a 4888 an. et amplius, id est an. 600 circiter ante diluvium. Ast eruditi et recenter sodales Anglorum societatis *Calcuttæ* demonstrarunt eos non excedere ultra Sinensium et Ægyptiorum monumenta. Ezour-Vedæ et Bagavadam, codices quibus tanta antiquitas et auctoritas tribuebatur, libros spurios esse nuper critici probarunt. [3]

Ergo nihil solidum, nihil validum adversus Mosaicam chronologiam objici potest; ergo chronologia Mosaica, qua-

[1] Conf. La Place, *Expos. du système du monde*, liv. 5, ch. 1, et Cuvier, *Discours sur les révolut. du globe*, passim.

[2] Conf. D. Dorigny, *Chonologie du grand empire des Egyptiens*. Item, D. Fréret, *Examen de la thèse de l'abbé de Prades;* item, D. Guignes, *Mémoires de l'Académie*, tom. 65, in 12, p. 305.

[3] Conf. Laplace, *Système du monde;* Bergier, *Dict. théol.*, ad verbum *Inde*, *Indiens*.

tenus spectat ad genus humanum, falsitatis argui non potest. *

DISSERTATIO III.

De homine.

Nota. Moyses [1] narrat creationem hujus mundi aspectabilis sex diebus perfectam fuisse, refertque quid singulis diebus productum fuerit; ad quem remittimus eos qui ordinem creationis voluerint scire, ut de solo homine, qui, tanquam opus Dei præstantissimum, ultimo loco formatus est, disseramus; agemusque: 1° De ejus creatione; 2° De dotibus quas accepit a suo auctore; 3° De ejus peccato; 4° De futura ejus vita; 5° De futura corporum resurrectione; 6° De purgatorio; 7° De inferno; 8° De judicio extremo.

CAPUT I.

DE PRIMI HOMINIS CREATIONE.

QUÆRES 1. *Quinam fuerunt primus homo, et prima mulier?*

RESP. *Fuerunt Adamus et Eva.* Est de fide contra Præadamitas.

PROB. Quia, *Genes.* 2, ubi fit recapitulatio creationis cœli et terræ, dicitur: *Homo non erat, qui operaretur terram;* et statim sequitur: *Formavit igitur Dominus Deus hominem,* etc. Eod. cap. dicitur: *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus.* Atqui, si fuissent Præadamitæ, inventi fuissent viri ac mulieres sibi in natura similes, nec Eva potuisset dici *mater cunctorum viventium,* Genes. 3, nam Præadamitæ fuissent viventes. Ergo.

[1] Genes. 1.

QUÆRES 2. *Ubinam fuerunt conditi Adamus et Eva?*

RESP. Adamus et Eva extra paradisum voluptatis conditi sunt, in quem paulo post translati fuere.

PROB. *Ex Genes.* 2, ubi dicitur : *Tulit ergo Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum,* id est, ut docet Div. August. [1] : *Ut operaretur per agriculturam, non laboriosam, sed deliciosam..... custodiret autem eumdem paradisum ipse sibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli.* Illud autem intelligitur de Adamo et Eva.

DICES : Eva formata est in paradiso. Ergo.

Prob. ant. Juxta narrationem Moysis, Deus, postquam posuit hominem in paradiso, formavit mulierem ex costa Adami. Ergo.

RESP. *Nego ant.* Equidem productio Evæ narratur postquam narrata est translatio hominis in paradisum; verumtamen, juxta ordinem productionis rerum, prius formata est Eva quam homo in paradiso poneretur : hoc patet tum ex hoc cap. 2 *Gen.*, ubi per vocem *hominem* intelligit Adamum et Evam; nam sic habet textus : *Tulit ergo Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis... præcepitque ei dicens : Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem boni et mali ne comedas,* etc. Ergo tum hominem posuit in paradiso, cum præcepit; atqui præcepit Adamo et Evæ, nam Eva serpenti interroganti respondit : *De fructu vero ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Præterea, *Gen.* 1, dicitur : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos.* Ergo per ly *hominem*, intelligit utrumque sexum, quem comprehendit vox, *homo.*

QUÆRES 3. *In quanta magnitudine et qua ætate fuerit productus Adam?*

RESP. *Ad primum*, in ea magnitudine quæ convenit viro perfecto, puta sex pedum circiter; *ad secundum*, fuisse

[1] Lib. 8 *de Genesi ad litteram*, cap. 10.

productum ætate florentissima, ad operationes tam corporis quam mentis idonea, quæ est triginta aut triginta quinque annorum; quia fuit homo opus Dei perfectum, juxta suum genus.

QUÆRES 4. *Utrum paradisus sit locus corporeus?*

RESP. Sententia affirmans est certa et communis inter Patres et Theologos. Hinc S. Hieronymus [1] arguit Origenem quod: *Sic paradisum allegorizet, et historiæ auferat veritatem, pro arboribus angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligens, totamque paradisi continentiam tropologica interpretatione subvertat.* [2]

QUÆRES 5. *Quomodo Adam et Eva fuerint producti?*

RESP. 1. Adam *ex limo terræ* formatus fuit a Deo, qui *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, id est, animam, ita refertur. [3] Per hoc significatur discrimen inter corpus et animam, quod illud ex præsupposito subjecto, limo nimirum, productum sit, anima e contra ex nihilo creata sit.

RESP. 2. Corpus Evæ fuit formatum ex costa Adami, quam Deus extraxit, et spatium quod occupabat, replevit carne. [4]

QUÆRES 6. *Quare Deus fecit mulierem ex viri costa?*

RESP. Propter varias rationes: 1° ut vir magis diligat uxorem, et sint *duo in carne una*, ut exprimit Scriptura; 2° ut appareat qualis esse debeat societas inter virum et uxorem; mulier enim non est facta ex capite, ne domine-

[1] Epist. 74 ad Pammachium.

[2] * Paradisus græce, latine *hortus*, non tantum corporeus, sed et locus particularis, fuit conveniens, juxta S. Thomassus, q. 102, art. 2, habitationi hominum secundum primæ immortalitatis statum communem omnibus posteris Adæ. Unde si Adam non peccasset, omnes ejus filii, aut in paradiso continerentur, aut tota terra fuisset ad instar paradisi, et lignum vitæ fuisset multiplicatum in diversis regionibus terræ, vel ex virtute supernaturali animæ indita, super corpus provisum fuisset immortalitati hominum, saltem eorum qui, si potuissent aliunde peccare, non tamen peccassent, nec immortalitatem amisissent. *Ita communiter.* *

[3] Genes. 1. — [4] Genes. 1.

tur; non ex pedibus, ne serviat, sed ex costa, ut vitæ socia sit; 3. ut adumbretur sacramentum Ecclesiæ, quæ de latere Christi secundi Adami in cruce dormientis formata est, ut tradit D. August., tract. 9 in Joann.: *Dormit Adam*, inquit, *ut fiat Eva; moritur Christus, ut fiat Ecclesia; dormienti Adæ fit Eva de latere, mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta quibus formetur Ecclesia.*

QUÆRES 7. *Quare Scriptura dicit mulierem esse datam viro in adjutorium?*

RESP. Hoc dicitur, eo quod data sit ad filiorum generationem: *Ad quod aliud adjutorium mulier facta sit viro*, inquit D. Aug. [1]: *si generandi causa subtrahatur?* Ex quo sequitur naturam humanam in statu innocentiæ propagaturam fuisse ex conjunctione maris et feminæ, quibus Deus dixit, non secus ac aliis animantibus, *crescite et multiplicamini.*

QUÆRES 8. *In quo consistit imago et similitudo Dei, ad quam homo factus est?*

RESP. In eo consistit quod homo intellectu, voluntate libera, et dominio in alias creaturas sit præditus, ut docet D. Aug. [2] Ratio est quia homo, pro modulo suo, per illas facultates imitatur suum exemplar, nempe: per intellectum efformat verbum, in quo ipsi repræsentantur omnia quæ sub ejus notitiam cadunt; per voluntatem liberam, non solum producit amorem eorum omnium quæ intellectus amanda proponit, sed etiam actuum suorum est dominus, atque præest cunctis animantibus: unde, postquam dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, addit, *et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, etc.*

QUÆRES 9. *In quo statu primus homo fuerit creatus?*

Nota ante responsionem. Status naturæ est *certa conditio, qua, juxta legem divinæ providentiæ, tota natura humana certo modo se habet in ordine ad suum finem ultimum.* Sextuplex potest distingui status naturæ, quorum tres reales, scilicet

[1] Lib. 6 *de Genes. ad litteram*, cap. 7. — [2] Tract. 8 in Epist. primam Joannis.

status *naturæ innocentis*, status *naturæ lapsæ*, et status *naturæ per Christum reparatæ*. Et tres possibiles, nempe status *naturæ puræ*; status *naturæ integræ*; et status *naturæ lapsæ non reparatæ*.

Status naturæ innocentis est *conditio naturæ humanæ in justitia originali creatæ*.

Status naturæ lapsæ est *conditio naturæ humanæ justitia originali privatæ*. In hoc statu sunt omnes posteri Adami ante Baptismum.

Status naturæ reparatæ est *conditio naturæ humanæ in justitia per Christum restitutæ*. In hoc statu sunt omnes posteri Adami post Baptimum.

Status naturæ puræ est *conditio naturæ humanæ consideratæ in meris suis perfectionibus naturalibus, absque gratia et peccato, obnoxiæ tamen iisdem, quibus nunc premitur, infirmitatibus*, nimirum fami, siti, ægritudini, morti et concupiscentiæ. Utrum hic status fuerit possibilis, videbimus infra.

Status naturæ integræ est *conditio naturæ, in qua homo, nec gratia supernaturali præditus, nec peccato infectus, nullam appetitus sensitivi adversus rationem experiretur rebellionem*. Licet hic status non exstiterit, tamen reduci potest ad statum naturæ puræ, quatenus homo esset absque gratia et peccato; et ad statum innocentiæ, quatenus rebellionem appetitus sensitivi non experiretur.

Status naturæ lapsæ non reparatæ est *conditio naturæ, in qua fuisset homo post peccatum, si Deus eum per suam infinitam misericordiam non redemisset*. De hujus status possibilitate nullum unquam fuit dubium. His notatis,

Resp. Primus homo fuit creatus in statu justitiæ originalis.

Prob. Quia, Eccl. 7 : *Deus fecit hominem rectum;* atqui illa rectitudo est justitia originalis, qua anima hominis erat perfecte subdita Deo, et appetitus sensitivus perfecte subditus animæ, et ipsum corpus erat immortale et incorrup-

tibile, quæ sunt totidem effectus justitiæ originalis, et hominis innocentis dotes. De quibus

CAPUT II.

DE DOTIBUS QUAS HOMO INNOCENS ACCEPIT A SUO AUCTORE.

Nota. Illæ dotes sunt: gratia sanctificans, subjectio partis inferioris ad superiorem, immortalitas, et immunitas a miseria; de quibus quæritur : 1° An homo innocens illas acceperit in sui creatione? 2° An justitia originalis et illæ dotes homini innocenti naturales fuerint, vel supernaturales?

QUÆSTIO I.

AN HOMO IN SUA CREATIONE GRATIAM SANCTIFICANTEM ET DICTAS ALIAS DOTES A DEO ACCEPERIT?

CONCLUSIO I.

Homo, in suo ortu, accepit a Deo gratiam sanctificantem.

PROB. 1. *Ex Scripturis* [1] : *Deus creavit de terra hominem... et secundum se vestivit illum virtute.* Atqui per hunc textum SS. Patres et interpretes intelligunt gratiam sanctificantem quam Adamus accepit in sua creatione. Ergo, etc. Unde Apostolus exhortans ad recuperationem gratiæ sanctificantis per peccatum amissæ, dicit [2] : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.*

PROB. 2. Ex D. Aug. [3] : *Fecit Deus,* inquit, *sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ; non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem : bona igitur voluntas, opus est Dei.* Atqui Divus Augustin. per bonam voluntatem intelligit gratiam sanctificantem : *Quasi vero,* inquit, [4] *aliud*

[1] Eccl. 17.— [2] Ephes. 4. — [3] Lib. 4 *de Civit. Dei*, cap. 11.— [4] Lib. *de Grat.*, cap. 24.

sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, et a Patre datam, ut filii ejus essemus. Ergo, etc. Sed

QUÆRES : *An sit de fide primum hominem, in primo instanti suæ creationis, gratiam habuisse sanctificantem?*

RESP. *negative.* Quia nec satis expresse in Scripturis continetur, nec definitum reperitur : porro ut aliquid, quod explicite non continetur in Scripturis, sit de fide catholica, requiritur definitio Ecclesiæ.

DICES : Hanc veritatem Concil. Trid. definivit : *Si quis,* inquit [1], *non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse,* etc., *anathema sit.* Ergo.

RESP. *Nego ant.* Aliud est enim in sanctitate constitutum fuisse, aliud in ea creatum esse; nam et in paradiso constitutus, id est positus fuit Adam, quamvis in eo creatus non fuerit.

CONCLUSIO II.

Homo, in suo ortu, tantam accepit a Deo scientiam, ut non potuerit esse errori obnoxius.

PROB. *Ex Scriptur.* Eccl. 17 : *Deus... disciplina intellectus replevit illos; creavit illis scientiam Spiritus, sensu implevit cor illorum.* Unde D. August. [2] ait : *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Ergo.

DICES : Eva, adhuc innocens, decepta fuit a serpente, ut ipsa testatur, Gen. 3 : *Serpens decepit me, et comedi.* Ergo homo innocens errare potuit.

RESP. *Nego ant.* Non enim Eva innocens erat quando fuit decepta; nam, licet peccatum nondum opere compleverat, tamen corde, per internam nimirum elationem, jam illud

[1] Sess. 6 *de Peccato originali*, can. 10. — [2] Lib. 3 *de lib. arbitr.*, cap. 18.

patraverat. *Nec arbitrandum est,* inquit D. Augustinus [1], *quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elevatio comprimenda.*

INST. Adamus ipse de fructu vetito comedit, ut æqualitatem cum Deo, a serpente promissam, consequeretur; ergo fuit seductus.

RESP. *Nego ant.* Nam ideo tantum comedit fructum vetitum, ne contristaret uxorem ad hanc comestionem eum invitantem, ut docet D. Augustinus [2], dicens : *Non enim frustra dixit Apostolus :* Adam non est seductus, mulier autem seducta est [3], *nisi quia illa, quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit; ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati, ideo minus reus, sed sciens prudensque peccavit.*

CONCLUSIO III.

Appetitus sensitivus in Adamo innocente ita perfectæ rationi erat subditus, ut nullis inordinatis concupiscentiæ motibus fuerit obnoxius. Est de fide.

PROB. Ex Eccl. 17, *Deus fecit hominem rectum;* atqui non fuisset rectus, si ordinatis concupiscentiæ motibus fuisset obnoxius. Ergo, etc. Hinc Concilium Trident. [4] definit concupiscentiam ideo ab Apostolo peccatum dici, *quia ex peccato est et ad peccatum inclinat.*

PROB. 2. Tunc primum in Adamo et Eva exorta est concupiscentia, quando de sua nuditate erubuerunt; atqui solum post peccatum de sua nuditate erubuerunt; nam, ut ait Divus Augustinus : *Ante peccatum erat uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant.* Post peccatum vero, *aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos,* etc. Quem locum exponens Div. August. [5], ait :

[1] Lib. 11 *de Genes. ad litteram,* cap. 5. — [2] Lib. 14 *de Civit. Dei,* cap. 11. — [3] 1 ad Timoth. 2. — [4] Sess. 5, can. 5. — [5] Lib. 11 *de Genes. ad litteram,* cap. 1.

Verum est, omnino nuda erant corpora duorum hominum in paradiso conversantium, nec pudebat eos : quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ, quæ illos pœna peccati post perpetrationem prævaricationis secuta est... justitia puniente commissum. Ergo.

CONCLUSIO IV.

Homo innocens fuit conditus immortalis et ab omni miseria liber.
Est de fide contra Pelagium.

PROB. PRIMA PARS. 1. *Ex Script.* [1] : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors.* Ergo ante peccatum, corpus hominis non erat morti obnoxium, quæ dicitur [2] *stipendium peccati.*

Sap. 2, dicitur : *Deus mortem non fecit ; invidia autem Diaboli mors intravit in mundum.* Atqui si corpus hominis innocentis mortale fuisset, Deus ipse fecisset mortem quam in mundum invenisset, plasmando corpus quod esset morti obnoxium. Ergo.

PROB. 2. *Ex Synodo Palæstina,* quæ hanc Pelagii propositionem damnavit ut hæreticam : *Adam mortalis factus est, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* Et Concil. Trid. sess. 5, can. 1, definit : *Si quis non confitetur primum hominem Adam... incurrisse, per offensam prævaricationis hujusmodi, iram atque indignationem Dei, atque adeo mortem, quam antea illi comminatus fuerat, anathema sit.*

Respondent Pelagiani textus Scripturæ, qui homini peccanti mortem comminantur, intelligendos esse de morte animæ, non vero corporis. Ergo, etc. Sed

Contra est : Illi textus intelligendi sunt de morte quam Deus homini minatus fuerat; atqui mortem corporis comminatus est, ut constat ex his verbis [3] : *Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes .... in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sump-*

[1] Rom. 5. — [2] Rom. 6. — [3] Genes. 3,

tus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Hæc porro de morte animæ intelligi non possunt.

PROB. SECUNDA PARS. 1. *Ex Div. Augustino,* qui expresse nostram conclusionem tuetur: *Quam igitur,* inquit [1], *felices erant primi homines, et nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis,* etc.

PROB. 2. *Ratione* desumpta ex eodem Div. August.: *Quis enim,* inquit [2], *primos illos homines in paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum?* Fuerunt ergo beati beatitudine naturali; atqui ex eodem, lib. 12, c. 10: *Quis tandem absolute dici beatus potest, qui timore afficitur vel dolore? Quid autem timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo; nec... inerat quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet.* Ergo.

OBJECTIONES.

OBJICIES CONTRA PRIMAM PARTEM. Corpus quod constat ex elementis contrariis, est mortale; atqui corpus primorum parentum, ante peccatum, constabat ex elementis contrariis non secus ac nunc. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Corpus quod constat ex elementis contrariis est mortale, si suæ naturali conditioni permittatur, *conc.;* si pugna elementorum contrariorum impediatur, *nego maj.* Porro per dotem immortalitatis, quam homo innocens a Deo accepit in suo ortu, pugna elementorum fuit realiter impedita, ut nullam alteri læsionem afferre potuerit, et sic homo mori non potuerit.

INST. 1. Corpus quod tandem consenuisset, erat mortale; atqui corpus Adami innocentis tandem consenuisset. Ergo.

RESP. *Nego min. Quia,* ex Divo Augustino [3], *corpus Adami innocentis habebat... et de lignorum fructibus refectionem contra*

[1] Lib. 14 *de Civit. Dei,* cap. 10.— [2] Lib. 12 *de Civ. Dei,* cap. 12.— [3] Lib. 1 *de Peccat. merit.,* cap. 3.

defectionem, et de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.

INST. 2. Homo innocens, saltem ab extrinseco, puta igne, aqua, ferro, subversione molis, etc., obrui potuisset; ergo erat mortalis.

RESP. *Dist. ant.* Potuisset obrui, si singulari Dei providentia non fuisset conservatus, *conc.;* si sic fuisset conservatus, *nego ant. et conseq.* Deus enim impedisset, ne objecta extrinseca corpori hominis innocentis aliquod detrimentum inferrent, cum ut ait D. August. ibidem : *Deus vellet* (eum) *a mortalitate ad immortalitatem, sine media morte, venturum.*

INST. 3. D. Aug. ibidem, c. 5, ait : *Illud corpus*, hominis innocentis, *jam erat mortale.* Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Jam erat mortale, id est poterat mori, *conc.;* debebat mori, *nego ant.* Hic est verus sensus D. Augustini, qui dicit [1] : *Poterat mori, poterat namque peccare;* sed non debebat mori, quando enim dixit D. August.: *Corpus jam erat mortale*, addit : *sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum.* Et [2] : *Mortalis ergo erat*, inquit, *conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.*

OBJICIES CONTRA SECUNDAM PARTEM. Homines in statu innocentiæ famem, sitim passi fuissent. Ergo.

Prob. ant. Illi famem, sitim, etc., passi fuissent, qui, ut iis incommodis mederentur, usi fuissent cibo et potu; atqui homines in statu innocentiæ, ut fami et siti mederentur, usi fuissent cibo et potu. *Ecce dedi vobis omnem herbam et universa ligna, ut sint vobis in escam* [3]. Ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Non enim cibus datus est hominibus innocentibus, ut famem et sitim extinguerent, sed ut ipsas vitarent : *Vivebat itaque,* inquit Divus Augustinus [4], *homo in paradiso sicut volebat... Cibus aderat, ne esuriret; lignum*

[1] Lib. 1 *contra Julian.* operis imperfecti. — [2] Lib. 6 *de Genes. ad litter.*, cap. 25, — [3] Lib. 14. *de Civit. Dei*, cap. 26. — [4] Genes. 1.

vitæ, ne illum senecta dissolveret : nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat.

QUÆSTIO II.

AN JUSTITIA ORIGINALIS, SANCTITAS, IMMORTALITAS, ETC., FUERINT HOMINI INNOCENTI NATURALES, VEL SUPERNATURALES?

Nota 1. Naturale dicitur, quod est secundum exigentiam naturæ, ipsique debitum, vel tanquam ejus pars vel tanquam proprietas ex ejus principiis fluens, ita ut sine injustitia ipsi denegari non possit. E contra supernaturale est quod superat omnem naturæ humanæ exigentiam, eique plane indebitum est.

Nota 2. Novatores, Lutherani et Calvinistæ, ut ostenderent hominem per peccatum fuisse ita læsum in donis naturalibus, ut liberum arbitrium in eo penitus extinctum fuerit, docuerunt justitiam originalem, sanctitatem et immortalitatem naturæ innocenti fuisse debitas ac plane naturales. *Statuimus*, inquit Luther, [1] *justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis, sed fuisse vere naturale; ita ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum, etc. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiant, etc.* Postea addit : *Porro hæc omnia probant originalem justitiam fuisse de natura hominis; ea autem per peccatum amissa, manifestum est naturalia non mansisse integra, sicut Scholastici delirant.* Calvinus pariter, [2] docet, divinæ justitiæ et bonitati repugnare, primum hominem creari absque justitia originali, ejus naturæ debita.

His accesserunt Baius, Jansenius et Quesnellius.

[1] Ad cap. 3 Genes. — [2] Lib. 1 *Instit.*, cap. 15.

CONCLUSIO.

Justitia originalis, sanctitas et immortalitas in homine innocente fuit supernaturalis; ac consequenter possibilis fuit status naturæ puræ.

PROB. 1. *Auctoritate SS. Pontific.* Pii V, Gregor. XIII, et Urbani VIII, qui has Baii propositiones damnarunt.

XXI. Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe et charitate, Deum supernaturaliter coleret.

LXXIX. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali. Similes sunt propositiones. I, III, IX, XXIV, XXVI, LV, LXXVIII.

Item Clemens XI damnavit has Quesnellii propositiones:

XXXIV. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

XXXV. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ.

PROB. 2. *Ex Divo Augustino,* qui pluribus locis nostram conclusionem astruit [1] : *Quid est,* inquit, *gustato cibo prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Quia ergo vestitus gratia non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratia, sensit quod operire deberet.* Ergo si donum integritatis in natura innocente fuit gratia, natura innocens sine eo potuit creari, nam quod est gratuitum est indebitum naturæ, ejusque exigentiam superat.

De Adamo dicit [2] : *Mortalis ergo erat conditione corporis*

[1] Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 16. — [2] Lib 6 *de Genes. ad litteram,* cap. 25.

animalis, immortalis autem beneficio conditoris. Ergo immortalitas non erat debita naturæ humanæ, sed ei, *mirabili Dei gratia, præstabatur*, ait D. Doctor [1]. Ergo natura humana potuit primitus creari sine immortalitate sibi indebita.

PROB. 3. *Ratione.* Deus potest hominem creare cum defectibus naturalibus : *Quamvis*, inquit Div. Augustinus [2], *ignorantia et difficultas, etiamsi essent primordia hominis naturalis naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus.* Atqui concupiscentia, mortalitas, etc., sunt defectus naturales, qui non possunt, nisi creatoris gratia, impediri. Ergo, etc.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Deus non potuit hominem creare cum concupiscentia ; ergo justitia originalis, quæ est virtus cohibitiva concupiscentiæ, est naturalis homini.

Prob. ant. Ex D. August. [3]. Ignorantia et concupiscentia sunt pœnæ peccati : atqui pœnæ peccati non possunt infligi a Deo homini innocenti; ergo Deus non potuit hominem creare cum ignorantia et concupiscentia.

RESP. *Dist. maj.* Sunt pœnæ peccati, in præsenti rerum statu, *conc.;* in statu naturæ puræ, *nego maj.* In hoc enim statu fuissent primordia naturalia : *Non supplicium peccati*, ait D. Augustinus, ibidem, cap. 20, *sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium.*

INST. 1. Deus non potuit creare hominem cum eo quod inclinat ad peccatum; atqui concupiscentia inclinat ad peccatum. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Deus non potuit creare hominem cum eo quod inclinat ad peccatum per se, prout sunt habitus vitiosi, *conc.;* per accidens, cujusmodi sunt divitiæ, ignorantia, etc., *nego maj.* Porro concupiscentia per se est po-

[1] Lib. 13 *de Civit. Dei*, cap. 20. — [2] Lib. 1 *Retract.*, cap. 9. — [3] Lib. 1 *de lib. arbitrio*, cap. 18.

tentia concupiscendi bona sensibilia, quo sensu est bonum naturæ, quatenus est principium actuum ad naturæ functiones et conservationem necessariorum et rectæ rationi consentaneorum, licet, quatenus erumpere potest in motus inordinatos, sit defectus naturæ connaturalis et a Deo permissus ex munere causæ primæ : imo Deus plura auxilia ordinis naturalis concederet ad motus illos reprimendos, nec ad illos alio modo concurreret, quam nunc ad entitatem actus mali concurrit.

Inst. 2. In statu naturæ puræ, homo de membrorum rebellione erubesceret; sed repugnat quod homo, absque peccato præcedente, erubescat. Ergo.

Resp. *Nego min.* Non enim repugnat, quod sicut in illo statu esset membrorum rebellio propter carentiam justitiæ originalis, qua pars inferior superiori perfecte subjicitur: ita esset erubescentia connaturalis, quæ ex tali rebellione oriretur.

Inst. 3. Ergo homo erubesceret de opere Dei; atqui hoc est absurdum. Ergo, etc.

Resp. *Nego illatum.* Nam opus Dei est natura, non defectus naturæ; habet enim natura ex nihilo creata, ut per se defectibilis sit; unde rebellio membrorum, in statu naturæ puræ, non esset a natura qua bona, sed a natura qua defectibilis est.

Objicies 2. Deus non potuit creare hominem sine ordinatione ad suum finem ultimum; ergo nec potuit eum creare sine justitia et sanctitate ad illum finem assequendum ordinatis.

Resp. *Dist. ant.* Sine ordinatione ad suum finem ultimum vel naturalem, vel supernaturalem, *conc.;* sine ordinatione ad finem supernaturalem, *nego ant.* Duplex itaque est finis, nempe naturalis et supernaturalis. *Naturalis* consistit in perfecta quadam contemplatione Dei abstractiva, et ejusdem, ut auctoris naturæ, amore, qui viribus naturæ non depravatæ elici potest. *Supernaturalis* vero consistit in

Dei visione intuitiva, et amore fruitivo; ad priorem finem natura fuisset ordinata, si in puris naturalibus condita fuisset, illumque mediis naturalibus consequi potuisset.

INST. 1. Deus non potuit creare hominem sine ordinatione ad id quod naturaliter appetit; atqui homo naturaliter appetit finem suum ultimum supernaturalem. Ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Homo naturaliter appetit finem suum ultimum supernaturalem, in præsenti statu, *conc.;* in statu naturæ puræ, *nego min.* Itaque homo naturaliter appetit id ad quod creatus est : atqui in statu naturæ puræ homo creatus esset ad solam beatitudinem naturalem; ergo solam beatitudinem naturalem appeteret naturaliter; in præsenti vero statu, homo, cum ordinatus sit ad beatitudinem supernaturalem, eam naturaliter appetit.

INST. 2. Quod naturaliter appetitur, in quovis statu appetitur; atqui, ex concessis, homo naturaliter appetit beatitudinem supernaturalem in præsenti statu; ergo et eam appetiisset in statu naturæ puræ.

RESP. *Dist. maj.* Quod naturaliter appetitur, appetitu innato, *conc.;* appetitu elicito, *nego maj.* Atqui. homo in præsenti statu naturaliter appetit beatitudinem supernaturalem appetitu elicito, *conc.;* appetitu innato, *nego min. et conseq.* Itaque appetitus naturalis alius est innatus, alius elicitus. *Appetitus innatus,* est rei proclivitas ad proprium bonum, etiam absque discursu aut reflexione : sic qui sitit, appetit potum. *Appetitus elicitus* est naturalis actus rei aliquod bonum appetentis, supposito discursu, seu reflexione: tale est desiderium hominis qui, admirando effectum, causam videre cupit. Porro appetitus videndi Deum intuitive est elicitus, quatenus homo, supposita revelatione, desiderat videre eum quem scit sibi propositum esse tanquam beatitudinem suam, per actus supernaturales, possidendam.

INST. 3. Deus non potuit creare hominem in eo statu, in

quo homo non posset amare Deum propter se; atqui in statu naturæ puræ, homo non posset amare Deum propter se. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Homo non posset amare Deum propter se, amore supernaturali, *conc.;* amore naturali, *nego min.* Itaque duplex amor distinguitur, nimirum *naturalis,* quo Deus amatur ut auctor naturæ, et *supernaturalis,* quo Deus amatur ut beatificator supernaturalis; porro homo in statu naturæ puræ non potuisset amare Deum amore supernaturali; ad hoc enim requiritur gratia, qua in illo statu non donatus fuisset; potuisset autem amare Deum amore naturali, ad quem sufficere possunt media naturalia, quibus Deus hominem juvasset in illo statu.

Inst. 4. Amor Dei naturalis fictitius est et impossibilis. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Cujus falsitas constat ex hac Baii prop., damnata a Pio V et Gregor. XIII : *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.*

Inst. 5. Div. August.[1] ait : *Unde est in hominibus charitas Dei et proximi nisi ex ipso Deo? Nam si non ex ipso Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Ergo nullus potest esse amor Dei propter se, ex solis naturæ viribus.

Resp. *Dist. conseq.* Nullus est amor Dei supernaturalis ex solis naturæ viribus, *conc.;* naturalis, *nego conseq.* Porro D. Aug. hic loquitur de amore supernaturali, et ad salutem æternam sufficiente.

Inst. 6. D. Aug. variis in locis docet omnem amorem creaturæ rationalis esse charitatem, aut cupiditatem; atqui per charitatem intelligit Dei amorem supernaturalem, qui producitur per Spiritum Sanctum. Ergo.

[1] Lib. 3 *de Gratia et lib. arb.,* cap. 18.

RESP. *Dist. min.* Nam D. Aug. per charitatem non intelligit amorem supernaturalem, sed amorem boni et honesti, qui est amor alicujus virtutis, ex quo sequitur tantum, omnem amorem creaturæ rationalis esse bonum vel malum; sed inde non sequitur omnem amorem creaturæ rationalis, qui non sit Dei propter se dilecti, esse vitiosam cupiditatem, ut constat ex hac propositione Baiana : *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.*

CAPUT III [1].

DE PECCATO HOMINIS.

* *Nota.* Dicemus : 1° de peccato primi hominis; 2° de peccati originalis propagatione; 3° de peccati originalis effectibus, seu pœnis. *

[1] * *Nota.* En habes ex Concilio Trid. totam doctrinam catholicam circa peccatum originale, et fundamentum dicendorum.

Can. 1. Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse : incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, *anath. sit.*

Can. 2. Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem et pœnas corporis tantum in genus humanum transfudisse, non autem et peccatum quod est mors animæ, *anath. sit.*

Can. 3. Si quis Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione, transfusum, omnibus inest unicuique proprium... per aliud remedium asserit tolli quam per meritum..... J.-C....., *anath. sit.*

Can. 4. Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat,

QUÆSTIO I.

DE PECCATO PRIMI HOMINIS.

QUÆRES 1. *Quodnam fuerit peccatum primorum parentum?*

RESP. Fuit superbia, quæ est inobedientiæ origo.

PROB. *Ex Scriptura.*[1] Tobias, deterrens filium suum a superbia, dat hanc rationem : *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Et Apostolus[2] dicit : *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituuntur multi.* Atqui inobedientia est actus superbiæ : primus enim actus superbiæ est nolle alterius imperio subjici. Ergo, etc. Hinc Div. August.[3] ait : *Ab homine peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur, sola deberet jussio dominantis attendi.*

QUÆRES 2. *Quænam fuit causa peccati primorum parentum?*

RESP. Causa illius extrinseca fuit Diabolus, intrinseca vero fuit eorum voluntas.

PROB. PRIMA PARS. Ille fuit causa extrinseca peccati primorum parentum, qui illos ad divinæ legis infractionem induxit, atqui Diabolus induxit primos parentes ad divinæ legis infractionem, Evæ dicens : *In quocumque die comederitis ex eo... eritis sicut Dii,* etc.

PROB. SECUNDA PARS. Causa interna peccati primorum parentum fuit vel ignorantia, vel concupiscentia, vel voluntas; atqui nec fuit ignorantia, qua non laborabant primi parentes, nec concupiscentia, cujus motibus ante peccatum non erant obnoxii. Ergo.

etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati..., *anath. sit.*

Can. 5. Si quis per J. C. D. N. gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id quod verum et proprium peccati rationem habet..., *anath. sit.* *

[1] Tob. 4. — [2] Rom. 5. — [3] Lib. 8 *de Genes.* cap. 12.

DICES : Causa interna peccati primorum parentum fuit concupiscentia fructus vetiti, juxta illud : *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis*, etc. Ergo non fuit voluntas.

RESP. *Nego ant.* Quando enim Eva concupivit fructum vetitum, jam interne peccaverat, sibi complacendo in independentia quam ei serpens hisce verbis promiserat : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.*

QUÆRES 3. *Quale fuit peccatum primorum parentum ?*

RESP. Fuit peccatum mortale, et quidem gravissimum secundum quid, nimirum superbia, qua independentiam, quæ attributum est Deo proximum, sibi tribuere concupierunt.

* Dixi : *Secundum quid,* nam peccatum gravissimum simpliciter et absolute, quod est tale secundum speciem et ex objecto, est peccatum quod est directe contra Deum, ut odium ; inobedientia vero Adami non fuit talis, fuit tamen peccatum gravissimum *secundum quid :* 1° Ratione conditionis personæ peccantis : *Nam magna fuit in peccando iniquitas,* inquit S. Augustinus [1], *ubi tanta fuit in non peccando facilitas.* 2° Ratione nocumenti, cum hoc peccatum infecerit totam naturam humanam, ut dicemus infra.*

QUÆRES 4. *Quænam fuerunt pœnæ peccati primorum parentum?*

RESP. Multiplices fuere, tum quoad corpus, tum quoad animam.

QUOAD CORPUS *prima pœna* fuit ejectio a beatitudine in hujusce vitæ miserias, famem nempe, sitim, dolores, labores, etc. *Secunda pœna* fuit mors corporalis ; utraque illa pœna describitur Gen. 3, quando Deus dixit mulieri : *Multiplicabo ærumnas tuas ; in dolore paries filios, et sub viri potestate eris.* Et Adamo : *Maledicta terra in opere tuo... in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris.*

[1] Lib. 14 *de Civit. Dei*, cap. 15.

QUOAD ANIMAM, *prima pœna* fuit spoliatio omnium donorum supernaturalium. Adamus enim fuit spoliatus justitia originali, et consequenter omnibus Sancti Spiritus donis, et virtutibus per se infusis.

Secunda pœna fuit vulnus facultatum naturalium, relative ad suum primum statum. Adamus quippe, per peccatum, in animæ potentiis quatuor accepit vulnera, scilicet *ignorantiam* in intellectu, *malitiam* in voluntate, *infirmitatem* in irascibili, et in concupiscibili appetitu *concupiscentiam*, quæ vulgo fomes peccati nuncupatur, et quam cum statim post peccatum experti fuissent Adamus et Eva, ipsos puduit se nudos videre.

Dixi : *Vulnus facultatum naturalium*, quia, licet naturalia in Adamo peccante fuerint sauciata, non fuerunt tamen omnino exstincta, ut docet Conc. Trident. [1].

Tertia pœna fuit mortis æternæ debitum morale, quod Adamus per suum peccatum contraxit, et in hanc miseram sortem omnes posteros traxit, a qua non possunt exurgere, nisi per merita mediatoris nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio ; *nisi* enim *quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

QUÆSTIO II.

DE PECCATI ORIGINALIS PROPAGATIONE.

* *Nota.* Magnum intercedit discrimen dogma de originalis peccati *existentia* et *propagatione* inter et propagationis *modum*. Illud enim est de fide, iste vero non item. Nec permiscenda est controversia de *existentia* peccati originalis cum illa quæ versatur circa *naturam* et *essentiam* ejusdem peccati. Circa ejusmodi peccati naturam seu essentiam plures sunt discrepantes sententiæ non solum inter catholicos et

[1] Sess. 5 can. 1.

protestantes, sed etiam inter catholicos ad invicem, sicuti ex dicendis videre est.

Hæc quæstio in quatuor articulos distribuemus, quorum *primus* erit de existentia peccati originalis; *secundus* de ejus naturas; *tertius* de causa proxima ejus transfusionis; *quartus* de ejus subjecto.

ARTICULUS I.

DE EXISTENTIA PECCATI ORIGINALIS.

Nota 1. Per peccatum originale nihil aliud intelligimus, quam peccatum mortale ab Adamo, ut morali totius generis humani capite, commissum, et per generationem naturalem in omnes ab eo via naturali descendentes transfusum, secluso speciali privilegio.

Nota 2. Existentiam peccati originalis negarunt olim Pelagiani, teste Aug.[1]; docueruntque: 1° Adamum peccando sibi soli nocuisse; morbos, mortem, concupiscentiam non esse effectus peccati illius, sed naturales naturæ humanæ defectus; 2° Baptismum necessarium quidem esse parvulis ut consequantur regnum cœlorum, sed non ut ab ullo peccato abluantur.

Errorem hunc renovarunt postea Albanenses, Albigenses, Anabaptistæ et elapso proxime sæculo Sociniani, contra quos omnes sit

CONCLUSIO.

Datur peccatum originale. Hoc est verum ac proprie dictum peccatum, quod, secluso speciali privilegio, in conceptione contrahimus, et in quo nascimur.

Propositio est de fide, definita in pluribus Conciliis contra Pelagianos habitis; et tandem in Concil. Trid. sess. 5, can. 2, contra Anabaptistas pag. 445.

[1] Aug. lib. *de Peccato originali.*

PROBATUR PROPOSITIO EX SCRIPTURA.

1. Ex Job. 14 : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Quem locum sic vertunt Septuaginta interpretes : *Nemo mundus a sorde, neque infans cujus vita est unius diei super terram.* Unde sic argumentor : Immunditia, de qua loquitur Job, non est corporea, ut volunt Sociniani, alias ab homine posset mundari; sed est immunditia peccati, quæ a solo Deo potest mundari; atqui immunditia illa non est peccatum actuale, cujus infans unius diei non est capax; ergo est peccatum originale quod ab Adamo per originem contrahitur.

2. Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea :* atqui ea iniquitas non est actualis; neque Davidis qui in conceptione non erat capax; neque parentum ejus, cum ex legitimo matrimonio sit natus; ergo originis est iniquitas, quæ in Hebræo exprimitur in singulari, *in iniquitate, in peccato,* et quam Vulgata nostra plurali numero expressit, *in iniquitatibus;* 1. Quia est radix omnium aliorum peccatorum; 2. Quia in Adæ peccato multiplex iniquitas concurrit, superbia scilicet, inobedientia, gula, et alia quæ refert D. Aug. [1].

3. Ex Apost. Rom. 5 : *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, ita et in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Unde sic arguitur : datur peccatum quod per unum hominem in hunc mundum intravit, quod omnes in protoparente commiserunt; atqui illud peccatum non est aliud quam originale. Ergo, etc.

Resp. Pelagiani, negando min. et dicendo illud peccatum esse ipsummet actuale peccatum Adami, quod intravit in mundum *non propagatione*, sed *imitatione*, quatenus suo pravo exemplo posteros ad peccandum induxit; sed

Contra est 1. Si Apostolus de peccato imitationis loqui

[1] *Enchiridii*, cap. 45.

voluisset, non dixisset *per unum hominem* peccatum intrasse, sed *per Diabolum*, siquidem Diabolus prior peccavit, et pravo suo exemplo homines ad peccandum induxit ab initio; ita Aug. [1].

Contra est 2. Quia ex Apost. eodem modo peccatum intravit quo mors; sed mors intravit non tantum imitatione, sed realiter et propagatione. Ergo.

Contra est 3. Quia peccatum, de quo loquitur Apostol. reperitur in omnibus qui morti sunt obnoxii; atqui infantes morti sunt obnoxii; ergo reperitur in infantibus; atqui infantes non sunt capaces peccati per imitationem; ergo Apostolus non loquitur de peccato per imitationem.

PROB. PROP. EX TRADITIONE PATRUM.

1. Ex D. Cypriano, qui [2] ait : *Infans recens natus contagia mortis antiquæ prima nativitate contraxit.*

2. Ex D. Ambrosio [3] dicente : *Adam dente serpentis vulneratus, obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere develiquit, ut omnes illo vulnere claudicemus.*

3. Ex D. Chrys. [4] dicente : *Quando Adam peccavit illud grande peccatum, omne genus hominum in communi damnavit :* atqui peccatum quod omnes in communi homines damnat, est originale; ergo, etc. Hos et alios Patres refert D. Aug.[5].

PROB. PROP. RATIONE THEOLOGICA.

Prima petitur a necessitate Baptismi sic : Baptismus necessarius est omnibus, non solum adultis, sed et infantibus juxta illud, *nisi quis renatus fuerit*, etc.; atqui Baptismus est institutus in remedium peccati, Act. 2 : *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum;* ergo infantes sunt peccato inquinati, non actuali, cujus sunt incapaces; ergo originali.

[1] Lib. *de Peccatorum meritis*, cap. 9. — [2] L. 3 Epist. ad Fidum. — [3] In psalm. 48. — [4] Epist. ad Olympiam. — [5] L. 1 *contra Julian.*, a cap. 3, ad 8.

Secunda petitur ex redemptione per Christum, sic : Christus mortuus est pro omnibus, non solum adultis, sed etiam parvulis juxta illud Apostoli [1] : *Pro omnibus mortuus est Christus*. Sed ex eodem Apostolo, ibidem, Christus non est mortuus nisi pro mortuis morte animæ : *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;* ergo parvuli mortui sunt per peccatum; ergo cum non sint capaces peccati actualis, fatendum est eis inesse peccatum originale.

OBJECTIONES EX SCRIPTURA.

OBJICIES 1. Ezechiel 18 dicitur : *Filius non portabit iniquitatem patris*. Atqui, si daretur peccatum originale, filius portaret iniquitatem patris. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Filius non portabit, etc., si peccati patris non sit particeps, *conc. maj.;* si sit particeps, *nego maj.* Porro cum voluntas filiorum Adami contineatur in voluntate patris, tanquam in capite morali totius posteritatis, sunt participes ejus peccati, quod unicuique ipsorum est proprium, non quidem *proprietate actionis*, ait D. Aug. [2], sed *contagione propagationis*. Præterea Propheta loquitur de pœna peccati personalis; quare addit : *Et pater non portabit iniquitatem filii; justitia justi* (id est, merces justitiæ) *super eum erit; et impietas impii* (id est, pœna impietatis) *erit super eum*.

OBJICIES 2. Ex Rom. 4 : *Ubi non est lex, nec prævaricatio*. Atqui infantes non sunt capaces legis; ergo nec prævaricationis.

RESP. *Dist. min.* Infantes secundum se considerati non sunt capaces legis, *conc. min.;* considerati prout erant in primo parente, *nego min.* Nam lex quæ data est Adamo, fuit etiam data omnibus ejus posteris in illo; quare infantes sunt rei prævaricationis a primo parente, qui eorum personam gerebat, commissæ, qua prævaricatione constituuntur peccatores a primo instanti animationis.

[1] 2 Cor. 5, 15. — [2] Lib. *contra Julian.*, cap. 12.

OBJICIES 3. Rom. 5 : *Regnavit mors ab Adam ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*. Ergo sola mors, non vero peccatum ab Adamo contrahitur. Ita Zwinglius.

RESP. *Nego conseq*. Imo ex textu contrarium debet concludi : nam si regnavit ab Adam usque ad Moysen in eos qui non peccaverunt peccato personali sicut Adam, evidens est eos aliena voluntate peccasse, cum mors, utpote pœna justa, peccatum præsupponat, juxta illud Apostoli : *Stipendia peccati mors* [1].

INST. 1. Ibidem subdit Apost.: *Non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei... in plures abundavit*. Unde sic : Plures sunt qui in Christo justificantur, quam qui in Adamo peccaverunt; ergo non omnes peccaverunt in Adamo, sed solum ii qui ejus imitatione peccaverunt.

RESP. *Nego ant*. Tum quia istæ voces, *multi, omnes, plures*, promiscue usurpantur ab Apostolo, dicit enim illo cap. *In quo* (in Adamo) *omnes peccaverunt*, et infra, *unius delicto multi mortui sunt;* unde *ipsi sunt multi qui et omnes*, ait Aug.[2], quia illi omnes revera sunt multi; tum quia in græco non legitur *in plures*, sed *in multos*.

INST. 2. Vox illa, *Multo magis*, in textu Apostoli significat plures gratia Christi fuisse ditatos, quam Adæ peccato infectos; ergo nulla solutio.

RESP. *Nego subsumpt*. Nam vox *multo magis* non refertur per comparationem ad personas, sed per comparationem ad *delictum* et *donum*, ita ut sensus sit : donum Christi redemptoris per se majus ac utilius beneficium esse, quam delictum Adami fuerit perniciosum.

OBJICIES 4. Dicitur [3] : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*. Atqui non omnes in Christo vivificabuntur; ergo neque omnes in Adamo moriuntur.

[1] Rom 6, v. 23. — [2] Lib. 6 *contra Julian.*, cap. 24. — [3] 1 Cor. 15.

gimus, etc. Ergo agnoscit infantes, pro quibus institutus et necessarius est Baptismus, peccato inquinari.

Objiciunt 6. Origenem qui [1] per *mundum,* in quem, peccante Adamo, *peccatum intravit,* intelligit, *terrenos quosque et in terrena conversatione permanentes,* id est qui in similitudinem Adæ peccant; ergo negat originale peccatum.

Resp. *Nego conseq.* Nam Origenes verba Apostoli in illo commentario allegorice pro more suo exponit; allegoria autem non destruit sensum litteralem, quem luculenter confirmavit Hom. 12 in Leviticum : *Omnis,* inquit, *qui ingreditur in mundum, in quadam contaminatione effici dicitur : propter quod et Scriptura dicit : Nemo mundus a sorde nec si unius diei fuerit vita ejus; hoc ipso ergo quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre et matre pollutus est; solus vero Dominus Jesus meus... in matre non est pollutus.*

OBJECTIONES A RATIONE PETITÆ.

Objicies 1 cum Juliano [2] : *Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille* (Deus) *qui condidit : per quas igitur rimas inter tot præsidia peccatum fingis ingressum?*

Respondet Aug. : *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apost., per inobedientiam unius hominis, ait Apost.; quid quæris amplius? quid quæris apertius?* Unde non peccat qui nascitur, cum nascitur, sed nascendo peccatum contrahit, quod in Adamo commisit.

Inst. 1. Omne peccatum est voluntarium; atqui peccatum originale in infantibus non potest esse voluntarium; ergo nec peccatum.

Resp. *Dist. maj.* Omne peccatum est voluntarium vel physice, vel moraliter, *conc. maj.;* physice tantum, *neg*

Lib. 5 *Comm. in Epistol. ad Romanos.* — [2] Apud August., Lib. 3 *contra Julian.*, cap. 24.

maj. Atqui peccatum non potest esse voluntarium in infantibus, physice, *conc. min.;* moraliter, *nego min.*

Itaque discrimen est inter peccatum personale et originale, quod personale debeat esse voluntarium physice, id est voluntate propria peccantis admissum; econtra satis est quod originale sit voluntarium moraliter, id est voluntate Adæ in quo tanquam in capite morali omnium posterorum voluntates includebantur. Justum est enim ut malum quod eligitur a capite, imputetur membris in eo moraliter inclusis, *sicut justum est,* ait Aug. [1], *ut pacta conventa inter principem et majores populi ab omnibus civibus serventur.*

Inst. 2. Voluntarium est illud quod fit a principio intrinseco cum cognitione; atqui peccatum originale non est in parvulis a principio intrinseco, sed ab extrinseco, scilicet Adamo, nec cum cognitione, cum ejus sint incapaces. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Peccatum originale non est in parvulis a principio intrinseco physico cum cognitione physica, id est a personali voluntate et cognitione, *conc. min.;* non est a principio intrinseco et cognitione moralibus, id est a voluntate et cognitione Adami quæ moraliter fuerunt nostræ, *nego min. et conseq.* Eodem enim modo peccatum debet esse a principio intrinseco et cognitione, quo est voluntarium; atqui peccatum originale est voluntarium moraliter; ergo sufficit ut sit a principio intrinseco et cognitione moralibus, id est a cognitione et voluntate capitis naturæ humanæ.

Objicies 2. Si anima inficeretur peccato originali, Deus esset causa peccati; absurdum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Nego sequel. maj.*

Prob. Quidquid convenit rei ab origine, causæ efficienti tribuitur; atqui Deus est causa efficiens animæ, neque

Lib. 4 *Operis imperf.*, cap. 90.

enim anima per traducem a parentibus sicut corpus, sed per creationem a Deo producitur. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quidquid convenit rei ab origine, causæ efficienti tribuitur, si ei conveniat vi actionis per quam producitur, *conc. maj.;* secus, *nego maj.* Porro peccatum originale non contrahitur ab anima vi actionis per quam a Deo creatur, sed quatenus corpus ab Adamo descendens informat, nam sic incipit esse pars filii Adæ, in quo tanquam in radice tota natura humana corrupta et maledicta fuit. Hoc explicant Patres similitudine aquæ, quæ licet ex purissimo fonte fluat, si tamen in vas coinquinatum recipiatur, ab eo contrahit immunditiam, ita anima ex sua cum carne vitiata conjunctione contrahit fœditatem. Ita Aug.[1].

Instat Julian. 1. In hominibus baptizatis peccatum originale deletum est; ergo illud in posteros transfundere nequeunt; nemo enim dat quod non habet.

Resp. *Nego conseq.* Nam sicut triticum purgatum generat aliud triticum non purgatum, sed paleis involutum, quia eodem modo natum est triticum seminatum; ita quia parentes nati sunt ex Adamo cum peccato originali, etsi ab illo per Baptismum fuerint purgati, generant tamen postea filios infectos peccati originalis, in quo et ipsi nati sunt. Ita Aug. [2].

Ad probationem *dist.* Nemo dat quod non habet, nec formaliter, nec virtualiter, *conced.;* quod saltem habet virtualiter, *nego.* Habent ergo parentes peccatum originale virtualiter, virtute scilicet seminis corrupti quod est causa generationis, seu unionis animæ cum corpore, per quam peccatum originale contrahitur.

Inst. 2. Si peccatum originale per generationem traduceretur in posteros, usus matrimonii esset malus, utpote causa peccati; falsum consequens.

[1] Lib. 3 *contra Julian.*, cap. 3. — [2] Lib. 2 *contra Julian.* in principio, et Lib. 3 *de Peccator. meritis*, cap. 3.

RESP. *Nego maj. et ejus probationem.* Nam peccati originalis sola causa est voluntas Adami, ut capitis moralis omnium ab eo per viam naturalem descendentium.

INST. 3. Peccatum originale sequitur ex usu matrimonii; ergo talis usus est causa illius.

RESP. *Dist. ant.* Sequitur per accidens, *conc. ant.;* per se, *nego ant.* Nam in statu innocentiæ fuisset usus matrimonii, nec tamen fuisset peccatum originale. Porro homo non tenetur causam per accidens alicujus peccati omittere, cum habet justam causam prosequendi jus suum, etiam cum certitudine talis mali; atqui propagatio naturæ humanæ dat conjugatis justam causam prosequendi jus suum; ergo non peccant in usu conjugii, præsertim cum malum quod inde proli advenit, non ad ipsos proxime, sed ad Adamum pertineat.

*OBJICIES 3. Peccatum originale repugnat tum ratione *sui*, tum ratione *modi;* ergo non est admittendum.

RESP. *Nego ant.* Nam 1° non repugnat ratione *sui;* etenim formalis ratio seu natura peccati originalis consistit in *sola justitiæ originalis privatione*, ac præcise gratiæ sanctificantis qua Deus gratuito levavit primum hominem ad statum supernaturalem; quo posito, sic argumentatur : Non repugnat ratione *sui* ut quis privetur, ex sua culpa, re indebita, et quam non acceperat, nisi sub expressa conditione ut caute scilicet illam servaret; atqui primus homo dona supernaturalia, seu statum justitiæ originalis acceperat gratuito, sub expressa conditione de illa amittenda justitia, nisi Dei mandata custodiret; *subsumo,* atqui homo Dei mandata non custodivit; ergo jure optimo ab illa fuit privatus. Ergo 1° peccatum originale non repugnat ratione *sui.*

2° Non repugnat ratione *modi,* ut patet ex responsis supra datis ad secundam object. Præterea turpiter errant increduli confundentes peccatum originale cum peccatis actualibus. Etenim peccatum originale est *sui generis,* quia

per hoc peccatum personale primus homo e statu justitiæ originalis, qui semel amissus recuperari non potest, excidit; ergo non amplius posteris communicare non valet quod in se non habet. Insuper, et ipsa philosophia docet, nam juxta philosophos : *Similis similem sui generat;* unde si protoparens in statu justitiæ originalis mansisset, filios utique sui similes genuisset; at vero cum ab illo statu ceciderit, miser deinde miseros filios gignere debuit, sicuti rex, ut ita dicam, regios generat filios : ast si regia dignitate fuerit elevatus, nonnisi plebeios procreare potest filios. Ergo 2° peccatum originale non repugnat ratione *modi*, insuper nec ratione *sui*. Ergo, etc. [1].*

ARTICULUS II.

DE NATURA PECCATI ORIGINALIS.

Nota. In peccato originali duo possunt considerari, nempe : 1° Actus quo Adamus transgressus est legem Dei; 2° Macula quæ hanc transgressionem subsecuta est, et quæ vocatur *peccatum habituale :* de hoc solo essentiam inquirimus, cujus investigatio tam difficilis est, ut circa eam varias in partes abeant cum hæretici, tum catholici, quorum opiniones exponemus et refellemus, et tandem veriorem statuemus, duplici paragrapho.

[1] * Conf. S. Anselmum, *de Conceptione Virginis et peccati origin.*, cap. 23 et 27, S. Thom. *in Sent.* II, dist. 30, q. 1, art. 2, Cajetan., Sotum et Bellarmin., *de Gratia prim. hom.*, lib. 1, cap. 5, § 12. R. P. Perronne, *de Creatore*, p. 2, cap. 4. *de peccat. origin*, et alios qui probant peccatum Adæ quatenus erat caput totius humanæ naturæ, consistere (*In sua formalitate*) *in privatione* gratiæ sanctificantis *quæ nobis* inesse *deberet* juxta ordinem a Deo constitutum, et ideo hac privatione fimus *filii iræ, Dei inimici*, ut infra et nos probabimus. *

§ I.

Exponuntur et solvuntur variæ opiniones cum Hæreticorum, tum Catholicorum circa naturam peccati originalis.

CONCLUSIO I.

Peccatum originale formaliter non est substantia mala a Dæmone creata, quæ sit ipsius Dæmonis imago. Est contra Mathiam Illiricum Lutheranum [1].

PROB. Omnis substantia est a Deo, per quem *omnia facta sunt* [2]. Atqui peccatum non est a Deo; ergo peccatum originale non est substantia.

Confirm. Quia ex Trid. [3] per Baptismum *tollitur totum id quod veram et propriam peccati rationem habet;* atqui per Baptismum nulla tollitur substantia. Ergo.

DICES : Peccatum originale vocatur ab Apost. [4] *vetus homo, corpus peccati.* Sed homo et corpus sunt substantia. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Vocatur *vetus homo, corpus peccati,* metaphorice, *conc. maj.;* proprie, *nego maj.* Nam Apostolus *per veterem hominem* significat vitam in peccatis peractam, sicut *per novum hominem* significat vitam in virtute et justitia transactam, et per *corpus peccati* significat totam congeriem peccatorum quæ commisimus.

CONCLUSIO II.

Peccatum originale formaliter non est ipsa concupiscentia seu fomes qua ad peccatum trahimur. Est contra Lutheranos et Calvinistas.

PROB. Per Baptismum tollitur in renatis *totum id quod veram et propriam peccati rationem habet,* ut definitur in Conc. Trid. [5], et constat ex his Apostoli verbis [6] : *Nihil damnationis,* id est damnatione dignum, *est iis qui sunt in Christo*

[1] *In libello de Peccato origin.* — [2] Joann. 1, v. 3. — [3] Sess. 5, can. 5. — [4] Rom. 6, v. 6. — [5] Sess. 5, can. 5. — [6] Rom. 8, v. 1.

Jesu; atqui per Baptismum non tollitur concupiscentia, seu fomes, *Quæ ad agonem relicta est,* ut docet ibidem Trid., et colligitur ex Apost. [1] : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, etc.* Ergo peccatum originale formaliter non est concupiscentia seu fomes.

Objiciunt novatores 1. Apostolus concupiscentiam vocat *peccatum* [2]; atqui non est peccatum actuale; ergo originale.

Resp. *Dist. maj.* Apostolus concupiscentiam vocat *peccatum* formaliter et proprie dictum, *nego maj.;* materialiter et improprie dictum, quatenus nimirum est effectus peccati originalis et causa peccati actualis, *conc. maj.* Ita docet Trident. [3] declaratque concupiscentiam ab Apost. *peccatum appellari, non quod vere et proprie in renatis peccatum est, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.*

Inst. Concupiscentia prohibetur hac lege : *Non concupisces;* ergo est proprie peccatum.

Resp. *Nego ant.* Nam per hanc legem non prohibetur propensio carnis ad rebellandum contra spiritum, cum hoc non sit in nostra potestate, sed unice prohibetur, ne motibus concupiscentiæ inordinatis libere consentiamus. *Frustra dictum est,* ait August. [4] *post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est, quod tumultuantes, et ad mala trahere nitentes, sentit eas.*

Objicies 2. D. Aug. [5] docet concupiscentiam esse peccatum in non renatis, *Sic lex est ista peccati,* in renatis, inquit, *ut etiam in peccatum imputetur.* Ergo est peccatum proprie et formaliter.

Resp. *Dist. conseq.* Est peccatum proprie ratione sui præcise, *nego conseq.;* ratione culpæ, seu reatus quo facta est, et quorum ante Baptismum conjuncta est, *conc. cons.* Sic se hic explicat D. Aug. dicens : *Sic est lex ista peccati ut*

[1] Rom. 7. — [2] Rom. 7, v. 17. — [3] Sess. 6, can. 5. — [4] Lib. 5 *contra Julian.*, cap. 3. — [5] Lib. 1 *de Nuptiis,* cap. 32.

etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus (peccati) *cum illa sit, qui eum teneat æterni supplicii debitorem.*

INST. 1. D. Aug. [1] ait : *Concupiscentia sola sacramento regenerationis expiatur :* sed quod expiatur sacramento, est peccatum proprie ratione sui. Ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Quod expiatur ratione sui, est peccatum ratione sui, *conc. min.;* quod expiatur ratione culpæ a qua est, et cum qua ante Baptismum conjunctum est, *nego min.* Hoc solo et vero sensu concupiscentia dicitur ab Aug. expiari per Baptismum, *unde* [2] docet concupiscentiam per Baptismum *transire reatu, et manere actu.*

INST. 2. D. Aug. [3] dicit *Deum in renatis odisse* concupiscentiam; ergo est peccatum formaliter.

RESP. *Nego conseq.* Quia Deus non tantum odit quidquid est peccatum formaliter, sed etiam quidquid est peccatum causaliter : talis est concupiscentia, quæ nos ad malum morale impellit.

INST. 3. Concupiscentia opponitur legi mentis nostræ [4]; ergo mala formaliter.

RESP. *Dist. ant.* Opponitur Legi mentis nostræ causaliter, *conc. ant.;* formaliter, *nego ant.*, ex quo sequitur quod sit causaliter tantum peccatum.

CONCLUSIO III.

Peccatum originale formaliter, non est qualitas morbida quæ ex carne per peccatum infecta derivatur in animam. Est contra Henricum Gandav. [5] et Gregor. Ariminensem [6].

PROB. Quia vel fictitia est illa qualitas morbida, vel nihil aliud est quam concupiscentia, seu fomes peccati : atqui natura peccati originalis non potest esse fictitia, alias et ipsum peccatum esset fictitium, nec est concupiscentia,

[1] Lib. 1 *de Nuptiis*, cap. 23. — [2] Lib. 1 *contra Julianum*, cap. 8. — [3] In psalm. 35. — [4] Rom. 7, v. 23. — [5] Quodl. 2, q. 11. — [6] In 2, dist. 30, q. 2. art. 1.

alias peccatum originale remaneret post Baptismum, quod est Novatorum error; ergo peccatum originale non est illa qualitas mordida.

OBJICIES. D. Aug. [1] de concupiscentia dicit : *Est affectio quædam malæ qualitatis, sicut languor;* ergo peccatum originale est formaliter qualitas morbida.

RESP. *Nego conseq.* Nam D. Aug. per affectionem malæ qualitatis intelligit tantum ipsum appetitum sensitivum, quatenus vitiatus est, non aliqua positiva labe, sed carentia justitiæ originalis; ait enim [2] : *Restat ergo cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas.*

CONCLUSIO IV.

Peccatum originale formaliter non est ipsum Adæ peccatum nobis extrinsece tantum imputatum. Est contra Pighium [3] et Ambrosium Catharinum [4].

PROB. De fide est definitum in Trid. [5] peccatum originale *propagatione transfusum fuisse, omnibus inesse, et unicuique proprium esse;* atqui, juxta sententiam Pighii, peccatum non fuit in nos transfusum, cum nobis sit extrinsecum, nec est unicuique proprium, ut expresse fatetur Pighius his verbis : *Proprium peccatum nullum reperitur in parvulis : et in uno Adam fuit, non in nobis :* ergo peccatum originale non est ipsum Adæ peccatum nobis extrinsece tantum imputatum. Hinc sententia Pighii communiter rejicitur ut erronea, imo a Suarez habetur ut hæretica.

OBJICIT PIGHIUS. Conc. Trid. [6] definit *peccatum Adæ origine unum esse;* ergo peccatum originale est unum et idem in omnibus, ita ut reipsa fuerit in Adamo, et in nobis sit per imputationem.

[1] Lib. 1 *de Nuptiis,* cap. 25. — [2] Serm. 6 *de Verbis Apost.* — [3] *In controversia de peccato origin. in Comitiis Ratisbonensibus.* — [4] *In opusculo de peccato origin.*, disp. 6. — [5] Sess. 5, can. 3. — [6] Sess. 5, can. 3.

RESP. *Nego conseq.* Quia licet peccatum originale sit unum origine, est tamen multiplex *propagatione*, et quidem *unicuique* proprium, ut constat ex eodem Concilio.

CONCLUSIO V.

Peccatum originale formaliter, non est reatus pœnæ. Est contra Durandum [1] et Major. [2].

PROB. Quia reatus pœnæ supponit peccatum originale; ergo non potest esse constitutivum peccati originalis. *Prob. ant.* Reatus pœnæ est obligatio ad pœnam subeundam; atqui obligatio ad pœnam subeundam supponit culpam; ergo reatus pœnæ supponit culpam peccati originalis. Ergo, etc. Unde damnata a Pio V ista Baii prop. : *In peccato duo sunt, actus et reatus, transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.*

CONCLUSIO VI.

Peccatum originale formaliter non est complexum ex concupiscentia tanquam parte materiali, et concupiscentiæ reatu tanquam parte formali. Est contra Juen. [3] et alios.

PROB. PRIMA PARS. Concupiscentia ex Trid. [4] manet in renatis; atqui ex eodem Concilio omne quod habet rationem peccati, tollitur per Baptismum; ergo concupiscentia non est pars essentialis materialis peccati originalis.

PROB. SECUNDA PARS. Quia per concupiscentiæ reatum intelligitur ipsa culpa originalis; atqui nugatorium est dicere peccatum originale constitui in ratione peccati, per id quod in eo culpæ et peccati rationem habet; sicut nugatorium est dicere hominis essentiam consistere in humanitate. Ergo, etc.

DICES : D. Thom. [5] docet concupiscentiam se habere *in peccato originali sicut quiddam materiale* : ergo est pars materialis essentialis peccati originalis.

[1] In 2, dist. 30, q. 3. — [2] Ibid. q. 5, sub finem. — [3] Tom. 7, p. 681. — [4] Sess. 5, can. 5. — [5] 1, 2, q. 82, art. 3.

Resp. *Nego conseq.* Nam constat ex voce *sicut*, qua utitur D. Thom., concupiscentiam non esse materiam essentialem peccati originalis; unde dicitur ab illo quod sit sicut quiddam materiale in peccato originali, quia cum eo conjungitur tanquam effectus cum causa in non renatis, in quibus propter hanc conjunctionem vocatur a Sancto Augustino *peccatum*, quod post Baptismum *remanet actu, tollitur reatu.*

§ II.

Statuitur verior sententia circa naturam peccati originalis.

CONCLUSIO.

* *Peccatum originale formaliter, quod est mors animæ, est habitualis privatio gratiæ sanctificantis et justitiæ quæ nobis inesse deberet juxta ordinem a Deo constitutum.*

Prob. Illud est nobis nascentibus peccatum originale formaliter, quod Adamus in nos vere, proprie, et extrinsece transfudit; atqui Adamus, transacto actu peccati, in nos vere et extrinsece transfudit habitualem privationem justitiæ originalis quam ut caput nostrum amisit, quæque nobis inesse deberet juxta ordinem a Deo constitutum. Ergo, etc.

Prob. min. Adamus in nos transfudit quod in eo post ejus actuale peccatum mansit, et a quo ipse et ejus posteri denominantur peccatores; atqui habitualis privatio justitiæ originalis quam per actum suum amisit, est id quod in eo remansit transacto actu peccati; ergo Adamus in nos transfudit habitualem privationem, etc. Ergo, etc.

Confirmatur 1°. Quia in eo formaliter consistit peccatum originale, ex quo omnia quæ ad peccatum originale pertinent, tanquam a radice promanant; atqui ex habituali privatione gratiæ sanctificantis et justitiæ originalis quam Adamus amisit, omnia quæ ad peccatum originale pertinent, promanant; namque inde profluit quod peccatum

sit unum origine, cum sit unum habituale peccatum Adæ; 2° Quod sit unicuique nostrum proprium, quia illud peccatum ita nobis vere et intime est communicatum, ut unumquemque perinde constituat peccatorem, Deo odibilem, et pœnis peccati dignum, ac si ab eo solo commissum fuisset. Ergo.

* *Confirmat.* 2. Ex S. Anselmo [1] qui dicit : *Quod in illis (infantibus) non est justitia quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis sicut in Adam, sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab Adam... spoliavit persona naturam bono justitiæ in Adam; et natura egens facta omnes personas quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit.* Et capite 27, ait : *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ justitiæ nuditatem.*

Item apposite S. Thom. [2] dicit : *Dicendum quod defectus illius originalis justitiæ, quæ homini in sua creatione collata est, ex voluntate hominis accidit, et sicut illud naturæ donum est, et fuisset in totam naturam propagatum, homine in justitia persistente, ita etiam et privatio illius boni in totam naturam perducitur, quasi privatio et vitium naturæ; ad idem enim genus privatio et habitus referuntur et in quolibet homine rationem culpæ habet ex hoc, quod per voluntatem principii naturæ, id est primi hominis, inductus est talis defectus.*

Ita etiam Cajetan., Bellarminus, R. P. Perronne, etc. Ergo, etc.

Ex hucusque dictis, sic recolligitur doctrina de peccato originali : 1° *Reatus* culpæ quatenus ab Adæ peccato provenit, in omnes ejus posteros transfunditur, et uniuscujusque fit proprium. 2° Hic reatus in quo tota ratio seu *formalitas* peccati originalis consistit vere, *mors est animæ.* 3° Naturam seu essentiam hujus peccati quatenus est actio seu peccatum *actuale*, est ipsum peccatum Adæ quatenus

[1] In lib. *de Concept. Virgin. et peccato origin.* — [2] In Sent. II, dist. 30, q. 1, art. 2.

erat caput totius naturæ humanæ. Prout vero dicit *reatum* seu quatenus est *habituale* in Adæ posteris, consistit in *vera privatione* gratiæ sanctificantis et justitiæ originalis quæ *nobis inesse deberet*, juxta ordinem a Deo constitutum. 4° Hac privatione fit ut nos simus peccatores, filii iræ, Dei inimici et habitualiter, saltem negative, a Deo aversi. 5° Idem igitur est discrimen inter hominem quem Deus condidisset in statu naturæ puræ et hominem lapsum a statu justitiæ originalis, quod attinet ad collationem gratiæ et ad adnexa ipsi dona, quale est inter hominem naturaliter nudum et spoliatum, ideoque homo lapsus nullum, saltem in essentialibus, detrimentum *in se* natura ex Adæ peccato passa est. Voces propterea *corruptionis, vulneris*, etc., sunt relativæ ad statum ex quo homo decidit. *

Objicies 1. Habitualis privatio justitiæ originalis, quam Adam ut caput nostrum amisit, communis est omnibus Adæ posteris; ergo non est unicuique propria.

Resp. *Dist. conseq.* Non est unicuique propria hoc sensu quod non ita conveniat uni quin aliis omnibus conveniat, *conc.*; hoc sensu quod vere et proprie non conveniat cuilibet, quamvis eidem singulariter et privatim non conveniat, *nego conseq.* Porro peccatum originale commune est omnibus, quia ad omnes extenditur, et est unicuique proprium, quia nullus est cui tota ejus ratio non conveniat; unde tot remissionibus indiget, quot sunt homines ab Adamo via naturali descendentes.

Inst. Illud non est unicuique nostrum intrinsece proprium, quod in nos non nisi moraliter transmittitur; atqui habitualis privatio, etc., non nisi moraliter in nos transmittitur. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quod in nos non nisi moraliter transmittitur, quoad rem transmissam, *conc. maj.*; quoad modum transmittendi, *nego maj.*: atqui habitualis privatio, etc., in nos non nisi moraliter transmittitur quoad modum, *conced. min.* quoad rem transmissam, *nego min.*; Itaque in nostra

sententia, peccatum originale intrinsece et realiter propagatur, licet aliunde non nisi moraliter communicetur, quatenus transfunditur ab eo, in quo moraliter, ut in capite, continebamur.

ARTICULUS III.

DE CAUSA PROXIMA TRANSFUSIONIS PECCATI ORIGINALIS.

Nota. Constat apud omnes peccatum Adami esse causam remotam transfusionis peccati originalis in ejus posteros, qui *omnes* in eo *peccaverunt.* Verum in assignanda illius transfusionis causa proxima gravis est controversia, circa quam duæ sunt præcipuæ opiniones.

1ª Est Jansenii [1], qui post Lutherum et Calvinum docuit causam proximam transfusionis peccati originalis esse physicam et ex natura rei, eamque esse libidinem seu parentum concupiscentiam in usu conjugii. Huic sententiæ adhærent Juenin [2] et Henricus a sancto Ignatio [3].

2ª Est omnium aliorum, qui assignant pro causa transfusionis proxima seminalem ab Adamo generationem, supposito tamen decreto Dei quo Adam fuit constitutus caput morale omnium posterorum, in ordine ad observationem et transgressionem præcepti de non comedendo fructu ligni vetiti. Ideo

CONCLUSIO I.

Causa proxima transfusionis peccati originalis in parvulis non est libido quacum a parentibus generantur.

Prob. Illud nec est, nec esse potest causa physica et necessaria transfusionis peccati originalis, quo posito potest non esse, et quo sublato potest esse peccatum originale; atqui, posito ardore libidinis in actu generationis, potest non esse, et, eo sublato, potest esse peccatum originale. Ergo.

[1] Jansen. lib. 1 *de Statu naturæ lapsæ*, cap. 6 et seqq. — [2] Tom. 7, pag. 685. — [3] Lib. 10 *Æthicæ*, part. 3, cap. 6.

Prob. min. Si duo conjuges de novo crearentur, quamvis cum ardore libidinis generarent, proles tamen peccatum originale non contraheret, quia ex Trident.[1] : *Homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti;* econtra si duo conjuges, ex Adæ semine procreati, ex speciali Dei beneficio generarent sine ardore libidinis, nihilominus eorum proles contraheret peccatum originale, quia semper descenderet ab Adamo, ac proinde in illo peccaret *in quo omnes peccaverunt.* Ergo, posito ardore libidinis in actu generationis, potest non esse, et, eo sublato, potest esse peccatum originale.

Objicies cum Jansenio. D. August. pluribus locis[2] docet ipsam prolem contrahere peccatum originale; quia cum libidine et concupiscentia gignitur : ergo concupiscentia est causa proxima et physica transfusionis peccati originalis.

Resp. Dist. antec. Docet prolem contrahere peccatum originale, quia gignitur cum libidine, quæ sit causa physica traducendi peccatum, *nego ant.;* quæ sit signum evidens et infallibile quod natura humana quam ab Adamo haurimus, ab ipso fuerit vitiata, *conc. ant.* et *nego conseq.* Sensus itaque D. Augustini est quod libido, quæ sentitur in actu conjugali, sit signum corruptionis naturæ in ipsis parentibus, ex quo a posteriori, seu ab affectu, arguitur peccatum originale esse in prole hoc modo procreata.

CONCLUSIO II.

Causa proxima transfusionis peccati originalis in parvulis est seminalis generatio ab Adamo, in quo tanquam in capite morali omnes ejus posteri continebantur, non jure naturæ, nec vi pacti cum Adamo initi, sed vi decreti quo Deus in voluntate Adami voluntates omnium, qui ab eo per viam generationis naturalis

[1] Sess. 5, can. 3. — [2] D. August., lib. *contra Jul.*, cap. 5; et lib. 1 *de Nuptiis*, cap. 24; et lib. 1 *de Peccator. meritis*, cap. 6.

descensuri erant, inclusit, in ordine ad observationem vel transgressionem præcepti de non comedendo fructu vetito.

PROB. PRIMA PARS : Quæ in Trident. [1] expresse definitur his verbis : *Revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.* Hinc etiam dicimur ab Apostolo [2] *natura filii iræ,* id est generatione; ratio D. Th. [3] est, quia *peccatum originale a primo parente traducitur in posteros in quantum moventur ab ipso per generationem, sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale... nam ratio seminalis nihil aliud est quam vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifestum est quod vis activa non derivaretur ab Adam, unde non contraheret peccatum originale, sicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, si manus non moveretur a voluntate hominis, sed ab aliquo extrinsece movente.*

OBJICIES : Semen humanum utpote corporeum, animam spiritualem, quæ sola peccati subjectum est, nullatenus attingit, sed a Deo solo immediate creatur; ergo animam peccato non inficit.

RESP. *Dist. conseq.* Humanum semen peccato non inficit animam formaliter, *conc. conseq.;* virtualiter et instrumentaliter, *nego conseq. :* inficit enim animam quatenus per dispositiones, quas inducit in corpus, conjungit illam cum carne ex Adamo tracta, per quam conjunctionem anima efficitur pars constitutiva hominis, qui in Adamo peccavit.

PROB. SECUNDA PARS : Quæ asserit *Adam non fuisse morale caput jure naturæ;* quia nullum hujus rei fundamentum reperiri potest in ipsa natura; nam si eo ipso quo Adam est caput naturale hominum, habet ut etiam sit caput illorum *morale,* non erit potior ratio cur alia peccata ab illo commissa non censeantur etiam nostra, sicut unicum ejus inobedientiæ peccatum, cum omnia procedant ab eo qui

[1] Sess. 5, can. 3. — [2] Ephes. 2, v. 3. — [3] 1. 2, q. 81, art. 4.

est caput totius naturæ humanæ; atqui ex Script. et Patribus hoc unicum inobedientiæ Adæ peccatum reputatur nostrum, cætera, si quæ fuerint, reputantur illi propria: ergo Adam non fuit caput nostrum morale jure naturæ.

PROB. TERTIA PARS: Quæ asserit *Adam fuisse constitutum caput morale non ex pacto Dei cum Adam inito, sed ex solo Dei decreto*, etc., quia Deus eo modo constituit Adamum caput morale posterorum, quo consuevit dare præcepta hominibus, quia tunc Adam constitutus est caput morale, quando datum est illi præceptum de non comedendo fructu; atqui Deus, quando præcepta dat hominibus, non solet expectare eorum consensum, quasi, sublato illo, nolit præceptum obligare; nam lex Dei semel promulgata, homines velint vel nolint, obligat, cum sit supremus Dominus; ergo et in præcepto de non comedendo fructu, Deus non expectavit consensum Adami, quo se Deo obligaret tanquam caput naturæ humanæ; ergo divino tantum decreto et non ex pacto Dei cum Adam inito, hic constitutus est caput morale suorum posterorum.

OBJICIES: Adam fuit constitutus caput nostrum morale vi pacti cum Deo initi. Ergo.

RESP. *Nego ant.* Nam Adam, seposito decreto divino, non habebat jure naturæ dominium in voluntates suorum posterorum quoad bona vel damna spiritualia; ergo nullo modo potuit, seposito decreto Dei, obligare posteros, ut proprium suum peccatum reputetur peccatum posterorum.

INST. 1. *Prob. ant.* ex Aug., qui [1] illud Genesis: *masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ejus de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*, intelligit *non de imperata circumcisione, sed de ligni prohibitione*, id est de peccato originali; ergo Adam fuit constitutus caput nostrum vi pacti a Deo cum ipso initi.

[1] Lib. 16 *de Civit. Dei*, cap. 19; et lib. 1 *de Nuptiis*, cap. 11.

Resp. *Dist. conseq.* Vi pacti *formalis* positi in expresso duorum vel plurium consensu, *nego conseq.;* neque enim hoc pactum necessarium fuit Deo, qui potest de omnium hominum voluntatibus, ut supremus arbiter, disponere. Vi pacti *virtualis* posito in decreto efficaci, quo Deus voluit absolute, non expectato Adami consensu, ut esset caput morale posterorum suorum, eosque repræsentaret in observatione et transgressione præcepti de non comedendo fructu ligni vetiti, *conc. conseq.;* ex quo patet hoc pactum virtuale nihil esse quam decretum quo Deus voluntates posterorum Adami inclusit in voluntate ipsius Adami; unde D. Hier. [1] illud *pactum* vocat *legem.*

Inst. 2. Si Deus per decretum absolutum constituisset Adamum caput morale suorum posterorum, debuisset illi manifestare; atqui nullibi reperitur illius decreti Dei manifestatio facta Adamo. Ergo.

Resp. *Nego min.* Hoc enim decretum Deus manifestavit Adamo, cum illum in Paradisum terrestrem introducens, dixit: *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas, in quacumque enim die comederis, morte morieris.* Quod licet sit dictum in singulari, ei tamen dictum est tanquam capiti, illudque debebat manifestare uxori suæ, et ita posteris, ut notat Augustin. [2], et intellexit Eva cum dixit in plurali [3]: *De fructu ligni quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illum, ne moriamur.*

Inst. 3. Deus non potuit sine injustitia in voluntate Adami includere voluntates posterorum ejus in ordine ad observationem et transgressionem præcepti; ergo illas non includit.

Resp. *Nego ant.* Nam possunt Principes subditorum pupillorum voluntates includere in voluntate tutorum in ordine ad certos effectus morales; ergo a fortiori Deus, qui habet supremum in creaturas suas dominium, potuit in

[1] In cap. 6 Oseæ. — [2] Lib. 8 *Genes. ad litter.*, cap. 17. — [3] Gen. 3, v.3.

voluntate Adami includere voluntates nostras in ordine ad observationem et transgressionem præcepti de non comedendo fructu vetito.

ARTICULUS IV.

DE SUBJECTO PECCATI ORIGINALIS.

Nota. Nomine *subjecti,* hic eos intelligimus, ad quos peccatum originale transfunditur; circa quod pugnandum habemus cum Novatoribus contendentibus : 1° filios fidelium nascendo non contrahere peccatum originale; 2° Beatam Virginem labe peccati originalis infectam fuisse; contra quos

CONCLUSIO I.

Filii fidelium, non secus ac alii, contrahunt peccatum originale. Est definita in Trid. [1].

Prob. Illi contrahunt peccatum originale, qui peccaverunt in Adamo, nisi speciali privilegio a lege communi eximantur; atqui omnes qui via generationis naturalis descendunt ab Adamo, peccaverunt in Adamo, ut probatum est supra : ergo omnes, etiamsi sint a fidelibus progeniti, contrahunt peccatum originale; unde Apost. [2] de se ipso et aliis fidelium parentum filiis dicit : *Eramus natura filii iræ sicut et cæteri.*

Objicies : Illud Apost. [3] : *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem; et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Atqui si filii fidelium contraherent peccatum originale nascendo, non essent *sancti,* sed *immundi.* Ergo.

Resp. *Dist. textum. Nunc autem sancti sunt,* id est legitimi, *conc.;* id est immaculati, *nego.* Nam Apostolus hic hortatur conjuges fideles, ne deserant conjuges infideles, si velint

[1] Sess. 5, can. 3 et 4. — [2] Ephes. 2, vers. 3. — [3] 1 Cor. 7, v. 14.

pacifice cohabitare; et rationem hanc reddit, quia matrimonium non fit illegitimum per conversionem unius conjugis, alias, ait, filii talium parentum essent *immundi*, hoc est illegitimi, nunc autem *sancti sunt*, hoc est legitimi. Igitur hic locus non est ad rem accommodatus.

INST. Idem Apost. [1] ait: *Si radix sancta, et rami;* ergo qui nascuntur ex parentibus sanctis, sunt sancti.

RESP. *Dist. conseq.* Quia non loquitur Apostolus de sanctitate formali, sed de sanctitate præparatoria et in spe; ita ut sensus sit juxta Theodoretum, si Patriarchæ sancti fuerunt, ita reliquum corpus Judæorum ad fidem et sanctitatem censetur deputatum et præparatum in sanctis parentibus, quorum pietate ac diligentia pie educari ac sanctificari possunt.

CONCLUSIO II.

Licet Beata Virgo debitum habuerit contrahendi peccatum originale [2], *illud tamen non contraxit.** Ultima pars nunc est de fide decisa a *Pio IX feliciter regnante*, in *Bulla dogmatica* quæ incipit: *Ineffabilis Deus*, diei 8 decemb., ann. 1854, his terminis: Declaramus, pronuntiamus et definimus *doctrinam, quæ tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si quis secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, præsumpserit corde sentire, ii noverint, ac porro sciant, se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiæ defecisse, ac propterea, facto ipso suo, semet*

[1] Rom. 11, 2, 6. — [2] B. V. non solum ab omni debito, sed etiam ab omni periculo peccandi, fuit præservata. S. F. Salesius, tract. *de Amore Dei*, lib 2, cap. 6.

pœnis a jure statutis subjicere si quod cordi sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.

PROB. PRIMA PARS : Illa debuit contrahere peccatum originale quæ inclusa fuit in hac lege generali : *In quacumque die comederis, morte morieris* ; atqui B. Virgo fuit inclusa in illa lege generali : ergo debuit contrahere peccatum originale.

Confirmatur : Quia Beata Virgo fuit vere a Christo redempta; atqui Christus non redemit nisi qui aut actu per peccatum mortui sunt, aut secundum legem ordinariam mori debuerunt, et revera mortui fuissent, nisi per speciale beneficium a peccati labe præservati fuissent : ergo Beata Virgo secundum legem ordinariam debuit contrahere peccatum originale.

DICES : Gratia abunde præveniens, ipsum peccati debitum expungit ; atqui B. Virgo statim gratia præventa est : ergo non habuit debitum contrahendi peccatum.

RESP. *Nego maj.* Gratia enim opponitur peccato actu contracto, non autem debito contrahendi, quia ut intelligatur debitum, satis est ut B. Virgo peccatum incurrisset, nisi per prævenientem Spiritus Sancti gratiam fuisset præservata, quod verum est. Fatemur tamen post gratiæ collationem ne ipsum quidem remansisse debitum, quia debitum remissione extinguitur.

PROB. SECUNDA PARS : Quam Ecclesia semper tanquam doctrinam possedit divinitus acceptam, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere ac fovere nunquam destitit. Greg. XV [1] prohibuit *ne quisquam etiam in scriptis et sermonibus privatis audeat asserere quod Beata Virgo in peccato concepta sit,* propugnando nimirum contrariam opinionem, non autem adducendo ejus argumenta eaque solvendo : unde, licet non fuisset de fide, quia nondum definita, erat tamen fidei consona, ut declaravit Conc. Basileense [2]. Alex. vero VII decretoriis plane verbis declaravit

[1] Bulla data ann. 1622. — [2] Sess. 36.

inquiens[1]: *Sane vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam Matrem V. Mariam pietas, sentientium ejus animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum J. C. ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium.* * Item Sixtus IV, Paulus V.

Prob. Inquam 1. *Ex Script.* Gen. 3 : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et ipsa conteret caput tuum;* ubi per ly *mulierem* intelligitur B. Virgo, quam Dæmonis potestati nunquam subjiciendam fore testatur Deus : atqui si B. Virgo non fuit a peccato originali præservata, fuit aliquando Dæmonis serva, et potestati ejus subjecta. Ergo, etc. Unde per ly *caput*, in textu allato, multi intelligunt peccatum originale, quod est caput et radix omnium peccatorum, quodque contrivit B. Virgo, quia illud nunquam contraxit.

Ex cap. 4 Cant., ubi legitur : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Qui textus litteraliter intelligitur de B. Virgine, cum in eo fundetur definitio Tridentina de B. Virginis ab omni peccato actuali, etiam veniali, immunitate, quam, teste Trid.[2], tota *tenet Ecclesia;* atqui ille textus a B. Virgine removet omnem prorsus maculam : ergo ut actualem, sic et originalem.

Prob. 2. *Ex traditione* Porro ista traditio

Constat 1° *Ex Patribus.* 1. Ex Andrea Apost., qui, ut referunt præsbyteri Achaiæ[3], dicebat : *Sicut de terra immaculata factus fuerat primus homo, ita necesse erat ut de immaculata Virgine Christus nasceretur.*

2. Ex Idiota[4], qui ait : *Invenisti, Virgo Maria, gratiam cœlestem, quia fuerunt in te ab originis labe præservatio, angelicæ salutatio,* etc.

[1] Const. *Sollicitudo omnium Ecclesiar.* 8 decemb. 1661.— [2] Sess. 6, can. 23. — [3] Lib. *de Passione beati Andrex.* — [4] Cap. 6, Lib. quem inscripsit *de B. Virgine comtemplatio*, qui refertur tom. 5, biblioth. Patrum. Vixit ann. 350.

3. Ex D. Aug., qui [1] sic loquitur : *Excepta sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, dum de peccatis agitur, habere volo quæstionem; inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum.* Quæ verba diligenter sunt ponderanda.

1° Itaque dicit se nullam prorsus velle habere quæstionem de B. Virgine, *cum de peccatis agitur :* quo tam generaliter loquendi modo significat se non solum de personalibus, sed etiam de originali loqui.

2° Hoc dicit *propter honorem Domini :* atqui si honor Domini postulavit ut ejus mater per totam vitam immunis esset a peccato actuali, etiam veniali; quanto magis postulavit ut immunis esset ab originali labe mortali, propter quam fuisset Deo odibilis, serva Diaboli, et rea damnationis æternæ?

3° Dicit B. Virgini collatam fuisse gratiam *ad vincendum omni ex parte peccatum;* at quomodo peccatum *omni ex parte* vicisset, si aliquando peccato originali infecta fuisset?

4° Dicit Mariam ideo accepisse gratiam ad peccatum omni ex parte vincendum, quia fuit mater illius *quem constat nullum habuisse peccatum;* ergo accepit gratiam ut immunis esset ab omni peccato, quo caruit Christus; atqui Christus caruit peecato tum personali, tum originali: ergo et B. Virgo.

*Omnes denique Patres Ecclesiæque scriptores, cœlestibus edocti eloquiis, nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata, erudiendosque fideles elucubratis, summam Virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem ejusque præclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certatim prædicare atque efferre.

[1] Lib. *de Nat. et grat.*, cap. 23.

Hinc: 1° ad hæc verba: *Inimicitias ponam*, etc., dicunt quod sicut Christus chirographum damnationis cruci triumphator affixit, sic Maria, de hoste plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit. 2° Ab omni labe Virginis integritatem viderunt tum in arca Noe, tum in scala quam vidit Jacob, tum in rubo illo quem in loco sancto Moyses undique ardere, ac inter crepitantes ignis flammas non jam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit, tum in illa inexpugnabili turri a facie inimici, tum in horto illo concluso, qui nescit violari, tum in corusca illa Dei civitate, quæ fundamentum habet in montibus sanctis, etc. 3° Ad illam originalem Virginis integritatem describendam, ipsam augustam Virginem concelebrant uti columbam mundam, sanctam Jerusalem excelsum Dei thronum, arcam sanctificationis et domum, reginam deliciis affluentem innixam super dilectum suum, ex ore altissimo perfectam, speciosam ac penitus Deo charam, et nunquam labis nævo maculatam, terram omnino intactam, paradisum a Deo ipso consitum, et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, lignum immarcessibile, unam et solam non mortis sed vitæ filiam, non iræ sed gratiæ germen, etc.[1].*

Constat 2°, *Ex Trid.*[2] declarante *non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem, sed observandas esse constitutiones Sixti IV, Papæ, sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Ergo ab hoc suo decreto eam tacite excipit, aut saltem merito excipiendam judicat.

Constat 3°, *Ex facto Ecclesiæ*, quæ non solum omnes fideles ad cultum beatæ Virginis in sua conceptione immaculatæ indulgentiis invitavit[3], sed etiam cultum illum imperavit, festo ad hunc finem instituto et præcepto, ut patet ex

[1] Conf. Bullam præfatam SS. D. N. Pii P. IX. — [2] Sess. 5, in fine decreti. — [3] Ut constat ex decreto Sixti IV, quod confirmavit Synodus rid.

constitut. Alexandri VII [1]. Ergo ille cultus ab ea judicabatur esse objecti veri. Ergo 1° constat exinde saltem antiqua fides Ecclesiæ. Ergo 2° jam quasi definita erat immaculata conceptio, quia Ecclesia non potest consulere, multo minus præcipere sub mortali cultum vanum et superstitiosum, cum non magis possit errare in materia morum, quam in materia fidei. Ergo. Propter hanc saltem rationem pia hæc sententia per multa sæcula fuit definitioni proxima, et tantam habuit certitudinem, quantam infra certitudinem fidei haberi potest.

Constat 4° *Ex consensu* omnium fere religiosorum Ordinum, qui festum immaculatæ Conceptionis celebrarunt et propugnarunt; *ex conspiratione* omnium orbis christiani academiarum, quæ ad eam defendendam sese solemni voto obstrinxerunt, et in quarum pluribus gradus Theologici non conferbantur, nisi prius juramentum de ea tuenda præstisserint; quod si quis contrariam sententiam *suscipere ausus fuerit*, ait Universitas Parisiensis [2], *hunc honoribus nostri somnibus privatum atque exauctoratum a nobis et consortio nostro, velut ethnicum et publicanum, procul abjiciendum decernimus.*

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Textus Sacræ Scripturæ, quibus astruitur existentia peccati originalis, sunt ita generales, ut comprehendant omnes ab Adamo descendentes; ergo B. Virginem comprehendunt.

RESP. *Dist. ant.* Comprehendunt omnes, etc., quando nullum est privilegium eximens a lege communi, *conc. ant.*; quando adest tale privilegium, *nego ant.* Porro, hoc privilegium habuit B. Virgo, quæ in locutionibus Scripturæ generalibus non comprehenditur, quales sunt istæ quibus astruitur generalitas peccati actualis : *Non est homo qui non peccet. In multis offendimus omnes;* ut, juxta Trid. [3] : *Tenet Ecclesia catholica.*

[1] Edita ann. 1682. — [2] Statuto ann. 1496. — [3] Sess. 6, can. 23.

INST. Mors est pœna peccati originalis, nam *per peccatum intravit mors;* atqui B. Virgo mortem subiit. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Mors est pœna peccati originalis, vel actu, vel quoad debitum contracti, *conc. maj.;* solum actu et de facto contracti, *nego maj.* Porro, ex dictis, B. Virgo contraxit debitum peccati originalis.

OBJICIES 2. De fide est beatam Virginem a Christo fuisse redemptam; atqui si non contraxit peccatum originale, non fuit a Christo redempta. Ergo.

RESP. *Dist. min.* Si B. Virgo non contraxit peccatum originale, neque quoad actum, neque quoad debitum, non fuit redempta, *conc. min.;* si non contraxit peccatum quoad actum, bene vero quoad debitum, *nego min.* Igitur Christus sua redemptione fecit ut B. Virgo non contraheret actu et in se peccatum originale, ad quod contrahendum erat obnoxia; et hic modus redimendi est nobilissimus.

INST. Atqui ad veram redemptionem requiritur liberatio a captivitate actuali; ergo nulla solutio.

RESP. *Nego subs.* Tam etiam redimitur qui præservatur a captivitate, in quam non poterat non incidere nisi redemptoris gratia eum misericorditer præveniret, quam qui liberatur a captivitate in quam actu incidit.

OBJICIES 3. Sancti Patres, cum loquuntur de peccato originali, solum Christum eximunt. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Solum Christum eximunt per exclusionem modi exemptionis, *conc. ant.;* per exclusionem ipsius exemptionis, *nego ant.* Nam privilegium Christi in eo consistebat quod ex vi suæ conceptionis, quæ fuit supernaturalis, conciperetur Sanctus; quod de B. Virgine dici non potest, quæ vi suæ conceptionis, quæ fuit naturalis ex conjunctione viri cum femina, debuit contrahere peccatum originale, et de facto contraxisset, nisi ab eo per gratiam Christi præservata fuisset.

INST. 1. D. Aug. [1] ait : *Si sine dubio caro Christi non est*

[1] Lib. 5 *contra Julian.*, cap. 15.

caro peccati, sed similis carnis peccati, quid restat ut intelligamus, nisi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem esse peccati? Ergo caro beatæ Virginis fuit caro peccati.

Resp. *Dist. conseq.* Fuit caro peccati, quia, via naturali concepta, contraxit peccati debitum, *conc. conseq.;* quia ipsum peccatum contraxit, *nego conseq.* Namque, gratia præveniente, fuit liberata.

Inst. 2. D. Bernardus [2] reprehendit canonicos Lugdunenses, quod festum Conceptionis beatæ Virginis in sua Ecclesia instituerint.

Resp. *Nego ant.* Nam illos reprehendit tantum quod illud festum instituerint, inconsulta Ecclesia Romana: *Nam si sic videbatur,* inquit, *consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas, et non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Quæ autem dixi, absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ, cujus auctoritati atque examini, totum hoc, sicut et cætera quæ ejusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* Ergo si D. Bernardus nunc viveret, devote celebraret festum immaculatæ Conceptionis, quam videret solemniter ab Ecclesia Romana celebrari, festo ad hunc cultum præcepto sub mortali.

Inst. 3. D. Thom. [3] ait : *Christus nullo modo contraxit peccatum originale, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, juxta illud Joann.:* Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei; *sed beata Virgo contraxit quidem peccatum originale, sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur.* Ergo.

Resp. 1° : Juxta plures [4], non constat hæc esse D. Thom. verba, quia : 1° in opusc. 4 in salut. Angelic. contrarium plane affirmat; quia 2° tria exstant vetera exemplaria in quibus non reperitur objecta doctrina, sed præcise contraria. 2° Supposito tamen eum in ea fuisse sententia, eam, si nunc viveret, certissime mutaret, etiam si immaculata

[1] Epist. 174. — [2] 3 p., q. 27 art. 2, ad 2. — [3] Vide Cleric. à Bellib. in tract. *de Gratia.*

conceptio non esset definita, ex ipsomet argumento, quo ibidem [1] probat Nativitatem beatæ Virginis fuisse sanctam: *Ecclesia celebrat Nativitatem beatæ Virginis,* inquit, *non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto; ergo beata Virgo ipsa sua Nativitate sancta fuit.* Atqui Ecclesia celebravit a duobus fere sæculis festum Conceptionis beatæ Virginis ad colendam *beatam Virginem, præveniente Spiritus Sancti gratia, a peccato originali præservatam,* prout declaravit Alex. VII, instituens hoc festum [2]. Ergo, etc.

QUÆSTIO III.

DE PŒNIS SEU EFFECTIBUS PECCATI ORIGINALIS.

Nota. Effectus peccati originalis alii spectant hanc vitam, alii futuram.

ARTICULUS I.

DE EFFECTIBUS PECCATI ORIGINALIS IN HAC VITA.

Nota. Pœnæ peccati originalis in hac vita aliæ sunt corporis, aliæ animæ.

QUÆRES 1. *Quænam sunt pœnæ corporis in hac vita?*

RESP. Duæ recensentur, quarum *prima* est mors juxta illud [3]: *Deus creavit hominem inexterminabilem... invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.*

Secunda Sunt omnes hujus vitæ miseriæ, scilicet *morbi, dolores, labores,* quibus addi possunt et alii defectus extra nos, ut sunt captivitas sub Diabolo, sterilitas terræ, intemperies aeris, rebellio bestiarum et alia mala quæ a cœlo, terra marique patimur; quæ omnia expressit Spiritus Sanctus his verbis [4] : *Jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ.*

[1] 3 p., q. 27, art. 1 in argum. sed contra est. — [2] Decreto ann. 1662 edito. — [3] Sap. 2, v. 23. — [4] Eccl. 40, v. 1.

QUÆRES 2. *Quænam sunt pænæ animæ in hac vita?*

RESP. Sunt duæ. *Prima* est privatio omnium donorum gratuitorum, scilicet justitiæ originalis, qua hominis mens erat perfecte subdita Deo, et appetitus sensitivus menti; et gratiæ sanctificantis cæterorumque habituum supernaturalium, fidei, spei, charitatis, donorum Spiritus Sancti, etc., quæ omnia justitiam originalem comitabantur.

Secunda est vulnus quadruplex in anima; nempe *ignorantia* in intellectu, quæ tollit cognitionem agendorum. *Malitia* in voluntate, quæ tollit facilem et promptam inclinationem ad obediendum Deo et rationi. *Concupiscentia* in appetitu concupiscibili, quæ tollit ab illo appetitu subjectionem ad voluntatem et rationem; et sic incœpit inordinata propensio ad voluptates carnis. *Infirmitas* in appetitu irascibili, a quo tollit firmitatem, alacritatem et vehementiam ad suscipienda ardua, et removenda quæ nostrum bonum impediunt.

* *Nota.* Sicut, ex veteribus, stoici, qui ex fato, astrologi, qui ex siderum influxu, Manichæi, qui ex concreata animæ duplici bonitate vel malitia, omnia fieri docuerunt, hominibus liberum arbitrium ademerunt, sic ex novatoribus humanæ libertati bellum præcipue indixerunt omnes qui errantes circa statum primi hominis in Paradiso constituti, hæreticas etiam habuerunt sententias circa peccati originalis effectus. Hinc

1° Lutherus, Calvinus, Baius, Jansenius, quia posuerunt justitiam originalem partem esse essentialem humanæ naturæ, vel saltem illam esse debitam homini utpote partem ejus naturæ integralem, ex ejus amissione intulerunt immutatam fuisse naturam humanam. Docuerunt igitur: 1° hominem lapsum omni vera et intrinseca libertate destitutum esse, liberumque arbitrium penitus extinctum, ac proinde libertatem indifferentiæ rejiciunt, voluntque hominem factum esse in spiritualibus quasi truncum, lapidem, salis statuam. 2° Concupiscentiam verum esse pecca-

tum, ac proinde omnes hominis actiones, utpote concupiscentia infecti, totidem esse peccata; adeoque philosophorum virtutes totidem esse vitia contenderunt.

2° Rationalistæ, qui omnem ordinem supernaturalem negantes, et lapsum hominis mythice interpretantes, dicunt peccatum originale non esse nisi limitationem naturæ humanæ, hominemque ad bonum vel ad malum necessitari, prout prævalet ratio vel *sensibilitas*. Unde Christi redemptio non est nisi quædam *rehabilitatio* ad vitam rationalem, cujus Christus, ut typum se præbuit. Hos alibi refellemus, ut hic aliorum errores profligantur. Et, ut probe fiat, vera voluntatis et libertatis hominis notitia est præmittenda. Unde

§ I.

De voluntario.

Quæres 1. *Quid est voluntarium?*

Resp. Voluntarium est *id quod est a principio intrinseco, cum cognitione singulorum in quibus est actio.*

Dicitur 1. *Id :* hoc est actio, vel passio, vel omissio.

Dicitur 2. *Quod est a principio intrinseco :* nempe a voluntate, ut distinguatur a violento, quod a principio extrinseco prodit.

Dicitur 3. *Cum cognitione :* ut distinguatur a motu naturali, cujus principium est quidem internum, sed a nulla prælucente cognitione dirigitur.

Dicitur 4. *Singulorum in quibus est actio :* id est finis et circumstantiarum quæ ad actionem pertinent; quia quidquid est vere voluntarium, debet qua tale esse præcognitum. Hinc si una circumstantia agentem lateat, actio quoad illam, non erit voluntaria; unde qui percutit Clericum nesciens esse Clericum, *injustitiæ, non autem sacrilegii peccatum admittit.*

Quæres 2. *Quotuplex sit voluntarium?*

Resp. Voluntarium dividitur multipliciter.

1. In voluntarium necessarium, et liberum.

Voluntarium necessarium est illud quod ita procedit a voluntate, ut, positis omnibus ad procedendum prærequisitis, non possit non procedere; talis est amor beatificus, ad quem voluntas est determinata.

Voluntarium liberum est illud quod ità procedit a voluntate, ut, positis omnibus prærequisitis, adhuc possit non procedere, quia est indifferentia ad opposita; tales sunt omnes actiones nostræ deliberatæ.

2. Dividitur in voluntarium perfectum et imperfectum.

Voluntarium perfectum est quod procedit a voluntate ex perfecta cognitione singulorum in quibus est actio.

Voluntarium imperfectum est quod procedit a voluntate ex imperfecta cognitione finis, et mediorum ad finem.

3. Dividitur in positivum et negativum.

Voluntarium positivum est illud quod procedit a voluntate per actum ejus positivum.

Voluntarium negativum est illud quod procedit per meram voluntatis omissionem, absque actu positivo.

4. Dividitur in expressum et tacitum.

Voluntarium expressum est illud quod distincte verbo aut alio signo declaratur.

Voluntarium tacitum est illud quod distincte non declaratur, sed ex quodam facto, aut facti omissione colligitur, juxta hanc regulam juris: *Qui tacet consentire videtur.*

5. Dividitur in directum seu in se, et indirectum seu in alio.

Voluntarium directum est illud quod est in se ipso volitum, ut si quis inimicum suum pugione mactet.

Voluntarium indirectum est illud quod non quidem in seipso, sed tantum in sua causa est volitum, id est in aliquo actu, vel actus omissione, ex quibus sequitur aliud. Eo sensu volita est occisio illius qui libere se inebriat, prævidens se, cum ebrius erit, homicidii capacem fore.

Circa voluntarium directum et indirectum.

QUÆRES 1. *Quotuplex est voluntarium directum?*

RESP. *Triplex*, nempe actuale, virtuale et habituale.

Voluntarium directum actuale est ipsummet actuale exercitium voluntatis, quod fieri potest dupliciter : 1° *Per actum signatum*, dum quis per reflexionem signat actum quem exerciturus est, dicens : *Volo hoc facere*, v. gr. consecrare. 2° *Per actum exercitum*, cum quis, sine tali reflexione, super suum actum attente agit. Sic Sacerdos consecraturus, qui sine reflexione super suum actum, attente et cum plena sui cognitione, profert verba consecrationis, vult consecrare *in actu exercito*.

Voluntarium directum virtuale est voluntarium actuale quod præcessit, ac moraliter perseverat in agente, quamdiu non fuit revocatum per contrariam volitionem; talis est intentio in Sacerdote, qui, ex voluntate actuali consecrandi, Missam inchoat, sed paulo post ita distrahitur, ut amplius non advertat ad id quod facit; nihilominus consecrat virtute intentionis quam habuit et quæ moraliter perseverat.

Voluntarium habituale est illud quod fuit actu elicitum, nec fuit revocatum, sed est vel somno, vel vino, vel notabili temporis mora interruptum, ita ut non influat in actum humanum, nec per se, nec per virtutem a se relictam. Sed de his plura, du magemus de intentione Ministri sacramentorum, ubi mentem nostram commodius explicabimus.

§ II.

De voluntario libero, seu de libertate.

Nota 1. Libertas, secundum vim nominis, idem est ac immunitas a servitute, et ideo totuplex est libertas, quotuplex est servitus; atqui quadruplex est servitus, peccati scilicet, miseriæ, coactionis et necessitatis simplicis. Ergo, etc.

Libertas a peccato habetur per gratiam, reddifque hominem sanctum; — libertas a miseria habetur per gloriam, redditque hominem beatum; — libertas a coactione habetur per spontaneitatem, redditque hominem sponte volentem; — libertas a necessitate simplici habetur per indifferentiam voluntatis, redditque hominem perfecte liberum; de duobus ultimis hic agimus. Ideo sit :

Libertas a coactione, seu spontaneitatis, est immunitas ab omni violentia contra voluntatis propensionem ab extrinseco illata. Hæc dicitur *essentialis,* quia est inseparabilis ab homine, cujus voluntas non potest cogi quoad actus suos internos, et convenit omni qui non coacte, sed sponte agit, etiamsi necessario agat; hoc sensu Pater in divinis libere generat Filium.

Libertas a necessitate simplici, quæ etiam *electionis, indifferentiæ et arbitrii* dicitur, eo quod per illam unum præ alio eligi possit, et *accidentalis,* eo quod in homine esse et abesse possit, vulgo definitur : *Potentia activa quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest ex se agere, vel non agere, aut hoc agere vel ejus contrarium.* Explico :

Dicitur 1. *Potentia activa;* voluntas nempe, quæ, *a Deo mota et excitata, cooperatur, assentiendo Deo vocanti et excitanti,* ut definivit Concilium Tridentinum. [1]

Dicitur 2. *Quæ positis omnibus,* etc.; si enim unum ex prærequisitis ad agendum desit, profecto in actum potentia prorumpere nequit.

Dicitur 3. *Potest ex se;* id est non ab alio determinante, sed ex sua propria determinatione, cum voluntas sit potentia suorum actuum domina et arbitra.

Dicitur 4. *Potest agere vel non agere;* v. g. amare vel non amare, et est libertas *contradictionis et exercitii.*

Dicitur 5. *Aut hoc agere vel ejus contrarium;* v. g. eligere bonum vel malum, virtutem vel vitium, et est libertas *contrarietatis* seu *specificationis.*

[1] Sess. 6, can. 4.

Nota 2. Libertati opponitur necessitas, quæ est determinatio ad unum, et multipliciter dividitur :

1° In necessitatem antecedentem seu absolutam, quæ etiam *consequentis* dicitur; 2° in necessitatem consequentem seu conditionatam, quæ etiam *consequentiæ* dicitur :

Necessitas antecedens est ea, quæ vel rationis et voluntatis usum antecedit, ut fit in motibus primo primis, et dicitur involuntaria seu indeliberata; vel quæ, licet fiat ex plena rationis advertentia, sic tamen voluntatis consensum indeclinabiliter antecedit, ut eum invincibiliter et insuperabiliter exprimat, sive *immutabiliter*, qualis est necessitas amandi Deum intuitive visum; sive *mutabiliter et transitorie*, qualis in sententia Jansenii inducitur ex delectatione relative superiori sive ad malum, cui voluntas nec unquam vult, vel velle potest resistere relative, id est in his quibus versatur circumstantiis.

Necessitas consequens est ea, quæ liberam voluntatis determinationem sequitur; tali necessitate necesse est me loqui, si ad loquendum me determinaverim.

2. Dividitur in necessitatem specificationis et exercitii.

Necessitas specificationis est determinatio facultatis ad objectum, ita ut in oppositum ferri non possit; sic Christus ita ad bonum erat determinatus ut non potuerit peccare.

Hæc necessitas *specificationis* ad unum, non impedit libertatem *exercitii* circa idem; sic Christus qui, ratione suæ impeccabilitatis, determinatus erat ad bonum, liber tamen fuit quoad exercitium in hoc vel illo bono prosequendo.

Necessitas exercitii est determinatio facultatis ad actum, ita ut ab isto actu non possit abstinere : sic Deus ab amore sui non potest abstinere.

Hæc necessitas *exercitii* circa unum, non impedit libertatem circa aliud : sic Deus libere amat creaturas.

3. Dividitur in necessitatem physicam et moralem.

Necessitas physica est antecedens naturalis ad unum de-

terminatio, qua voluntas ita vult unum ut aliud hic et nunc velle non possit.

Necessitas moralis est summa difficultas vel operandi bonum, vel abstinendi a malo, quæ tamen actu et de facto vinci potest, qualis ex inveteratis habitibus contrahitur.

Nota 3. Tota et integra servatur libertas arbitrii cum sola indifferentia contradictionis, dempta indifferentia contrarietatis ad malum, quæ ad naturam et perfectionem libertatis non pertinet, imo potius ad ejus defectum et imperfectionem, juxta illud Div. Thom. [1] : *Quod liberum arbitrium eligat divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis*. Nam Deus est liber erga creaturas, quanquam malum agere non possit. Unde cum apud Scripturam et Patres liberum arbitrium describitur per indifferentiam ad bonum et malum, tunc non describitur per id quod est essentiale illi generatim sumptæ, prout Deo, Angelis et hominibus convenit, sed per merum statum illi accidentalem, quem scilicet habet in omnibus viatoribus, quorum voluntas ad bonum et malum est flexibilis.

Nota 4. Subjectum libertatis aliud est *mediatum*, seu denominationis, et est omnis et sola natura intellectualis, cum liberum arbitrium supponat eminentem quemdam cognoscendi modum, qui non reperitur nisi in naturis intellectualibus. Aliud *immediatum*, et est sola voluntas; nam liberum arbitrium ad illam solam facultatem pertinet, cujus est eligere, cum actus proprius liberi arbitrii sit electio; atqui solius voluntatis est eligere, cum eligere nihil aliud sit quam unum velle præ alio, vel unum velle potius quam nolle. Ergo.

Potest tamen dici quod libertas arbitrii sit in intellectu, non quidem *formaliter*, cum intellectus non sit facultas electiva et actuum suorum domina, sed *radicaliter*, quatenus ad actum liberum requiritur indifferentia judicii, hoc est tale rationis judicium quo voluntati objectum proponi-

[1] 1 p., q. 62, art. 8, ad. 3.

tur ut non necessario, sed libere et indifferenter amandum, nempe propter varias boni et mali species, quæ nobis in propositis objectis permixtæ in hac vita repræsentantur, juxta Div. Thom.[1] dicentem : *Ex hoc enim voluntas libere potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni.*

His positis, quærendum nobis est :

1° Utrum ad liberum arbitrium sufficiat libertas a coactione?

2° Utrum, ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, requiratur libertas a necessitate etiam simplici, seu invincibili ad unum determinante?

3° Utrum homo lapsus habeat libertatem a necessitate, et indifferentiam ad utrumlibet? His positis,

CONCLUSIO I.

Ad liberum arbitrium non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a simplici necessitate. Est contra Jansenium[2].

Prob. 1. Auctoritate Summorum Pontificum Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII, a quibus damnatæ sunt hæ propositiones Baii : *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Ergo liberum arbitrium non consistit in solo voluntario, seu quod idem est, ad libertatem arbitrii ad merendum vel demerendum necessariam, non sufficit sola libertas a coactione.

Prob. 2. Quia ea sola potentia est libera libertate arbitrii, quæ, positis omnibusad agendum prærequisitis, potest agere et non agere; ergo ea potentia libera non est libertate arbitrii, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, non potest actum suum suspendere, sed invincibili necessitate ad unum determinatur; nec refert quod illa

[1] Lib. 4 *de Statu nat. lapsæ*, cap. 24. — [2] Lib. 6 *de Grat. Christi per totum.*

necessitas sit fluxa et transiens, quia perinde reddit suspensionem actus impossibilem, ac si esset perpetua et immutabilis.

Prob. 3. Liberum arbitrium ex D. Thom. [1] est *vis elective mediorum;* sed vis electiva non potest subsistere cum antecedenti necessitate et intrinseca determinatione, ex eodem D. Thom. dicente [2] : *Cum electio sit præacceptio unius respectu plurium quæ eligi possunt, et ideo in his quæ sunt determinata ad unum, electio locum non habet;* ergo liberum arbitrium non potest subsistere cum necessitate antecedente, etiam simplici et voluntaria.

Prob. 4. Ad libertatem arbitrii essentialiter requiritur ut agens sit dominus suorum actuum, juxta illud Apostoli [3] : *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis;* atqui per solam libertatem a coactione voluntas non est domina suorum actuum, cum sit ad unum determinata : nam ex D. Thom. [4] : *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle vel non velle, excludit determinationem voluntatis ad unum, et violentiam causæ exterius agentis.* Et ex Div. August. [5] : *Hoc quisque habere in potestate dicitur quod si vult facit, si non vult non facit.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. cum Jansenio. Liberi arbitrii ratio in eo consistit quod actus nostros habeamus in nostra potestate; atqui actus pure spontanei, seu a sola coactione immunes, sunt in nostra potestate; ergo sunt liberi : ergo liberum arbitrium salvatur in sola spontaneitate. Resp. *Nego min.*

Prob. ex Aug. [6] dicente : *Illud nos habere in potestate dicimur, quod cum volumus facimus;* sed actus pures pontaneos et necessarios facimus, cum volumus; ergo sunt in nostra potestate.

[1] 1 p., q. 61, art. 8. — [2] 1, 2, q. 13, art. 2. — [3] 1 Cor. 7. — [4] Lib. 1 *contra Gent.*, cap. 68. — [5] *De Spiritu et littera*, cap. 31. — [6] Lib. *de Lib. Arbitr.*, cap. 3.

Resp. *Dist. maj.* Illud habemus in potestate quod, cum volumus, facimus, ita ut possit non fieri, *conc. maj.;* ita ut non possit non fieri, *nego maj.;* atqui actus necessarios facimus cum volumus, ita ut non possimus ipsos non facere, *conc.;* ita ut possimus ipsos non facere, *nego min.* Itaque ad liberam volitionem non satis est quod fiat cum volumus, sed requiritur ut possit non fieri, seu potestas ad oppositum; patet ex ipso Aug. [1] dicente : *Hoc quisque habere in potestate dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.* Favet etiam communis et usitatus loquendi modus, secundum quem, cum dicimur *facere aliquid cum nolumus*, aut *si nolumus*, subintelligi solet, *et non facere cum volumus*, aut *si volumus*, ita ut sit in nostra potestate facere prout libet; hinc apprime dicimus Deum posse creare alterum mundum *cum volet* aut *si volet;* sed male prorsus diceremus Deum Patrem posse generare filium *si vult*, aut *cum vult*, quia nempe iste modus loquendi significat potestatem ad oppositum, quæ in prædicto exemplo deest, nam ut ait Div. Thom. [2] : *Actus naturales non sunt in potestate naturalis agentis, cum natura sit determinata ad unum.*

Observa, ad solutionem objectionum, multos Patres ac etiam Theologos, qui ante exortos Baii et Jansenii errores scripsere, has voces : *necessitas* et *coactio, voluntarium spontaneum* et *liberum, cogi* et *necessitari*, sæpius confundere et pro eodem sumere; sed tunc per *coactionem* intelligunt *necessitatem* etiam simplicem nec violentam; per ly *cogi*, intelligunt *necessitari* aliquando violente per coactionem, aliquando non violente per necessitatem simplicem. Per ly *voluntarium* et *spontaneum*, intelligunt *liberum;* imo quandoque sumunt liberum pro voluntario necessario; quare voces illæ pro subjecta materia ad illorum mentem sunt exponendæ.

Inst. 1. D. Aug. [3] asserit : *Nihil tam esse in nostra potestate quam ipsam voluntatem;* ergo actus est in nostra potestate

[1] Lib. *de Spiritu et litter.*, cap. 31. — [2] 1, 2, q. 21, art. 2 ad 2. — [3] Lib. *de Spiritu et litter.*

eo ipso quo est actus voluntatis; sed actus necessarius est actus voluntatis. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Nihil tam est in nostra potestate quam ipsa voluntas, sumpta formaliter ut est voluntas, *conc. ant.;* sumpta ut est natura, *nego ant.;* et sic ad consequens.

Itaque voluntas, formaliter sumpta ut est voluntas, est potentia sui ipsius determinativa per electionem; voluntas ut est natura, est eadem potentia, quatenus est appetitus ad unum determinatus; utrumque distinguit Div. August. agens cum Felice Manichæo : *Cum Dominus dicit,* inquit, *aut hoc facit, aut illud, potestatem* (id est voluntatem) *indicat, non naturam;* et D. Thom. [1] : *Eorum voluntas est principium quæ possunt sic vel aliter esse; eorum autem quæ non possunt nisi sic esse, natura est principium.*

Inst. 2. Voluntas nunquam agit per modum naturæ; ergo libera est in omnibus actibus suis, etiam necessariis. Resp. *Nego ant.*

Prob. Voluntas differt a natura et contra illam distinguitur a SS. Patribus. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* cum D. Thom. [2] : voluntas reduplicative sumpta differt a natura, et contra illam distinguitur formaliter, sicut animalitas hominis distinguitur a rationalitate ejusdem, *conc. ant.;* voluntas realiter sumpta differt natura, et contra illam distinguitur realiter. *Nego ant. et cons.*

Itaque voluntas et appetitus naturalis sunt una et eadem realiter potentia volendi, quæ ratione distinguitur propter duplicem operandi modum, unum per modum naturæ ad unum determinatæ, alterum per modum facultatis activæ indifferentis ad opposita, quæ voluntas proprie et stricte dicitur; ac proinde falsum est quod voluntas late dicta, seu potentia volendi nunquam agat per modum naturæ.

Objicies 2. Sancti Patres asserunt solam coactionem officere libertati. Ergo, etc.

[1] 1 p., q. 41, art. 2. — [2] Q. 22 *de Verit.*, art. 5, ad 6.

Prob. ant. 1. Ex D. Aug. [1] definiente libertatem. *Motum animi cogente nullo.* 2. Ex D. Bernardo [2], qui rationem reddens cur consensus voluntatis sit liber libertate arbitrii, *quia,* ait, *non cogitur, non extorquetur.* 3. Ex Div. Thom. [3] dicente : *Liberum arbitrium dicitur ex eo quod cogi non potest.* Ergo ex Patribus sola coactio officit libertati arbitrii.

Resp. *Nego conseq.* Quia sancti Patres has voces, *cogi* et *coactio,* non sumunt stricte pro violentia proprie dicta quæ repugnat actibus a voluntate elicitis, sed late pro quacumque necessitate antecedente ad unum insuperabiliter determinante; quod vero hæc interpretatio sit legitima.

Constat 1. ex Div. Aug. qui, disp. 1. contra Fortunatum Manichæum, ait: *Quomodo habemus peccata, si natura contraria nos cogit facere quod facimus? Qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat;* ubi ly *cogitur* ex ejus interpretatione, pro ly *cogitur necessitate,* seu necessitatur, sumitur.

Constat 2. ex textu citato D. Bernardi; ait enim: *Aliud est voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus : hunc communem habemus cum bestiis; consensus voluntarius nos discernit, est enim habitus liber sui secundum quod non cogitur, non extorquetur;* atqui si per consensum voluntarium qui *non cogitur, non extorquetur,* intelligeret solam libertatem a coactione, nos non discerneret a bestiis: ergo per consensum voluntarium intelligit libertatem a simplici necessitate.

Constat 3. ex Div. Thom. [4], qui verbum *cogitur* evidenter sumit pro *necessitatur,* dicens : *Intellectus demonstrationis vi cogitur,* id est necessitatur ad assentiendum.

Inst. D. Thom. [5] ait : *Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis.* Ergo non censet necessitatem repugnare libertati arbitrii, sed duntaxat coactionem.

Resp. *Dist. ant.* Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut est natura, *conc. ant.;* ut est facultas sui ipsius

[1] Lib. *de Duab. animab.*, cap. 10. — [2] Lib. *de Grat. et lib. Arb.* — [3] In 2, dist. 25, quæst. unica, art. 4. — [4] In 2. dist. 25, art. 2. — [5] 1, 2 p., q, 82, art. 1, ad 1.

determinativa per electionem, *nego ant.* Loquitur itaque D. Thom. de libertate spontaneitatis, cui utique sola coactio et violentia opponitur; nam huic objectioni ex Div. August.[1] desumptæ : *Quod si aliquid est necessarium, non est voluntarium,* respondet : *Dicendum quod verbum Augustini est intelligendum de necessario necessitate coactionis, necessitas enim naturalis non aufert libertatem voluntatis.*

Objicies 3. Omnis actus perfecte voluntarius, tametsi necessarius, est liber libertate arbitrii; ergo sola coactio repugnat libero arbitrio. Resp. *Nego ant.....*

Prob. Actus perfecte voluntarius fit a voluntate, ex plena rationis advertentia et perfecta intellectus cognitione. Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Hoc enim non sufficit ut actus voluntatis sit liber libertate arbitrii, sed requiritur ut fiat a voluntate active indifferente, et consequenter ut dirigatur judicio rationis indifferenter proponentis objectum, hoc est neque ut necessario prosequendum, neque ut necessario fugiendum, sed tale ut voluntas pro sua indifferentia activa possit illud vel prosequi, vel non prosequi.

Inst. 1. Voluntas in actibus perfecte voluntariis seipsam movet; ergo actus illi sunt liberi libertate arbitrii.

Resp. *Nego ant.* Nam ex Div. Thom. voluntas stricte loquendo non movet seipsam, nisi cum est domina sui actus; atqui voluntas non est domina sui actus, nisi cum potest illum pro arbitrio exercere : ergo non movet seipsam proprie, nisi cum agit sine ulla necessitate antecedente.

Inst. 2. Actus perfecte voluntarius, etiam necessarius, est actus humanus. Ergo est liber.

Resp. *Dist. ant.* Est actus humanus late dictus, *conc. ant.;* stricte et proprie dictus, *nego ant.;* nam, ut docet D. Th.[2], illæ solæ actiones vocantur proprie humanæ, quarum homo est dominus, et quæ ex voluntate deliberata procedunt; atqui homo non est dominus eorum actuum quos pro-

[1] Lib. 5 *de Civit. Dei.* — [2] 1, 2, q. 20, art. 10, in corp.

ducit ex necessitate et sine prævia deliberatione. Ergo.

INST. 3. Actus voluntatis necessarii sunt in nostra potestate; ergo sumus eorum domini.

RESP. *Nego ant.* Illi enim soli actus sunt in nostra potestate, quos possumus pro arbitrio ponere vel non ponere; atqui non possumus pro arbitrio ponere vel non ponere eos actus, quos ex antecedenti et ineluctabili necessitate intrinseca producimus. Ergo, etc.

INST. 4. Amor beatificus, quo Beatus necessario diligit Deum, est in potestate Beati : ergo et actus nostri necessarii. RESP. *Nego ant...*

PROB. Voluntas Beati potest suspendere amorem beatificum; ergo amor beatificus est in potestate Beati. RESP. *Nego ant ....*

PROB. Si Beatus non vellet amare Deum, non amaret; ergo potest suspendere amorem beatificum.

RESP. *Nego ant.* Beatus enim non potest non velle amare Deum, cum a diligendo Deo temperare se, felici necessitate, non possit; illudit ergo Jansenius, cum [1] dicit : *Quod possint illi* (Beati) *volitionem suam mutare, si vellent.*

OBJICIES 4. Si libertas arbitrii posita esset in indifferentia agendi vel non agendi, habitus boni vel mali tollerent libertatem arbitrii; nam tollerent indifferentiam et inclinarent in unam partem contradictionis aut contrarietatis; falsum consequens. Ergo.

RESP. *Nego sequelam maj.* Quia habitus boni vel mali non tollunt nisi indifferentiam propensionis; liberum autem arbitrium non consistit in indifferentia propensionis, qua fit ut facultas sit in quodam æquilibrio, nec magis propendeat in unam partem quam in aliam; sed consistit in indifferentia activa ad agendum vel non agendum, quam facultatem non tollunt nec minuunt habitus; quia sic inflectunt in unam partem, ut non determinent ad unum: ergo non tollunt, nec minuunt libertatem arbitrii.

[1] Lib. 6 *de Gratia Christi*, cap. 35.

CONCLUSIO II.

Ad merendum vel demerendum in præsenti statu naturæ lapsæ, requiritur libertas indifferentiæ, seu a simplici necessitate, nec sufficit libertas a coactione.

Est de fide contra Jansenium, cujus hæc propositio : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione;* damnata est ab Innocentio X, ut hæretica; ergo nostra propositio huic contradictoria est de fide. Præiverant Summi Pontifices Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII, qui damnarunt hanc Baii prop.: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

Prob. 1. *Ex Script.* [1] : *Beatus... qui potuit transgedi et non est transgressus, facere mala et non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino.*

Hic exprimit Script. libertatem requisitam ad laudabilitatem et rationem meriti, et illam constituit in eo quod, quis non transgrediatur mandata, cum posset transgredi, nec mala faciat, cum posset facere : hoc est in eo quod sine antecedenti necessitate mandata servandi et mala vitandi, mandata servet et mala vitet : ergo ad merendum requiritur libertas indifferentiæ.

Prob. 2. *Ex Patribus,* maxime ex D. Aug. quem unum pro cæteris omnibus habent Jansenius et discipuli. Prob. inquam, sic :

D. Aug. excludit ab homine lapso omnem necessitatem ad bonum vel ad malum determinantem. Ergo.

Prob. ant. 1. D. Aug. [2] hæc verba D. Hier. [3] referens : *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio nec corona est;* illa approbat, dicens : *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget*

[1] Eccl. 31. — [2] Lib. *de Nat. et Grat.*, cap. 65. — [3] Lib. 2 *contra Jovin.*

esse naturam? Sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis.

2. D. Aug. contra Faustum [1] ait : *Liberum arbitrium, quo vel bene, vel male vivitur, propter justum judicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicamus.*

3. Lib. *de Grat. et lib. Arb.*, cap. 4, ait : *Si dixerit* (homo) : *Volo servare præcepta, sed vincor a concupiscentia mea : respondet Scriptura libero ejus arbitrio : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

4. Lib. 3. *de lib. Arb.*, cap. 18. *Quæcumque*, inquit, *ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei* (causæ) *ceditur; si autem potest* (resisti), *non ei cedatur et non peccabitur; quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem; caveri igitur potest.*

Porro, in citatis testimoniis, D. Aug. a libertate arbitrii excludit omnem prorsus necessitatem, ac proinde illam simplicem, quam Jansenius ex motione indeliberata vel dominantis gratiæ vel dominantis cupiditatis, oriri arbitratur.

Prob. 3. *Ex D. Thom.*, quem ideo addo Augustino, quia Janseniani eum perpetuo adjungunt ipsi Augustino. Itaque

Quæst. 6. *De Malo*, art. unico, ait : *Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum, sed solum id cujus principium est extra. Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit; est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones, quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum et punitio, et laus et vituperium.*

Integrum hunc textum ideo retuli, quia decretorium

[1] Lib. 2, cap. 5.

prorsus est adversus errorem Jansenii; manifeste enim distinguit sanctus Doctor simplicem necessitatem a coactione, contenditque esse hæresim admittere in voluntate talem necessitatem, qua fiat ut homo vitare aliquid non possit: sic enim omnis meriti vel demeriti ratio tollitur.

Prob. 4. *Ratione*. Quia, ut quis mereatur vel demereatur, debet habere dominium suæ actionis, et de ea disponere prout vult; atqui agens ex necessitate, etiam simplici, non habet dominium suæ actionis, nec de ea potest disponere prout vult tanquam dominus : ergo agens ex necessitate, etiam simplici, non potest mereri nec demereri.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas indifferentiæ, sed libertas a simplici necessitate, etc.

Prob. ant. D. August. agnoscit in homine lapso peccandi necessitatem; ergo ad merendum, etc. Resp. *Nego ant.*

Prob. Lib. 1 *Operis Imperfecti contra Julianum*, cap. 105, ait: *Cogitare te existimo quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore dicatur. Qui autem hoc nesciunt, ipsa boni appetendi malique vitandi ignorantia, patiuntur peccandi necessitatem;* ergo Div. August. agnoscit, etc.

Resp. *Dist. conseq.* Agnoscit necessitatem peccandi consequentem, *conc.;* antecedentem, *nego;* nam loquitur D. Doctor de peccatis quæ fiunt ex ignorantia culpabili, quæ per diligentiam potuit vinci, nec tamen victa est, et ex qua qui peccat, necessitate peccat, non quidem antecedente, sed consequente liberam positionem causæ peccati, nempe ignorantiæ; atqui necessitas consequens non officit libertati, cum supponat liberam ipsius determinationem, et ex ea oriatur.

Inst. 1. Div. August. ibi agit de ignorantia invincibili; ergo agnoscit in homine lapso peccandi necessitatem antecedentem. Resp. *Nego ant...*

PROB. Div. August. ibi agit de ignorantia quæ est pœna peccati; atqui talis ignorantia est invincibilis. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Quæ est pœna peccati simul et peccatum, *conc. maj.;* quæ est pœna peccati tantum, *nego maj.;* atqui ignorantia quæ est pœna peccati, est invincibilis, si sit pœna tantum, *conc. min.;* si sit pœna simul et peccatum, *nego min. et conseq.* Loquitur itaque D. August. de ignorantia, sicut [1] loquitur de cupiditate, quæ *jam ita est peccatum, ut sit etiam pœna peccati.*

INST. 2. August. [2] ait : *Aliud est non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari : aliud intelligere velle et non posse; et facere contra legem; non intelligendo quid fieri velit;* ergo ex Aug. homo peccat non solum per ignorantiam vincibilem, sed etiam per invincibilem.

RESP. *Dist. conseq.* Homo peccat per ignorantiam invincibilem, peccato materialiter sumpto, *conc.;* peccato proprie et formaliter dicto, *nego conseq.:* nam ex D. August. [3] : *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras;* ergo ut ignorantia imputetur ad culpam, debet esse cum negligentiæ labe conjuncta.

INST. 3. Lib. 1 *Operis Imperfectis,* cap. 106, ait : *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi;* ergo ad demeritum non est necessaria libertas a necessitate.

RESP. *Dist. conseq.* Non requiritur libertas a necessitate morali, *conc.;* a necessitate antecedenti physica, *nego conseq.* Nam D. August. loquitur de necessitate morali quæ vinci potest per gratiam Christi; addit enim : *Sed non ut obsit ista necessitas, donat ille qui dicitur : De necessitatibus meis erue me.*

OBJICIES 2. D. Th. [4] ait : *Liberum arbitrium Christi, etiamsi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non potest), tamen ex hoc non amittit libertatem,*

[1] Lib. 1 *Retract.*, cap. 15. — [2] Lib. *de Natura et gratia*, cap. 17. — [3] Lib. 3 *de lib. Arbitr.*, cap. 19. — [4] In 3, dist. 18, q. 1, 2.

aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, et ita est actus sui dominus. Ergo ex D. Thom. ad meritum sufficit libertas a coactione.

Resp. *Nego conseq.* Nam D. Thom. per ly *non coacte, sed sponte*, intelligit immunitatem a quacumque necessitate antecedenti, etiam ea quæ simplex dicitur; et hoc aperte colligitur ex his ejus verbis : *Et ita est sui actus dominus;* certum est autem dominium in actum stare non posse cum simplici necessitate, cum Div. Thom. dicat : *Sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere... unde appetitus ultimi finis non est de his, quorum domini sumus.*

Inst. 1. Quærendo quo sensu D. Thom. dicat voluntatem Christi, licet fuerit antecedenter determinata ad amandum Deum, tamen ex hoc non amisisse libertatem, neque rationem laudis et meriti circa actum diligendi Deum?

Resp. Quia Christus, ex actus diligendi Deum imperio, potuit ad placendum Deo hos vel illos actus exercere pro arbitrio, et absque antecedenti ad unum potius quam ad alium determinatione, et ita non *coacte, sed sponte;* id est non ex necessitate, sed ex electione tendebat in Deum, quem non poterat non amare; et sic voluntas Christi cum amore necessario quo diligebat Deum, retinebat libertatem arbitrii, et rationem laudis et meriti. Hæc responsio est D. Thom. dicentis [1] : *Licet anima Christi esset determinata ad unum secundum genus moris, scilicet ad bonum, non tamen erat determinata ad unum simpliciter; poterat enim hoc vel illud facere et non facere, et ideo libertas in illo remanebat quæ requiritur ad merendum.*

Inst. 2. D. Th. [2] sic ait : *Laus et vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem, qualis non invenitur in brutis;* ergo ad laudem et vituperium sufficit libertas a coactione.

[1] Q. 29 *de Veritate*, art. 6, ad 1. — [2] 1, 2, q. 6 art. 2, ad 3.

Resp. *Nego conseq.* Quia per *voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem*, intelligit illud quod fit ex prævia deliberatione; sic enim mentem suam explicat in corpore ejusdem articuli : *Perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet, apprehenso fine, aliquis potest deliberans de fine et de his quæ sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri.* Quod autem fit ex deliberatione, fit sine antecedenti determinatione ad unum, ut docet ibidem, in resp. ad secundum : *Ex hoc quod ratio se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest.*

Objicies 3. Saltem in statu naturæ lapsæ, ad peccatum mortale et demeritum sufficit illa libertas quæ reperitur in causa, nimirum in peccato originali et voluntate Adami peccantis; ergo, licet homo lapsus a sua concupiscentia necessitetur ad peccandum, vere imputabiliter peccat ac demeretur.

Resp. *Nego ant.* Quia peccata personalia debent procedere a voluntate et libertate quæ sit physice nostra, non autem a voluntate et libertate quæ sit tantum nostra moraliter; nam cum omne peccatum sit essentialiter liberum, peccatum personale debet esse liberum libertate personali et physice propria peccantis. Hinc Alex. VIII [1] damnavit hanc prop. : *In statu naturæ lapsæ, ad peccatum mortale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium fuit in causa sua, peccato originali et voluntate Adami peccantis.*

Objicies 4. Christus circa mortem subeundam non fuit liber a necessitate, cum non potuerit transgredi præceptum a Patre acceptum de morte subeunda; atqui tamen Christus per mortem meruit, sibi quidem *nomen quod est super omne nomen* [2], nobis vero gratiam et gloriam. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Et dico Christum in morte subeunda fuisse liberum [3]. *Ego pono animam meam ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso;* nec tamen potuisse transgredi mandatumPatris; ut enim vere

[1] Decreto dato 7 sept. ann. 1690. — [2] Philipp. 2. — [3] Joann. 10.

fuerit liber absque eo quod præceptum transgredi posset, satis est quod mandati hujus dispensationem petere potuerit; atqui dispensationem hanc petere potuit Christus, juxta illud [1]. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?*

CONCLUSIO III.

Homo lapsus est liber ad bonum et malum, non solum libertate a coactione, sed etiam necessitate simplici antecedente.

Est contra Jansenium, qui docet in præsenti statu naturæ lapsæ hominem nunquam bonum aut malum operari ex propria determinatione, sed solum sponte et non coacte, prout a delectatione cœlesti ad bene, vel a delectatione terrena ad male agendum prædeterminatur. Idem prius docuerant Lutherus et Calvinus. Itaque

Prob. 1. *Ex Script.*, Gen. 4, ubi Deus sic Cain alloquitur: *Quare iratus es? et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies* (mercedem boni operis)? *sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus*, scilicet peccati, *et tu dominaberis illius;* certe appetitus. Quid clarius pro arbitrii libertate dici potuit? Unde textum Jerosolymitanum ita vertit: *In manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, et tu dominaberis ei, sive ad bonum, sive ad malum.*

Eccl. 15: *Deus ab initio constituit hominem*, et: *Reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te... apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Eo loco vera exprimitur libertas a necessitate, etiam simplici et voluntaria; atqui hic locus non debet restringi ad Adam ante lapsum, ut restringitur a Calvino; nam Ecclesiasticus Judæos tunc viventes increpat quod dicerent, per

[1] Matth. 26, v. 53.

Deum stare quominus ipsi bene ac sapienter vitam instituerent : *Non dixeris*, inquit, *per Deum abest ; quæ enim odit, ne feceris*. Unde S. Aug. [1], post relata Ecclesiastici verba, statim addit : *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium*.

Deuter. 30, Moyses Israelitas sic alloquitur : *Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem ; eligе ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum*.

Ex quo sic argumentor : Homo lapsus potest eligere vitam vel mortem ; ergo est liber ab omni necessitate antecedente, etiam simplici et voluntaria. Dicat enim Jansenius, quomodo potest vitam vel mortem eligere, qui ad alterutrum, necessitate ex delectatione superiori eaque indeliberata profluente, determinatur?

Prob. 2. Ex Aug. [2] dicente : *Esse liberum arbitrium, atque inde peccare quemque si velit, non peccare si nolit... audi Dominum dicentem* : Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum ; aut facite arborem malam et fructum ejus malum ; *cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, potestatem* (id est libertatem) *indicat, non naturam... habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt et esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt et esse arbor mala*. Quid clarius ?

Prob. 3. Ex conc. Trid. [3] definiente : *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit... anathema sit ;* quo can. percellitur sententia Lutheri et Calvini ; atqui Lutherus et Calvinus asserebant amissam esse libertatem a necessitate simplici, nec unquam negarunt inesse homini lapso libertatem a coactione, ut constat ex Luthero [4] dicente : *Mera lubentia, pronitate, ac sponte sua vult et facit* voluntas nostra ; et Calvino [5] : *Si coac-*

[1] Lib. *de Grat. et lib. arb.*, cap. 2. — [2] Lib. 2 *de actis cum Felice Manich.*, cap. 3. — [3] Sess. 6, can. 5. — [4] Lib. *de Servo arb.*, fol 434. — [5] Lib. 2 *contra Pighium*.

tioni apponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor et constanter assevero : si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, et violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror. Ergo liberum arbitrium quod Concilium definit non esse amissum, est libertas ab omni necessitate simplici antecedente intrinseca, etiam voluntaria, non autem libertas a coactione.

Confirmatur ex præcedenti conclusione : si enim ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ necessaria est libertas indifferentiæ, cum aliunde certum sit fide divina quod homo in statu præsenti possit mereri et demereri, et reipsa mereatur et demereatur, ut fatentur adversarii; sequitur quoque esse certum fide divina quod homo in præsenti statu habeat libertatem indifferentiæ.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Ille non est liber libertate indifferentiæ, qui non habet in potestate vias suas; atqui homo lapsus non habet in potestate vias suas, juxta illud[1] : *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos.* Ergo.

Resp. *Dist. min.* Homo lapsus non habet in potestate vias suas, quoad executionem et successum suarum actionum, *conc. min.;* quoad productionem operum salutarium, *subdist.;* non habet, etc., solus et sine Dei auxilio, *conc. min.;* cum auxilio et gratia Dei, *nego min. et conseq.* Ratio est, quia homo ad opera gratiæ debet excitari præveniente gratia Dei.

Inst. 1. Ille nullo sensu vias suas habet in potestate, qui captivatur sub lege peccati; atqui homo captivatur sub lege peccati, juxta illud[2]: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati.* Ergo.

Resp. *Dist. min.* Homo captivatur sub lege peccati seu

[1] Jerem. 10. — [2] Rom. 7, v. 23.

concupiscentiæ, quoad sensum, *conc. min.;* quoad consensum, *nego min.* Loquitur itaque Apostolus de motibus concupiscentiæ indeliberatis, quos necessario quidem experimur, et sic sub eis captivamur; sed eis non necessario obsequimur, et sic non necessario peccamus.

INST. 2. Ille captivatur etiam quoad consensum, qui non facit quod vult, facit vero quod non vult; atqui homo lapsus non facit quod vult, juxta illud Apost. [1] : *Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago.* Ergo.

RESP. *Dist. min.* Homo non facit quod vult quoad sensum, *conc.;* sentit enim motus concupiscentiæ quos sentire nollet; non facit quod vult quoad consensum, id est consentit necessario, *nego min.* Addit enim Apostolus : *Si quod nolo illud facio, jam non ego operor illud.* Unde patet motus illos non imputari ad peccatum.

INST. 3. Ille non facit quod vult, etiam quoad consensum, cujus non est velle nec currere; atqui ex Apost. [2] : *Non est volentis, neque currentis.* Ergo.

RESP. *Dist. min.* Non est volentis, neque currentis solius, *conc. min.;* non est volentis cum gratia Dei, *nego min.* Equidem homo eget gratia Dei ad bonum supernaturale; at huic gratiæ potest consentire vel dissentire si velit, ut definivit Conc. Trid. [3].

OBJICIES 2. D. Aug. multis locis docet arbitrium voluntatis, post peccatum, ex libero factum esse concupiscentiæ prædominantis servum : *Quomodo libera est voluntas,* ait [4], *cui dominatur iniquitas?* Ergo homo lapsus non est liber.

RESP. *Dist. conseq.* Non est liber libertate a servitute peccati, *conc.;* non est liber libertate arbitrii opposita necessitati, *nego conseq.* Fatemur ultro ab ista libertate nos excidisse, qui servi sumus peccati, neque posse nos ab ea servitute liberari nisi per gratiam medicinalem Redemptoris, qua præsente ac monente stat libertas arbitrii ad fa-

[1] Rom. 7, v. 24. — [2] Rom. 11. — [3] Sess. 6, can. 4. — [4] Epist. 98 ad Hilarium, nunc 157.

ciendum bonum vel malum. Itaque his locis D. Aug. gratiæ necessitatem recte demonstrat adversus Pelagianos, sed indifferentiam arbitrii sub gratia minime lædit.

INST. 1. D. Aug. [1] ait : *Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum*. Et in Epist. ad Vitalem : *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate, perdidimus.* Ergo ex D. Aug. per peccatum primi parentis amissum est liberum arbitrium.

RESP. *Dist conseq.* Per peccatum amissum est liberum arbitrium, sumptum pro libertate a peccato et miseria, *conc.;* sumptum pro libertate indifferentiæ, *subdist.* Amissum est quoad modum illum perfectionis quem habebat in statu integritatis et innocentiæ, *conc.;* quoad substantiam, seu facultatem agendi vel non agendi, *nego conseq.*

Itaque quando D. Aug. dicit liberum arbitrium primi parentis peccato periisse, non intelligit libertatem arbitrii quoad substantiam ; sed intelligit :

1° Libertatem a servitute peccati, a miseria aliisque infirmitatibus hujus status, quibus caruit status innocentiæ; nam ex Aug. eodem modo homo perdidit liberum arbitrium, quo seipsum perdidit ; atqui non perdidit seipsum quoad substantiam, ita ut desierit esse homo; sed tantum quoad plenam cum immortalitate justitiam quam habuit in illo statu felicitatis, et quæ consistebat in dono integritatis, in immunitate a morte, a concupiscentia inordinata et ab ignorantia. Ergo, etc. Ita seipsum exponit D. Aug. [2], dicens : *Quis nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia,* ut libertas aliquid boni supernaturalis elicere possit.

2° Per liberum arbitrium quod primi parentis peccato fuit amissum, intelligit D. Aug. libertatem sanam ac ro-

[1] *Enchiridii*, cap. 30. — [2] Lib. 1 *ad Bonifacium*, cap. 2.

bustam, qua summa cum facilitate poterat homo innocens bonum operari, quod liberum arbitrium dicit amissum quoad illam facilitatem; ideo *nunc*, addit D. Doctor [1], *quum illa magna peccati merito est amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.*

INST. 2. Atqui homo per peccatum amisit libertatem quoad substantiam. Ergo.

Prob. subs. Libertas quoad substantiam importat indifferentiam ad bonum et malum in homine lapso; atqui homo per peccatum hanc amisit indifferentiam, ex Augustino. Ergo. RESP. *Nego min...*

PROB. Ille ad bonum et malum non est indifferens, qui per peccatum duram contraxit necessitatem peccandi; atqui ex Aug. [2] : *Homo quia peccavit, secuta est peccandi dura necessitas.* Ergo.

RESP. *Dist. min.* Homo ex Aug. per peccatum contraxit duram necessitatem peccandi, peccato materialiter dicto, *conc.;* peccato formaliter dicto, *iterum dist.*, vago et indeterminato, *conc.;* hoc vel illo singulari peccato, *subdist.* Contraxit necessitatem peccandi ante gratiam, *conc.;* cum gratia, *iterum subd.;* peccandi necessitatem moralem, *conc.;* necessitatem physicam et absolutam, *nego min. et conseq.*

Ut hæc distinctio recte concipiatur, pensanda est controversia quam D. Aug. habuit cum Pelagianis.

1. Pelagiani docebant hominem nascendo non contrahere peccatum originale : quos ut refelleret D. Aug., contrahi peccatum originale probat ex effectibus, ignorantia nempe et concupiscentia, quibus necessario subjicimur, et quas peccata vocat : 1° quia sunt pœnæ peccati originalis quod supponunt, et hoc sensu vocantur ab Aug. peccata necessaria, quia eis carere nobis non est liberum in hac vita; *Multum erras*, ait D. Aug., alloquens Julianum [3], *qui vel necessitatem nullam putas peccandi, vel eam non intelligis illius*

[1] Lib. *de Correpl. et Grat.*, cap. 12. — [2] Lib. *de Perfect. justitiæ*, cap. 5. — [3] Lib. 1 *Operis imperfect.*, cap. 105.

peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est; si enim nulla necessitas peccandi est..., quid patiebatur, quæso, (Apostolus) *ut diceret : Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago?* 2° Quia sunt causæ peccatorum, et quatenus tales, dicuntur ab Aug. inducere quamdam necessitatem peccandi, non quidem physicam, sed moralem, hoc est summam difficultatem quam homo lapsus inter tot et tantas tentationes patitur ut a peccato abstineat, qua difficultate caruit homo innocens. Ita se explicat Aug.[1], dicens : *Potest ei causæ, quæcumque illa sit, resisti? Potest plane : nam ad hoc, adjutorium postulamus dicentes :* et ne nos inducas in tentationem; *quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus.*

Item quatenus ignorantia et concupiscentia sunt causæ peccatorum, dicuntur ab Augustino inducere quamdam necessitatem peccandi vagam et indeterminatam, quia fieri moraliter non potest, ut, habita ratione infirmitatis humanæ, inter tot et tantas tentationes homo non peccet, licet nullum sit in particulari peccatum quod vitare libere non possit; quæ peccata merito pronuntiat Aug.[2] a Deo imputari, quia nempe singula caveri possunt, et omnino libere committuntur. Ita nodum solvit D. Th.[3], qui cum sibi objecisset quædam peccata esse necessaria juxta illud Psalm.: *De necessitatibus meis erue me, Domine;* sic respondet : *Dicendum quod peccata dicuntur necessaria, in quantum non possunt vitari omnia, quamvis possint vitari singula.*

2. Pelagiani, rejecta necessitate gratiæ, docebant hominem lapsum tam liberum esse ad omnia vitanda peccata, quam fuerat Adamus innocens; contra probat S. Aug. ex peccato primi parentis inductam esse quamdam peccandi necessitatem, quæ non nisi per gratiam mediatoris reparari potest. *Non est igitur,* ait D. Doctor[4], *impunitatis secu-*

[1] August., lib. *de Nat. et Grat.*, cap. 67. — [2] Lib. 1 *Oper. imperf.*, cap. 105. — [3] Quæst. 24 *de Veritat.*, art. 12, ad 7. — [4] Lib. 1 *Oper. imperfect.*, cap. 106.

ritas in necessitate peccandi; sed ut non obsit ista necessitas, donat ille cui dicitur : De necessitatibus meis erue me.

§ III.

De pœnis peccati originalis in futura vita.

* *Nota* 1. Pœnæ peccato originali in altera vita debitæ sunt : 1° exclusio a regno cœlorum ; 2° privatio vitæ æternæ pro omnibus ; 3° dolor internus, qui tum ex exclusione a regno cœlorum, tum ex privatione vitæ æternæ nascitur; 4° pœna sensus, seu gehenna ignis.

Nota 2. Parvulos sine Baptismo decedentes non solum excludi a regno cœlorum, sed etiam privari vita æterna, quæ consistit in intuitiva Dei visione, de fide definitum est in variis Conciliis, *Diospolitano, Carthaginensi, Milevitano*, contra Pelagianos, teste Aug. [1] his verbis : *Novellos hæreticos Pelagianos justissime Conciliorum catholicorum et Sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis et salutis locum, etiam præter regnum cœlorum.* Quæ veritas similiter definita est in Concil. Trid.[2].

Nota 3. Cum Ecclesia circa cæteras pœnas nihil definierit, auctores catholici in varias abiere sententias, quas hic breviter attingemus ; quare

* Quæres 1. *Utrum parvuli sine Baptismo morientes internum animi dolorem patiantur ex sui a vita æterna exclusione?*

Resp. Prima sententia affirmat, et hanc tenet S. Aug., qui [3] dicit : *Si hoc eis non erit malum* (quod in æternum excludantur a regno Dei), *non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes* (ab omni peccato personali) *imagines Dei? Si autem amabunt, et tantum amabunt quantum innocentes amare debent regnum Dei, nihil ne mali ex hac separatione patientur?* Item S. Greg. Mag.[4] et alii plures. Secunda vero sententia, omnino opposita, negat, et hanc tenent multi post S. Tho-

[1] Lib. 2 *de Origine animæ*, cap. 12.— [2] Sess. 5, can. 4.— [3] Lib. 6 *contra Julian.*, cap. 4. — [4] Lib. 9 *Moralium*, cap. 13.

mam, qui [1] ait : *Pueri ... nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinæ;* et suffragari videtur ratio, nam pœna *damni*, major quam ignis supplicium, inquit S. Thom. [2], maxima est omnium pœnarum, præsertim in iis qui amarent quantum innocentes amare deberent; atqui repugnat ut qui sine peccato personali est, maximam omnium patiatur pœnam. Ergo, etc. Ad rationes S. Augustini responderi potest nihil obstare quominus prædicti parvuli non cognoscant Deum in ordine supernaturali a quo deciderunt, sed tantum modo naturali quem sic amabunt, ut ultra in spem fruitionis non progrediantur.

QUÆRES 2. *Utrum parvuli cum solo originali decedentes patientur pœnam sensus, seu gehennam ignis?*

RESP. Prima sententia affirmat quam propugnant : 1° S. August. [3], qui dicit : *Venturus est Dominus et judicaturus... duos partes facturus est, dextram et sinistram ; sinistris dicturus est : Ite in ignem æternum. Dextris dicturus... Nullus relictus est locus, ubi ponere queas infantes.* Et alio in loco : *Qui non in dextra, procul dubio in sinistra; ergo qui non in regnum, procul dubio in ignem æternum* [4]. Item in *Enchirid.*, cap. 37 : *Mitissima omnium pœna erit eorum qui, præter peccatum quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt.* Et S. Hieronymus dicit [5] hos parvulos *æternæ miseriæ præparari.* Item S. Greg. Mag., SS. Prudentius Tricass., Isidorus, Bernard., Fulgentius, qui in libro *de Fide*, cap. 27 : *Firmissime tene*, inquit, *parvulos... ignis æterni sempiterno supplicio puniendos:* Pro hac sententia S. Ligorius [6] multos citat theologos. *

Secunda sententia tamen negat et sic probat :

PROB. 1. *Ex Script.*, Apoc. 18, ubi dicitur : *Quantum se glorificavit et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Unde sic arguo : Pœna sensus correspondet culpæ pro delectatione quam causat; sed in culpa originali nulla de-

[1] 2 dist. 83, 92, art. 2.— [2] Opus. 2, cap. 174.— [3] *De Dono persev.*, cap. 12.— [4] Serm. 14 *de Verb. Apoc.*, cap. 3.— [5] *Dial. contra Pelag.*, in fine tertii. — [6] *De divin. Provident.*, diss. 6, n. 38.

lectatio invenitur; ergo pœna sensus non correspondet culpæ originali, nec habet proportionem cum illa.

PROB. 2. *Ex Innoc. III* [1] dicente : *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis vero peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus.* Ubi prior pars videtur intelligenda de carentia visionis Dei cum exclusione cruciatus gehennæ; alias eædem pœnæ corresponderent peccato originali, quæ actuali; quod esse falsum declaravit Eugenius IV in Conc. Flor. his verbis : *Animas illorum qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, descendere mox in Infernum, pœnis tamen disparibus puniendas.* Dicendo autem pœnas *dispares,* non autem inæquales, satis significat utriusque peccati pœnas esse specie, non autem intensione tantum diversas.

PROB. 3. *Auctoritate et ratione D. Thom.* [2] : *Pœna,* inquit, *proportionatur culpæ; et ideo peccato actuali mortali, in quo invenitur aversio ab incommutabili bono et conversio ad bonum commutabile, debetur et pœna damni... respondens aversioni, et pœna sensus respondens conversioni. Sed in peccato originali non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio animæ a justitia originali; et ideo peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ* [3]. Contra hanc sententiam

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Scriptura de Christo dicit [4] : *Permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili;* atqui parvuli sine Baptismo decedentes non sunt triticum, sed paleæ. Ergo, etc.

RESP. *ad maj.* Hanc parabolam non spectare infantes non baptizatos, ex qua proinde nihil de illorum pœnis concludi potest; nam per *aream* intelligitur Ecclesia catholica, in qua sunt boni malis admixti, ut triticum pa-

[1] Cap. *Majores de Baptismo.* — [2] Quæst. 5 *de Malo,* art. 2 in corp. — [3] Div. Thom. consentiunt Div. Bonavent., Magister Scotus, Estius, etc. — [4] Matth. 3, v. 12.

leis; infantes non baptizati nunquam fuerunt in Ecclesia. Ergo.

Objicies 2. Matth. 13 dicitur : *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare... sic erit in consummatione sæculi; exibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium;* atqui parvuli non baptizati, erunt de numero malorum, de quibus loquitur Christus. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Certum est enim hic per *sagenam* intelligi Ecclesiam; et ideo Scriptura loquitur de extremo judicio, prout spectabit eos qui fuerint in Ecclesia, in qua nunquam fuerunt infantes.

Inst. Parvulis in extremo judicio dicetur: *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Sed nomine *ignis* pœna sensus intelligitur.

Resp. *Nego maj.* Illa enim Christi verba non dirigentur ad omnes reprobos qui a sinistris Judicis erunt, sed solum ad adultos; non potest enim ad parvulos spectare causa quæ ibi redditur : *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare,* etc.

Objicies 3. Apoc. 20 dicit D. Joann. : *Vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ... et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis;* atqui parvuli non erunt scripti in libro vitæ. Ergo.

Resp. Scriptura loquitur de solis adultis, qui judicabuntur ex propriis operibus, ut patet ex his verbis intermediis : *Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erunt in libris secundum opera ipsorum.*

Inst. D. Joann. loquitur *de magnis et pusillis.* Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam per *pusillos* non intelligit ætate aut statura, sed dignitate et gradu exiguos, ut sunt servi, ancillæ, etc.

Objicies 4. D. Aug. [1] et alii Patres affirmant [2] parvulos

[1] Serm. 14 *de Verbis Apost.* — [2] Div. Fulgent., relatus cap. *Firmissime de conseq.*, distinct. 4; Div. Greg., lib. 8 et 9 *Moralium.*

sine Baptismo decedentes ituros in ignem æternum, juxta sententiam Domini : *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Ergo.

Resp. *Dist. ant.* D. Aug. et alii Patres docent parvulos ituros in ignem æternum, sumendo nomen *ignis* pro pœna damni, *conc.;* pro pœna sensus, *nego ant.* Illi enim Patres sumunt speciem pro genere.

Ita respondent DD. Bonaventura, Thomas et Glossa.

1. Divus Bonaventura respondet [1] : *Augustinus in verbis illis non intendit dicere quod parvuli sensibiliter crucientur; sed intendit eorum pœnam manifestare quantum ad carentiam visionis Dei, et quantum ad vilitatem loci, et hoc valde abundanter exprimit, plus dicens et minus volens intelligi. Nec sine causa loquitur sic : hoc enim facit ad extirpandam illam hæresim, quæ dicebat parvulos nulla pœna puniri.*

* Quæres 3. *Utrum parvuli præfati nunquam fruentur beatitudine naturali?*

Resp. Duplex iterum est sententia, quarum affirmantem tenent omnes supra citati in prima sententia. Alii vero dicunt præfatos pueros frui et fruituros esse aliqua beatitudine naturali; ratio quia pueri per peccatum originale non sunt aversi a Deo tanquam a fine naturali, sed tantum tanquam a fine supernaturali; ergo æquum non est ut, propter peccatum originale, in æternum priventur beatitudine naturali. *

CAPUT IV.

DE FUTURA HOMINIS VITA.

* *Nota.* Homo, factus ad imaginem et similitudinem Dei, debet ad ultimum suum finem pervenire; in quo sistit tota sua beatitudo. Illa autem hominis beatitudo non sistit in aliquo bono creato, siquidem homo non est perfecte beatus, quandiu restat ei aliquid desiderandum et quæren-

[1] In 2, dist. 33, art. 3, q. 1.

dum; sed ultima et perfecta ejus beatitudo est in visione et possessione divinæ essentiæ, quæ videri et possideri non potest nisi in vita futura. Ideo dicemus: 1° de existentia intuitiva Dei visionis; 2° de principiis effectivis visionis Dei intuitivæ; 3° de objecto intuitivæ Dei visionis; 4° de æqualitate et inæqualitate visionis Dei intuitivæ; 5° de vera hominis beatitudine. *

ARTICULUS I.

DE EXISTENTIA INTUITIVA DEI VISIONIS.

Nota. Duo hic habemus discutienda: 1° Utrum aliquibus in hac vita degentibus concessa fuerit intuitiva Dei visio. 2° Utrum animæ justorum ea nunc donentur in cœlis.

§ I.

Utrum aliquibus in hac vita concessa fuerit intuitiva Dei visio.

Nota. Quæstio est de puro homine; de Christo enim nulli dubium est, quin visione Dei fruitus fuerit. Unde sit

CONCLUSIO I.

Nemini unquam in terris concessa fuit intuitiva Dei visio.
Est probabilior.

Prob. 1. *Ex Scriptura,* Exod. 33, Moysi a Deo postulanti ut suam ipsi gloriam ostenderet, respondit Deus: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet.* En lex genera lis de non videndo Deo in hac vita, nullum, ne Moysen quidem, excipit; atqui ubi lex neminem excipit, nec nos debemus excipere. Ergo.

Joann. 6 dicitur: *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me; non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Ubi ab illa propos. negativa excipit solum Christum; atqui unius exceptio firmat regulam quoad omnes alios. Ergo.

PROB. 2. *Ex Patrib.* Greg. Mag. [1], de Moyse disserens, ait : *Videri potuit Deus per circumscriptas imagines, et videri non potuit per circumscriptum lumen æternitatis.*

D. Bernard. [2] dicit : *Nec sapiens, nec sanctus, nec propheta illum videre sicuti est, potest aut potuit in hoc mortali corpore.*

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Deus [3] dixit Moysi : *Ostendam tibi omne bonum ;* atqui per *omne bonum* intellexit divinam naturam : ergo Moyses, dum adhuc viveret, fruitus est visione Dei intuitiva.

RESP. *Nego min.* Nam infra addit Deus : *Faciem autem meam videre non poteris.* Ergo Deus per ly *omne bonum* intelligit duntaxat, vel mirabilia quæ Deus se per Moysem operaturum promiserat, ut Israelem a captivitate Ægyptiaca liberaret; vel intelligit faciem illius Angeli, qui Moysem ore ad os alloquebatur, quam, præ splendore ex ea emicante, videre non poterat.

INST. 1. Num. 12 Deus de Moyse ait : *Ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt.* Ergo intuitive Deum videbat.

RESP. *Dist. conseq.* Intuitive videbat Deum in forma aliena, *conc.;* in propria natura, *nego.* Deus ergo non in propria natura, sed in aliqua præstanti forma corporea assumpta, Moysi apparuit, vel potius Angelus qui typum Dei gerebat, ut asserit Sanctus Stephanus [4], dicens : *Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi... dicens : Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham,* etc.

INST. 2. D. Ambr. [5] ait : *Neque in specie, neque per ænigmata, sed clara atque perspicua præsentiæ divinæ dignatione donatus est Moyses.* Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Donatus est clara præsentiæ divinæ dignatione, in forma aliena, *conc.;* in propria natura, *nego.*

[1] Lib. 18 *Moral.*. cap. 28. — [2] Serm. 31 *in Cantica.* — [3] Exodi 33. — [4] Actor. 7. — [5] Lib 3 *in Exameron,* cap. 2.

Quod sit hic Ambrosii sensus, probant hæc ejus verba, in cap. 1 Lucæ : *Patrem et Filium, etc., ea specie videri, quam voluntas elegerit, non natura formaverit, ut et illud verum sit, quod Deum nemo vidit unquam.*

INST. 3. D. Aug. [1] dicit : *Nisi desideratam Dei claritatem Moyses videre meruisset, non in lib. Num. diceret Deus : Ore ad os loquar ad illum in specie, et non per ænigmata.* Ergo visionem intuitivam Moysi tribuit.

RESP. *Dist. conseq.* Tribuit inquisitive, *conc.;* definitive, *nego.* Licet enim illic propensior in hanc partem S. Doctor fuerit, nihil tamen definivit in illo opere, *in quo,* ut ait [2], *plura quæsita, quam inventa sunt, et eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata,* etc. Ergo vera opinio Div. Augustini repetenda est ex aliis, quæ posterius scripsit, operibus : POPRO [3] ait : *Moyses vidit nubem, Angelum, vidit ignem; omnis illa creatura est : typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat... loquebatur ergo cum Moyse Angelus... non erant illa substantia Dei.* Et Epist. 147 dicit : *Ipse ergo* (Deus) *erat in ea specie qua apparere voluerat, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat; ea enim promittitur sanctis in alia vita : unde quod responsum est Moysi :* Non videbit me homo, et vivet; *verum est, quia nemo potest faciem Dei videre, et vivere.*

OBJICIES 2. D. Paulus [4] de seipso dicit : *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum; et scio hujusmodi hominem... quoniam raptus est in Paradisum, et audi vit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Atqui nominecœli, Paradisi, arcanorum verborum, nihil aliud potest intelligi quam intuitiva Dei visio. Ergo.

RESP. *Nego min.* Nam raptus iste contingit antequam scripsisset Epistolam ad Timoth., et antequam D. Joann. scripsisset evangelium; at uterque dicit quod *nemo vidit*

[1] Lib. 12 *de Genes. ad litteram*, cap. 27. — [2] Lib. 2 *Retractat.*, cap. 24. — [3] Tract. 3 in Joann. — [4] 2 Cor. 12.

Deum unquam : propositio est generalis, Paulus non se excipit. Ergo in Epist. ad Cor. loquitur de revelatione sibi facta in extasi, seu in raptu mirabili, quem, Deo sic volente, passus fuerat; quod suadent tum ista verba sequentia : *Et ne magnitudo revelationum extollat me;* tum verbum *audivit*, quo utitur, et quod non ad intuitivam cognitionem, sed ad revelationem pertinet, prout Apost. ipse insinuat verbis immediate antecedentibus, dicens : *Veniam ad visiones et revelationes Domini. Scio hominem*, etc.

Inst. D. Thomas [1] de D. Paulo dicit : *Convenientius dicitur quod Deum per essentiam vidit*. Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Equidem in ea fuit opinione D. Thom. cum aliquibus aliis Patribus, quam ideo citra errorem defendi posse judicamus; sed aliam ut probabiliorem amplectimur, quippe quæ sit et S. Scripturæ conformior, et plurium ex veteribus firmata consensu.

§ II.

Utrum animæ justorum visione intuitiva nunc fruantur in cœlis.

Nota. Circa hanc quæstionem duo fuerunt errores.

Primus error fuit eorum qui docuerunt justos, post generalem resurrectionem, per mille annos cum Christo in terris regnaturos, antequam ad visionem Dei in cœlo reciperentur; hi ideo dicti sunt *Kiliastæ* græce, et *Millenarii* latine. Porro Millenariorum duplex fuit genus.

Primum fuit eorum qui primo Ecclesiæ sæculo, cum infami Cerintho, docuerunt sanctos illud mille annorum spatium in ventris ac libidinis voluptatibus explendis, traducturos.

Secundum fuit eorum quorum aliqui docuerunt, voluptatibus corporeis quidem, sed consuetis ac licitis; alii vero solis animæ spiritualibus deliciis fruituros... Hujus erroris auctor, secundo sæculo, fuit *Papias*, Jerapolitanus Episco-

[1] 2, 2, q. 175, art. 3 in corp.

pus, *vir* quidem *mediocri admodum ingenio præditus* [1]. Sed cum fuisset quondam Joannis evangelistæ auditor, ut memorant DD. Irenæus [2] et Hier. [3], et esset fama et sanctitate conspicuus, plurimos viros clarissimos in suam opinionem adduxit, inter quos fuere Justinus, Irenæus, Nepos Ægyptius præsul, Lactantius, Severus Sulpitius, et aliquando Augustinus, ut ipsemet candide fatetur [4], qui tamen non fuerunt hæretici, quia veritas, quam impugnabant, nondum erat ab Ecclesia definita.

Secundus error fuit eorum qui, licet rejecerint terrenum mille annorum regnum, tamen existimarunt neminem ante judicii generalis diem ad visionem Dei introducendum fore. Ita Novatianus, Vigilantius et nonnulli Græci, ut patet ex Conc. Florentin., sess 1. In hanc sententiam plus æquo inclinasse videtur Joannes XXII.

In Vigilantii errorem abiere Lutherus [5], Calvinus [6] et Sociniani [7]. Contra hos omnes errores sit

CONCLUSIO I.

Fabulosa ac delira est Millenariorum de regno Christi in terris sententia. Prop. est de fide.

Prob. 1. *Argumentis ex Scriptura deductis.* — *Primum* : si vera esset Millenariorum opinio, regnum Christi esset terrenum, illudque certo quodam tempore, nimirum mille annorum, circumscriptum; atqui ex Scriptura regnum Christi nec est terrenum [8] : *Regnum meum non est de hoc munde* ; nec certo quodam tempore circumscriptum [9] : *Regni ejus non erit finis* ; quem locum Concil. Constantinopolit. I inseruit symbolo contra Apollinaristas, qui Millenariorum sententiam amplexi fuerant. Ergo, etc.

[1] Eusebius. — [2] Lib. 5, cap. 33.— [3] Lib. *de Viris illustr.*, cap. 39.— [4] Lib. 22 *de Civit. Dei*, cap. 7. — [5] *Prælection. in Genes.* — [6] Lib. 3 *Institut.*, cap. 25. — [7] *In Vindiciis Christianæ confessionis*, cap. 25. — [8] Joann. 18. — [9] Lucæ 1.

Secundum : Millenarii ex Philastrio Brixiensi [1] dicunt : *Cum venerit Christus de cœlo, mille anni erunt iterum nobis carnaliter ad vivendum, generandum et manducandum, sicut fit nunc in hoc sæculo quotidie.* Atqui nullas post resurrectionem in regno Dei fore corporeas voluptates docet Christus [2] : *In resurrectione neque nubent, neque nubentur.* Ex Apostol., Roman. 14 : *Non est regnum Dei esca et potus.* Ergo, etc.

Prob. 2. *Ex Patribus,* qui Millenariorum placita vocant *portenta quædam, quæ commentus est Cerinthus* [3], *deliram voluptatem* [4], *ridiculas fabulas* [5]. Ergo.

Confirm. Iis omnibus momentis, quibus sequentem propositionem probabimus, quibus hæresis Millenariorum funditus evertetur.

OBJECTIONES.

Objicies 1. D. Joann. [6] annuntiat : 1° quod Angelus *ligavit* (Diabolum) *per annos mille... ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni.*

2° Quod, *qui non adoraverunt bestiam... vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis... hæc est resurrectio prima. Beatus, et sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem ; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.*

3° Prædicit judicium generale et resurrectionem, quæ secunda est : *et dedit mare mortuos, qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant ; et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.*

4° Dicit : *et infernus,* id est damnati, sumit enim continens pro contento, *et mors,* id est Diabolus, qui est causa mortis : *missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.*

Ex his sic argumentatur : In textu allato singula Millenariorum capita continentur. Ergo.

[1] Lib. *de Heresib,* cap. 12, tomo 4, Biblioth. PP. — [2] Matth. 22. — [3] Cajus Roman. Ecclesiæ Presbyter apud Euseb. — [4] Gregor. Nazian., Orat. 52. — [5] Augustin., lib. 20 *de Civit. Dei,* cap. 7. — [6] In Apocal., cap. 20.

Resp. *Nego ant.* Nam, juxta Millenarios, regnum Christi futurum non erat, nisi post generalem corporum resurrectionem; tamen D. Joannes loquitur de regno mille annorum qui præcedat adventum Antichristi, qui regnabit tribus annis et dimidio ante corporum resurrectionem : *Et cum consummati fuerint mille anni,* inquit, *solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seduc et gentes.* Ergo D. Joann., nedum favet Millenariis, quin potius eorum fabulam funditus subvertit.

Inst. 1. Juxta D. Joann., erit duplex resurrectio.

Prima erit propria justorum, qui regnabunt per mille annos cum Christo. *Secunda,* quæ consequetur illud intervallum, erit impiorum qui resurgent ad judicium, post quod justi in cœlum ascendent æterna felicitate donandi; impii vero mittentur in Infernum ad æterna supplicia. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Nam sicut D. Joann. duplicem resurrectionem, ita duplicem mortem annuntiat.

Prima resurrectio est animarum quæ in Ecclesia a peccati morte ad vitam gratiæ resurgunt, juxta illud Christi[1]: *Qui verbum Dei audit, transit a morte ad vitam;* et regnant cum Christo, quare *Ecclesia, et quæ nunc est, est regnum Christi, regnumque cœlorum,* ait Div. August.[2].

Secunda resurrectio est corporum, quæ simul cum animabus in die judicii resurgent ad perfectam et consummatam gloriam. Hoc dilucide exponit Div. August. [3] : *Sunt resurrectiones duæ,* inquit, *una prima quæ, et nunc est, et animarum est, quæ venire non permittit in mortem secundam. Alia secunda, quæ nunc non est, sed et in sæculi fine futura est, nec animarum, sed corporum est, quæ per ultimum judicium alios mittet in secundam mortem, alios in eam vitam, quæ non habet mortem.*

Prima mors ex opposito est privatio gratiæ pro vivis, et solius animæ damnatio pro defunctis reprobis.

[1] Joann. 5. — [2] Lib. 20 *de Civit. Dei*, cap. 9. — [3] Ibid. cap. 6.

Secunda mors est damnatio animæ et corporis, post carnis resurrectionem, rursus punitorum, ait D. Aug.[1]

INST. 2. Quod Div. Joann. docet de regno Christi, non potest intelligi de tempore præsentis Ecclesiæ. Ergo, etc.

Prob. ant. Juxta D. Joann.: 1° Toto tempore illius regni, draco ligabitur; atqui quotidie hominibus insidiatur. 2. Tempus illius regni ad mille annos restringitur; atqui Ecclesia ab annis 1857 durat. 3° Animæ decollatorum, propter testimonium Jesu, pertinebunt ad illum regnum; atqui non sunt amplius de Ecclesia. Ergo.

RESP. *Ad* 1um *Dist. ant.* Draco est ligatus, quatenus, per mortem Christi, ejus vires depressæ sunt et extenuatæ, *conc.;* hoc significavit Christus [2] dicens : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras,* quatenus insidias hominibus struere amplius non potest, *nego.* Adhuc enim *latrare potest, sollicitare potest,* ait Div. Aug. [3], *mordere omnino non potest, nisi volentem.*

RESP. *Ad* 2um *Dist. maj.* Tempus illius regni restringitur ad mille annos sumptos indefinite, pro toto illo tempore quod a morte Christi, ad diem usque judicii, vel (ut alii volunt) ad adventum Antichristi intercedit, *conc.;* sumptos definite, *nego.* Itaque *mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit,* ait Aug., loco cit., *ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo,* quæ per millenarium numerum solet explicari in Scriptura; v. g. [4] : *Ego Dominus faciens misericordiam in millibus his qui diligunt præcepta mea,* id est in omnibus.

RESP. *Ad* 3um *Nego min.* Cum D. Aug. ibidem : *Neque enim,* ait, *piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc est regnum Christi... Regnant cum illo,* per gloriam essentialem, dum isti mille anni, primæ resurrectionis *decurrunt.*

OBJICIES 2. Christus [5] dicit : *Beati qui esuriunt et sitiunt*

[1] Cap. 9. — [2] Joann. 12. — [3] Serm. 197 *de tempor.* — [4] Jerem. 32. — [5] Matth. 5.

justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Atqui non saturabuntur, nisi in terrestri regno mille annorum. Ergo.

Resp. *Nego min*. Neque enim Christus loquitur de saturitate ventris et veneris, ut fabulabantur Millenarii; sed de cœlesti plane saturitate gloriæ Dei, juxta illud : *Satiabor cum apparuerit gloria tua*.

Inst. Atqui Christus loquitur de saturitate voluptatum corporis. Ergo.

Prob. [1] Christus dicit : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*. Ergo.

Resp. *Nego conseq*. Nam in illo textu *vinum* sumitur proprie, vel metaphorice.— *Si proprie*, per *regnum* intelligi debet tempus quod subsecutum est ejus resurrectionem, quo tempore cum discipulis suis manducavit et bibit in signum suæ veræ resurrectionis, juxta illud D. Petri [2] : *Manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis*. Illud autem tempus esse regnum Christi, declarat ipse [3] : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*, quam tunc exercere incœpit.— *Si metaphorice*, per *vinum* intelliguntur spirituales beatitudinis æternæ deliciæ, quas cum suis erat aliquando communicaturus, juxta illud [4] : *Ego dispono vobis... ut edatis et bibatis super mensam in regno meo, et sedeatis super thronum meum*, etc.

CONCLUSIO II.

Animæ justorum, quibus nihil superest expiandum, statim post mortem ad claram Dei visionem in cœlum admittuntur.

Est de fide in Concil. Florentin. [5], cui Latini pariter et Græci subscripsere, definita his verbis : *Definimus illorum animas, qui, post Baptisma receptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ, post peccati contractam*

[1] Matth. 26. — [2] Act. 10. — [3] Matth. ult. — [4] Luc. 22. — [5] Sess. 25 *in Definitione fidei*.

maculam, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clare Deum unum et trinum sicuti est.

PROB. 1. *Ex Script.* [1] : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ in cœlo est, superindui cupientes.* Decretorium est illud testimonium, ex quo sic argumentor : Apostolus per *domum habitationis hujus* intelligit corpus mortale, per *domum æternam* intelligit visionem Dei intuitivam; atqui domum illam æternam docet nos habituros post dissolutionem domus *habitationis hujus*, et quidem statim; alioquin in hoc frustra ingemisceremus, visionem illam superindui cupientes, si usque ad diem judicii illa visio esset procrastinanda. Ergo, etc.

Confirmatur ex verbis sequentibus : *Scientes*, inquit, *quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem); audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum, et ut jam non per fidem ambulemus, sed per speciem.* Unde sic arguo : Apostolus distinguit statum eorum qui adhuc sunt in corpore, a statu eorum qui peregrinantur a corpore, in hoc quod primi Deum duntaxat per fidem videant, secundi vero præsentes sint ad Dominum, quem vident per speciem, seu intuitive; atqui homo statim a morte peregrinatur a corpore; ergo, si nihil ipsi expiandum superest, statim fruitur intuitiva Dei visione.

PROB. 2. *Ex Patribus* Div. Clem. Rom. [2] : *Petrus*, inquit, *martyr effectus, discessit ad debitum gloriæ locum... Paulus patientiæ præmium obtinuit... His viris, qui divinam vitam duxerunt, aggregata est ingens electorum multitudo.* Atqui locus gloriæ et virtutis præmium nihil aliud sunt quam visio Dei intuitiva. Ergo jam eam possident.

S. Ignatius, martyr [3], Tralianos, cum esset in vinculis,

[1] 2 Cor. 5. — [2] Epist. 1 ad Corinth. — [3] Epist. ad Trallianos.

sic alloquitur : *Salutat vos spiritus meus, non modo nunc, sed ubi Deum nactus fuero, nam etiamnum in periculo* mortis *versor.* Ergo ipsi persuasum erat se statim a morte Deo fruiturum.

Clem. Alex. [1] scribit : *Clarum est neminem unquam vitæ tempore posse Deum evidenter comprehendere; qui autem sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam ad extremum finem pervenerint.* Quid clarius?

S. Cyprian. [2] *Quanta securitas*, inquit, ...*claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim ut Deus videatur et Christus..; sine damno temporis merces, judice Deo, redditur.* Ergo *statim, et sine damno temporis,* justi visione beatifica donabuntur.

Prob. 3. *Ratione.* Deus, cujus *miserationes super omnia opera ejus*, promptior est ad remunerandum, quam ad puniendum; atqui animæ impiorum statim detruduntur ad Inferos [3] : *In puncto ad Inferna descendunt.* Ergo animæ justorum, quibus statim nihil superest luendum, ad claram Dei visionem admittuntur.

Confirm. Per sinum Abrahæ intelligitur ab omnibus Patribus et Theologis æterna felicitas; atqui ex Luc. 16: *Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur in sinum Abrahæ; mortuus est autem et dives, et sepultus est in Inferno.* Ergo, etc. Unde Pater Abraham dixit diviti : *Hic consolatur, tu vero cruciaris.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. S. Joann. [4] dicit se vidisse, *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Atqui animæ quæ sunt subtus altare non sunt in cœlis. Ergo.

Resp. *Nego min.* Nam, quidquid intellexerint nomine *altaris*, certum est animas illas in cœlis esse, et beata Dei visione frui; nam infra dicitur : *Illis* (animabus) *datæ sunt singulæ stolæ albæ.* Atqui per stolas albas intelligitur æterna felicitas. Ergo, etc.

[1] Lib. 5 *Strom.*— [2] *Exhort. ad martyrium*, versus finem.— [3] Job 21. — [4] Apoc. 6.

INST. 1. Illæ animæ non fruuntur æterna felicitate, quibus gloriam postulantibus responsum est, ut mundi finem expectarent; atqui animabus martyrum gloriam postulantibus responsum est : *Ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi*. Ergo.

RESP. *Dist. maj*. Postulantibus gloriam animæ, *conc.;* gloriam corporis, *nego maj*. Atqui illæ animæ postulant gloriam corporis, *conc.;* gloriam animæ, *nego min*. Itaque animæ illæ, jam una stola, hoc est animæ felicitate, donatæ, gloriam corporis postulant, quæ dicitur non esse ante mundi finem concedenda.

INST. 2. Apostol. [1] de justis Veteris Testamenti dicit : *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. Ergo non accipient æternam beatitudinem, nisi cum omnibus justis.

RESP. *Dist. conseq*. Non accipient beatitudinem completam, corporis scilicet et animæ, *conc.;* incompletam animæ, *nego*. Hanc enim acceperunt post Christi adventum, quando, ascendens in cœlum, *captivam ducit captivitatem* [2] : in quo Deus aliquid melius providit pro nobis, quibus statim a morte, si nihil expiandum supersit, patet aditus in cœlum.

INST. 3. Atqui in ultimo duntaxat judicio patebit nobis aditus in cœlum. Ergo, etc.

PROB. In ultimo duntaxat judicio patebit nobis aditus in cœlum. Ergo, etc. *Prob*. In ultimo duntaxat judicio electis dicet Christus [3] : *Possidete paratum vobis regnum*. Ergo, etc.

RESP. *Dist. conseq*. In ultimo duntaxat judicio, nobis, cum corporibus resumptis, patebit aditus in cœlum, *conc.;* sine corporibus, *nego*. Ibi enim Christus loquitur de beatitudine completa, tum corporis, tum animæ, qua electi post ultimum judicium donabuntur.

[1] Hebr. 11. — [2] Ephes. 4, v. 8. — [3] Matth. 25.

INST. 4. Paterfamilias [1] non solvit denarium diurnum, nisi ad vesperam; atqui per *denarium* intelligitur æterna felicitas, et per *vesperam* intelligitur finis mundi. Ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Per denarium intelligitur æterna felicitas completa, *conc.;* incompleta solius animæ, *nego min.* Neque ita interpretatur S. Aug. [2], qui felicitatem completam vocat *felicitatem resurrectionis.*

OBJICIES 2. SS. Patres justorum felicitatem ad ultimum usque judicii diem protrahunt. Ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Exceptis enim paucis, qui Papiæ adhæserunt, reliqui asseruerunt animas justorum statim post mortem in cœlis regnare. Div. Ambros. [3] dicit : *Solvitur corpore anima, et post finem vitæ hujus, adhuc tamen futuri judicii ambiguo suspenditur.* Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Anima futuri judicii ambiguo suspenditur, eo quod hujus judicii diem ignoret, et nescit quandonam corpus resumptura est, *conc.;* eo quod nondum æterna felicitate gaudeat, *nego.* Sic intelligendum esse D. Ambrosium, probat quod dicit ad Thessalonicenses de eorum Episcopo defuncto : *Est jam,* inquit [4], *superiorum incola, possessor æternæ illius Jerusalem, quæ in cœlo est.* Et Orat. de Valentiniano ait : *Vita jam fruitur æterna.*

INST. Idem [5] ait : *Deum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam, alias manet pœna, alias gloria.* Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Expectant remunerationem completam per glorificationem corporis, *conc.;* incompletam animæ, *nego.* Addit enim : *Nam et illæ,* quas manet pœna, *videntes servantibus legem Dei repositam esse mercedem gloriæ, erubescunt in conspectu ejus* (Dei) *venire.*

OBJICIES 3. Div. Chrysost. [6] ait : *Anima,..... absque carne*

[1] Matth. 20. — [2] Serm. 87 *de verbis Domini.* — [3] *De Cain.*, lib. 2, cap. 2. — [4] Epist. 15 ad Thessalon. — [5] Lib. *de Bono Mortis*, cap. 10. — [6] Hom. 39 in Epist. ad Cor.

non accipiet bona illa ineffabilia, sicut neque punietur. Ergo censet animam minime beari ante carnis resurrectionem.

Resp. *Nego conseq.* Sensus enim D. Doctoris est, animam solam non esse beatificandam, sed etiam corpus, cum utrumque salutem operatum fuerit; idque asserit tanquam medium ad probandam resurrectionem, de qua totus est ille sermo D. Chrysostomi, qui [1] ait : *Justi, sive in hoc, sive in futuro sæculo fuerint, cum rege sunt; illic tamen magis et propius, non per accessum et fidem, sed facie ad faciem.*

Objicies 4. Hilarius [2] in hæc verba : *Si descendero in Infernum, ades,* ait : *Humanæ ista lex necessitatis est, ut consepultis corporibus, ad Infernos animæ descendant.* Ergo non statim ascendunt in cœlum.

Respondent multi D. Hilarium locutum fuisse de sanctis Veteris Testamenti : qua missa responsione, magis ad mentem D. Hilarii

Resp. *Dist. ant.* Descendunt ad Inferos transeuntes, *conc.;* ut ibi remaneant ad diem usque judicii, *nego ant.* Itaque D. Hilarius cum Tertulliano [3] existimavit omnium defunctorum animas ad Inferos descendere, ad imitationem Christi, qui, ut ait, hanc *descensionem ad consummationem veri hominis non recusavit,* sed sicut Christus cœlum statim ascendit, ita et animæ plene purgatæ.

Inst. Idem [4] ait : *Exeuntes de corpore ad introitum illius regni cœlestis... Fideles omnes reservabuntur in sinu Abrahæ interim collocati... quousque introeundi rursum in regnum cœlorum tempus adveniat.* Ergo usque ad judicium universale in sinu Abrahæ reservabuntur, sed nondum in regnum cœlorum.

Resp. *Nego conseq.* Nam per sinum Abrahæ intelligit regnum cœlorum, ut constat ex hac ejus in Ps. enarratione : *Testes nobis sunt Evangelii dives et pauper, quorum*

[1] Hom. 3, ad Philipp.— [2] In Psalm. 138.— [3] Lib. *de Anima*, cap. 55. — [4] In Psalm. 120.

unum Angeli in sedibus beatorum, et in Abrahæ sinu locaverunt, alium statim pœnæ regio suscepit...; nihil illic dilationis, aut moræ est. Judicii enim (particularis) *dies, vel beatitudinis retributio est æterna vel pœnæ.*

Objicies 5. Div. August. [1] docet omnes Sanctos per resurrectionem sabbatizaturos in terra cum Christo, antequam in cœlum admittantur, *et sabbatizabunt sancti et justi Dei*. Ergo.

Resp. Fateor D. August., initio Sacerdotii, in opinione Millenariorum fuisse versatum, ut ipsemet fatetur [2], verum brevi postea istam opinionem exuit, et constanter exinde docuit, animas statim a morte, clara Dei visione potiri; nam [3] ait : *Ibi*, in cœlesti Jerusalem, *omnes justi et sancti sunt, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine litteris. Quod enim nobis per paginam scriptum est, per faciem Dei illi cernunt.*

Inst. D. August. [4], recognoscens librum *De utilitate credendi*, hæc sua de mortuis verba : *Sunt jam in ipsa possessione*, ita emendat : *Quinam sint illi beatissimi, qui jam sunt in illa possessione, quo ducet hæc via, magna quæstio est; et Angeli quidem sancti quod ibi sint, nulla magna quæstio est. Sed de sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, merito quæritur*. Ergo negat animas jam beatitudine gaudere.

Resp. *Dist. conseq.* Negat animas jam beatitudine gaudere, quoad certum perfectionis gradum, *conc.;* quoad substantiam, *nego*. Itaque pro certo D. Aug. statuit animas justorum videre jam Deum, sed quæstionem movet duntaxat, utrum non minus perfecte jam videant, quam post resurrectionem visuræ sint; addit enim : *Utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem nihil ex hoc (quod adhuc expectant redemptionem corporis sui), minus habeant, non hic locus est disputando inquirere*. Quod

[1] Serm. 299. — [2] Lib. 2 *de Civit. Dei*, cap. 9. — [3] In Psalm. 119.— [4] Lib. 1 *Retract.* quem sub finem vitæ scripsit, cap. 14.

alibi [1] solvit his verbis : *Minime disputandum est, hominis mentem post mortem, carne deposita... non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti Angeli vident, sive alia latentiore causa, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corporis administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat.* Non dubitavit ergo de concessione visionis beatificæ, sed de illius visionis qualitate, num futura sit perfectior post resurrectionem, sive intensive et quoad gradus, sive, quod probabilius est, extensive propter gaudium quod in ipsum corpus refundetur.

Objicies 6. Div. Bernardus non existimavit sanctos frui jam nunc beatitudine. Ergo.

Prob. ant. Serm. 2 *de Sanctis,* docet sanctos nunc esse *sub altari et non supra,* ex quo concludit : *Adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus dominici, et licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lætitia cum vultu suo.* Ergo existimavit animas justorum nondum frui Dei visione.

Resp. *Dist. conseq.* Nondum frui Dei visione perfecta et completa, *conc.;* imperfecta et incompleta, *nego.* Itaque in ea fuit sententia, animas a corpore separatas, propter suum in corpora pondus, non tam esse expeditas ad Dei visionem, et consequenter minus intensive ipsas Deum videre, quam ubi naturalis ad corpus appetitus post resurrectionem expletus fuerit : *Adeo viget in eis desiderium hoc naturale,* ait [2], *ut necdum tota eorum affectio libere pergat in Deum.*

Inst. 1. Idem [3] ait : *Quoniam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altari quiescunt?* Respondet, *visione utique et contemplatione.* Ergo nondum vident Deum.

Resp. *Dist. conseq.* Nondum vident æque perfecte et in-

[1] Lib. *de Genes. ad litter.,* cap. 33. — [2] Serm. 3 *de Sanctis.* — [3] Serm. 4.

tense, ac videbunt, resumptis corporibus, *conc.;* nondum vident absolute, *nego*. Ait enim [1]: *Jam cœlos ingressus.... vere nunc revelata facie speculatur gloriam Dei.... beata visio, qua in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam a domini spiritu.*

Inst. 2. Serm. 3 *de Sanctis*, ait: *In illam beatissimam* (Dei) *domum, nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis*. Atqui qui non sunt in domo Dei, nondum vident Deum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Non intrabunt sine nobis in domum Dei, cum completa animæ et corporis felicitate, *conc.;* cum felicitate incompleta animæ, *nego maj*. Sese explicat B. Pater eodem sermone dicens : *acceperunt jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos... stola enim prima, ipsa est, quam diximus, felicitas et requies animarum, secunda vero immortalitas et gloria corporum*. Ac sermon. *de S. Victore : Non est terra oblivionis*, inquit, *quam anima Victoris inhabitat; non est terra laboris... non denique terra, sed cœlum est*. Hæc de sana Div. Bernardi doctrina nullum relinquunt dubitandi locum.

Objicies 7. In Can. Missæ, Ecclesia generatim pro omnibus defunctis Deum precatur, ut *ipsis et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis indulgeat*. Ergo supponit ipsos nondum frui visione beatifica.

Resp. *Dist. ant.* Pro omnibus qui habent aliquid luendum, *conc.;* pro omnibus, etiamsi plene sint purgati, *nego*. Est ergo sensus Ecclesiæ et fidelium orare pro animabus Purgatorii, quæ cum obierunt in charitate, dicuntur dormire in somno pacis et in Christo quiescere.

Inst. Ecclesia sic orat pro defunctis : *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis Inferni, et de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum*, etc. Ergo supponit eas animas nondum judicatas esse, earumque sortem adhuc in suspenso esse.

Resp. *Nego conseq.* Ecclesia enim sic orat, quia repræsen-

[1] Serm. 2 *de S. Victore.*

tat illas animas, quasi tunc migrarent e corpore, et in periculo essent subeundi judicii, *quia commemorat, et repræsentat diem depositionis seu obitus,* ait Bellarm.[1]; quemadmodum in festo Nativitatis repræsentat Christum nascentem, et in Adventu quasi jamjam nasciturum, dicens: *Rorate, cœli desuper, et nubes pluant justum,* etc.

Objicies 8. Joann. XXII, S. P., definivit Sanctos, nonnisi post extremi judicii diem, esse Deum visuros. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Licet enim Joann. XXII, tanquam doctor privatus, docuerit animas Sanctorum non esse visuras Deum intuitive ante generalis judicii diem, nihil tamen super ea re definiit; quod multis momentis potest probari.

1. Quia Galliarum Episcopi, a rege in castrum Viencennarum coacti, declararunt Joann. XXII nihil unquam ea de re publico diplomate definisse: illius testimonii authenticum instrumentum asservatur apud PP. Dominicanos Parisienses.

2. Quia idipsum Joann. XXII testatur, revocando suam priorem opinionem, sub hac forma[2]: *Fatemur et credimus, quod animæ purgatæ separatæ a corporibus sunt in cœlo et cum Christo, in consortio Angelorum congregatæ, et vident Deum et divinam essentiam facie ad faciem, clare in quantum status et conditio animæ separatæ patitur. Si vero alia, vel aliter circa materiam hujusmodi per Nos dicta, prædicata, seu scripta fuerunt... illa diximus, prædicavimus, seu scripsimus recitando et conferendo, et non determinando, nec etiam tenendo...; insuper... illa habemus et haberi volumus pro non dictis, prædicatis, et scriptis, et ea revocamus expresse.... et ea submittimus Ecclesiæ determinationi et successorum nostrorum.* Hæc verba continentur in diplomate dato Avenione ann. 1334, tertio nonas Decembris, Pontificatus ann. 19 et ultimo. Cum autem propter ejus mortem illud diploma non fuisset Bulla Pontificia munitum, ideo ejus successor Benedictus XII, illud

[1] Lib. 2 *de Purgat.*, cap. 5. — [2] Apud Rainaldum ad ann. 1336 nunc 37.

promulgavit anno sequenti in *extravag.*, quæ incipit, *Benedictus Deus.* [1]

Momenta quæ ex Gersone, Ochamo, Calvino, opponuntur, probant quidem Joann. XXII plus æquo in eam inclinasse sententiam, quæ Sanctis visionem intuitivam denegat ante corporum resurrectionem; sed nullum probat illam sententiam ab eo, aliqua constitutione, fuisse definitam.

ARTICULUS II.

DE PRINCIPIIS EFFECTIVIS VISIONIS DEI INTUITIVÆ.

Nota. Multa hic congerunt Scholastici. 1° Utrum in visione beatifica admittenda sit ex parte objecti illius visionis, species impressa, quæ divinam essentiam repræsentet. 2° Utrum intellectus, videndo Deum, producat speciem expressam essentiæ divinæ, etc. Verum cum hæ quæstiones sint mere philosophicæ, et Theologo inutiles, eas Philosophis tractandas remittimus, ut de indubitato visionis intuitivæ principio, nempe de lumine gloriæ, disseramus variis quæstiunculis.

[1] * Eamdem rem sic dilucidat R. P. Perronne. *Pius et doctus hic Pontifex* (Joannes XXII), *cum excitata esset sub finem Pontificatus sui hæc controversia* (de visione intuitiva post mortem) *inter Minoritas et Dominicanos, ut pleniore causæ cognitione eam dirimaret, constituit ut documenta omnia, quæ alterutri parti contendentium favere videbantur, colligerentur. Hæc collecta ut examinarentur Cardinalibus tradidit, ac ipsemet huic discussioni operam dedit. Hac ac causa opera malevolorum, schismaticorum præsertim Franciscalium, qui Ludovico Bavaro addicti erant, calomniam Joannes sustinuit apud Philippum Galliarum regem, perinde ac si addictus esset parti negantí visionem beatificam conferendam statim post obitum. Non solum autem Pontifex ab impacta atroci adeo calumnia se purgavit, sed præterrea sub vitæ finem jamjam editurus erat constitutionem, ad sententiam catholicam defendendam, quod utique fecisset nisi morte fuisset præpeditus; interim juridice ante mortem coram Cardinalibus et tabellionibus protestatus est se et* habere *et* habuisse *hanc sententiam.* (Compend. præl. Theol., De Deo creat. pars. 3, cap. 6, art. 1, ad 5, 3 obj.) *

QUÆRES 1. *Quid sit lumen gloriæ?*

RESP. Est *habitus supernaturalis, quo mens creata elevatur ad intuitivam visionem Dei eliciendam.*

Dicitur 1: *habitus,* quia est qualitas fixa, et permanens, extrinsecus adveniens intellectui creato, ipsumque corroborans ad operandum simpliciter, nempe ad eliciendam visionem.

Dicitur 2: *supernaturalis,* quia solis naturæ viribus haberi nequit.

Dicitur 3: *Quo mens humana elevatur ad eliciendam,* etc., ut designetur præcipuum ejus munus, et officium, quod est conferre intellectui vim supernaturalem ad visionem Dei eliciendam, et ad hanc cum illo effective concurrere, eo fere modo, quo habitus fidei, spei et charitatis animam juvant et roborant ad actus earumdem virtutum producendos; ex quo

Resolves lumen gloriæ habere rationem concausæ connaturalis respectu visionis beatificæ, quia cum intellectu, quod elevat, concurrit efficienter ad visionem beatificam, et quidem connaturaliter, quia intellectui inhæret tanquam illius complementum; unde illa visio immediate producitur ab intellectu lumine gloriæ instructo.

QUÆRES 2. *Utrum lumen gloriæ necessarium sit ad Deum intuitive videndum?*

RESP. *Lumen gloriæ, juxta viam Dei ordinariam, necessarium est cuilibet intellectui creato, ad Deum intuitive videndum.* Responsio est de fide definita in Concilio Viennensi contra Beguardos et Beguinas, qui docebant *animam non indigere lumine gloriæ ad Deum videndum.* Tamen illud lumen esse potius auxilium habituale, quam actuale, non est de fide.

PROB. 1. *Ex Script.* [1] *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Atqui visio Dei intuitiva designatur per illa verba, ut colligitur ex versu præcedenti: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

[1] Psalm. 35.

Prob. 2. *Ratione*. Omnis facultas, quæ solis naturæ viribus est insufficiens et improportionata ad aliquem actum eliciendum, indiget ad id corroborari et elevari; atqui intellectus creatus est insufficiens et improportionatus ad intuitivam Dei visionem eliciendam, quia intuitiva Dei visio est ordinis supernaturalis; ergo indiget ad id per aliquod auxilium supernaturale elevari; atqui illud auxilium est lumen gloriæ. Ergo.

Objicies 1. Lumen gloriæ non est necessarium ad visionem Dei eliciendam. Ergo.

Prob. ant. Si lumen gloriæ sit necessarium, vel ex parte essentiæ divinæ, vel ex parte intellectus creati; atqui neutrum dici potest. Ergo.

Resp. *Nego min.* Nam necessarium est ex parte intellectus creati, qui, cum ex se sit insufficiens ad claram Dei visionem, debet elevari et compleri per aliquid ipsi superadditum; illud autem est lumen gloriæ. Ergo.

Inst. 1. Omnis facultas potest per se, et sine ullo addito, attingere suum objectum; atqui Deus, utpote summe cognoscibilis, est objectum intellectus creati. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Potest per se, et sine addito, attingere suum objectum, sibi proportionatum, *conc.*; sibi improportionatum, *nego*. Porro Deus intuitive videndus est objectum intellectus supernaturale; ergo non potest illud solis naturæ viribus attingere.

Inst. 2. Atqui lumen gloriæ intellectum nequit Deo proportionatum reddere; ergo nulla solutio.

Resp. *Dist. min.* Nequit reddere intellectum Deo proportionatum, proportione entitatis, *conc.*; proportione habitudinis, *nego ant.* Jam responsionem explicavimus.

Objicies 2. Si lumen gloriæ sit principium effectivum visionis beatificæ, intellectus erit tantum causa instrumentalis illius visionis; absurdum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Nego sequel. major.* Nam tum intellectus, tum lumen gloriæ, sunt principia effectiva visionis Dei, nec unum re-

cipit suam agendi virtutem ab alio; quippe illa duo conjuncta efficiunt unicum visionis beatificæ principium.

INST. Quod agit duntaxat per potentiam obedientialem, habet rationem causæ instrumentalis, ut aqua in Baptismo; atqui, si requiratur lumen gloriæ, intellectus aget duntaxat per potentiam obedientialem.

RESP. *Nego min.* Intellectus enim elicit visionem per virtutem sibi propriam et innatam, elevatam tamen per lumen gloriæ, sine quo non posset actionem supernaturalem elicere, ex quo patet quod non agat per virtutem mere obedientialem.

DIXI in Resp.: *Juxta viam Dei ordinariam;* quia lumen gloriæ non est ita necessarium, quin per uberiorem quemdam et supernaturalem Dei concursum, intellectus elevari possit ad videndum intuitive Deum, absque illo lumine intrinseco, sive permanente, sive transeunte. *Ratio* est, quia Deus, cum omnem causæ efficientis virtutem eminenter contineat, potest per se supplere omnem causæ efficientis influxum non vitalem, sic potest producere calorem sine igne; atqui influxus luminis gloriæ non est vitalis, cum sit intellectui extrinsecus. Ergo.

Nec dicas: Principium internum actionis vitalis nullo Dei concursu potest suppleri; atqui lumen gloriæ est principium actionis vitalis internum. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Principium actionis vitalis, quatenus vitalis, non potest suppleri, *conc.;* quatenus supernaturalis, *nego.* Porro lumen gloriæ non est principium actionis vitalis qua vitalis, nam quidquid est vitale in visione beatifica est a principio vitali intrinseco; at lumen gloriæ est a principio, seu causa extrinseca, nempe a Deo. Ergo.

QUÆRES 3. *Utrum lumen gloriæ possit alicui creaturæ esse connaturale?* seu: *Utrum Deus possit creare substantiam supernaturalem, quæ sine lumine gloriæ possit per proprias vires naturales videre Deum intuitive?*

RESP. *negative.* Nam creatura, quæ visione beatifica do-

natur, est necessario beata et impeccabilis; atqui nulla creatura potest sua propria natura esse beata et impeccabilis. Ergo.

Prob. prima pars min. Ex D. August.[1] : *Quamvis non omnis beata possit esse creatura*, inquit, *ea tamen quæ potest, non ex seipsa potest, quia ex nihilo creata est;* atqui creatura quælibet possibilis ex nihilo est. Ergo.

Prob. secunda pars min. Ex eodem Aug.[2] dicente : *Quanquam magna natura sit, vitiari tamen potuit, quia summa non est;* atqui nulla creatura potest creari, quæ *summa* sit; alias essent duo summa, quod ut probatum est dissertat. *De unitate Dei.* Ergo.

Dices : Datur accidens supernaturale, v. gr. fides, spes, charitas. Ergo potest etiam dari substantia supernaturalis.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod accidens supernaturale, etsi tendat ad Deum vel videndum vel amandum, etc., non tamen ejusdem sit cum ipso substantiæ, quia non est propter se, sed propter aliud quod perficit; unde destinari potest a Deo ad ordinem supernaturalem, et sic potest in entitate sua esse supernaturale. *E contra*, si daretur substantia supernaturalis, quæ ex se beata foret et impeccabilis, esset ejusdem cum Deo substantiæ, quia omnis substantia est propter se, nec quidquam exigere potest, nisi quod naturale est; atqui si daretur substantia quæ exigeret beatitudinem et impeccabilitatem tanquam quid sibi naturale, esset ejusdem cum Deo substantiæ; ergo si daretur substantia supernaturalis, esset ejusdem cum Deo substantiæ; ergo Deus; ergo plures essent dii, quod implicat.

Inst. 1. Charitas erat connaturalis Christo; ergo natura creata potest exigere accidens supernaturale, tanquam quid sibi connaturale et debitum.

Resp. *Dist. ant.* Erat connaturale Christo ratione Verbi divini, *conc.;* ratione humanitatis, *nego.*

[1] Lib. 12 *de Civit. Dei*, cap. 1. — [2] Lib. 14 *de Trinit.*, cap. 12.

INST. 2. Intellectus creatus simul cum lumine gloriæ, esset ens finitum : ergo a Deo potest creari.

RESP. *Nego conseq.* Neque enim Deus potest facere id omne quod finitum est, quando illud implicat; sic non potest facere creaturam a se omnino independentem.

INST. 3. Visio Dei est actio vitalis; atqui omnis actio vitalis est connaturalis facultati vitali : ergo visio Dei est connaturalis intellectui creato.

RESP. *Dist. min.* Actio vitalis, quatenus vitalis, est connaturalis facultati vitali, *conc.*; quatenus supernaturalis, *nego min.* Sic enim omnem exigentiam facultatis creatæ et creabilis superat; ergo ipsi est supernaturalis; nam omne quod est supra exigentiam naturæ, supernaturale est.

ARTICULUS III.

DE OBJECTO INTUITIVÆ DEI VISIONIS.

Nota. Duplex est objectum Dei visionis, nempe : *primarium*, quod primo, per se et immediate videtur, et in quo cætera videntur; talis est Deus; *secundarium*, quod in alio videtur, nec confert ad beatitudiuem, nisi accidentaliter, cujusmodi sunt creaturæ. De utroque objecto disseremus in duobus paragraphis, quibus addemus tertium, nempe de modo quo creaturæ videntur in Deo.

§ I.

De primario visionis intuitivæ objecto.

Certum est 1. Quod beati videant Deum et omnia quæ sunt in Deo formaliter, sive sint absoluta, sive relativa, tam ea quæ dicunt ordinem unius personæ divinæ ad aliam, quam ea quæ dicunt ordinem ad creaturas, licet hæc ultima non videant, nisi secundum primarias suas et generales rationes. Nam beati vident Deum ut est in se, facie ad faciem; atqui non possunt videre Deum ut est in se, facie ad faciem, quin videant omnia quæ sunt in Deo intrinsece et formaliter. Ergo.

Dixi attributa quæ dicunt ordinem ad creaturas, non videri *nisi secundum primarias et generales rationes*, non vero quoad secundarias et speciales, hoc est, secundum respectus omnes, quos attributa dicunt ad creaturas; atque ita, visa omnipotentia Dei, videretur generatim ejus objectum, nempe ens possibile, sed non videntur singula entia, ad quæ extendi potest Dei omnipotentia. Similiter, visa Dei scientia, non videntur omnia divinæ scientiæ arcana et consilia; hæc enim sunt libera in Deo, et ab eo pro arbitrio absconduntur, aut revelantur beatis.

Certum est 2. Quod beati videant clare omnia fidei mysteria, quorum fidem in terris habuerunt. Nam, ex Apost.[1], in cœlis videbimus *facie ad faciem* quæ hic in terris videmus *per speculum et in ænigmate;* atqui omnia mysteria fidei hic videmus per speculum et in ænigmate. Ergo. Unde Div. Aug.[2] ait: *Hic creditis, ibi videbitis*.

Restat ergo videndum, utrum intuitive videri possit essentia divina sine attributis, et una persona sine alia. Affirmant Scotistæ, negant omnes alii Theologi cum Div. Thom.[3]; cum quibus sit

CONCLUSIO I.

Essentia Dei, etiam de potentia absoluta, non potest videri sine attributis, nec una persona sine alia.

Prob. 1. *Ex Script.* Joan. 14: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem*, inquit Christus. *Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est?* Quo sic argumentor: Christus docet, quod qui videt Filium, videt etiam Patrem, eo quod sint idem in essentia; atqui omnia attributa, tum absoluta, tum relativa, sunt idem cum essentia, Deus enim est simplicissimus: ergo non potest unum ex illis videri sine alio. Quare Divus Augustinus[4], post relata illa Joannis verba, ait: *Videtis quia*

[1] Cor. 13.— [2] Lect. 20 *de Civit. Dei*, cap. 21.— [3] 2, 2, q. 2, art. 8, ad 3. — [4] In Psalm. 85.

in visione Patris, et Filii visio est, et in visione Filii, et Patris visio est. Ideo consequenter subjecit et dixit : Nescitis quia ego in Patre et Pater in me est? Id est, et me viso, videtur et Pater, et Patre viso, videtur et Filius; Patris et Filii separari non potest visio. Ubi non unius separatur natura et substantia, visio separari non potest.

Prob. 2. *Ratione.* Ens maxime simplex non potest videri intuive, non visis iis quæ sunt de ipsius entitate et natura, hoc enim implicat; atqui Deus est ens maxime simplex : ergo non potest videri, non visis iis quæ sunt de ejus entitate; atqui omnia ejus attributa, omnesque SS. Trinitatis personæ, sunt de ejus entitate; ergo non potest videri intuitive, quin simul videantur omnia attributa, omnesque SS. Trinitatis personæ.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Quod ab alio virtualiter distinguitur, potest sine illo videri; atqui essentia divina virtualiter distinguitur ab attributis et personis. Ergo, etc. Resp. *Nego maj.*

Prob. maj. Quod virtualiter distinguitur ab alio, potest absque eo terminare actum intellectus; ergo quod ab alio virtualiter distinguitur, potest absque eo videri.

Resp. *Dist. ant.* Potest terminare actum intellectus abstrahentis, *conc.;* intuitive videntis, *nego ant.* Ratio est, quia visio intuitiva terminatur ad Deum ut in se est, non ut per mentem una perfectio abstrahitur ab alia; atqui Deus, utpote simplicissimus, non potest videri, ut in se est, quin videatur totus, ac proinde, si quid ejus non videretur, neque ejus videretur quidquam, quia totus ipse est, quidquid est illius.

Inst. 1. Distinctio virtualis sufficit, ut communicetur Filio essentia, non communicata paternitate; ergo sufficere potest, ut essentia videri possit, non visa paternitate.

Resp. *Dist. ant.* Non communicata paternitate immediate, *conc.;* mediate, *nego ant.* Equidem cum Pater non com-

municet naturam divinam Filio secundum omnem modum, quo se habet, id est, ut formaliter subsistentem paternitate, inde est quod ipsi non communicet paternitatem immediate; verum cum personæ, ob unitatem naturæ in qua identificantur, sint in se invicem, sequitur quod dum immediate communicatur essentia, personæ mediate saltem sibi invicem communicentur; ex quo patet objectionem nobis favere potius quam obesse, cum ostendat non posse per visionem attingi essentiam, quin persona attingatur.

Inst. 2. Objectum primarium visionis beatificæ potest videri sine objecto secundario, atqui essentia est objectum primarium visionis beatificæ, personæ vero et attributa sunt de objecto secundario. Ergo, etc.

Resp. 1. *Dist. maj.* Objectum primarium potest videri sine secundario, quando sunt objecta distincta, *conc.*; quando sunt objecta sibi invicem identificata, *nego maj.*; atqui personæ et attributa sunt quid realiter idem cum essentia divina.

Resp. 2. *Nego min.* Nam quidquid realiter Deus est, pertinet ad objectum primarium visionis beatificæ; atqui personæ et attributa sunt realiter Deus. Ergo, etc.

Inst. 3. Deus liber est in concedenda sui clara visione: ergo potest clare manifestare essentiam sine attributis, et unum attributum sine alio.

Resp. *Dist. ant.* Liber est absolute, quatenus potest se ad videndum exhibere, vel non exhibere, *conc.*; liber est hypothetice, *nego ant.* Ex hypothesi enim, quod se clare videndum exhibeat, non potest manifestare essentiam, non manifestatis iis quæ realiter identificantur cum essentia divina; unde non est liber quoad modum applicandæ essentiæ.

Inst. 4. Deus tam liber est in modo applicandæ suæ essentiæ, scilicet absque attributis, quam sit liber in applicatione suæ essentiæ clarius et clarius cognoscendæ; atqui in hoc liber est. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Disparitas est, quod applicatio posterior

non impedit quominus Deus videatur totus, licet impediat quominus videatur quantum est visibis; et prior applicatio faceret ne tota videretur entitas Dei, et consequenter nullatenus videretur, nam objectum simplicissimum, quando non videtur totum, nullatenus videtur.

Objicies 2. Ea possunt intuitive videri sine se invicem, quæ a se invicem realiter distinguuntur; atqui personæ divinæ a se invicem realiter distinguuntur. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Si non identificentur cum alio quod videtur, *conc.*; si identificentur, *nego maj.* Porro personæ divinæ, licet realiter a se invicem distinctæ, tamen identificantur cum essentia divina, ac proinde una persona non potest videri sicuti est, id est, prout est quid unum cum essentia, quin pariter videantur aliæ personæ, quæ similiter sunt quid unum cum essentia.

Inst. Tam una persona potest videri sine alia, quam una potuit incarnari sine alia; atqui una persona potuit incarnari sine alia. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Disparitas est, quod non necesse sit, ut res, quæ alicui unitur vel aliquid terminat, ei uniatur vel illud terminet adæquate, hoc est, secundum id omne quod est idem cum ipsa: unde Verbum potuit uniri humanitati; quamvis id omne quod est idem cum essentia divina, humanitati conjunctum non fuerit, id est, licet unaquæque persona propriam suam substantiam humanitati non unierit; contra, visio objecti non potest esse intuitiva, quin objectum adæquate attingat, id est, secundum omnia quæ sunt ejusdem cum ipso naturæ.

Subsumes. Atqui ad visionem intuitivam non requiritur ut omnia, quæ sunt in objecto, videantur. Ergo.

Prob. subs. Qui videt aliquem a longe venientem, videt illum sub ratione viventis, sed non discernit, an sit homo, vel brutum; atqui illa visio est intuitiva. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Illa visio est intuitiva imperfecte, *conc.*; perfecte, *nego min.* Porro, licet ad visionem intuitivam im-

perfectam, qualis est visio corporea, non requiratur ut omnia quæ sunt in objecto, videantur, id tamen requiritur in cognitione intuitiva perfecta, qualis est visio beatifica. *Ratio disparitatis* est, quia oculus corporeus attingit res tantum sub ratione colorati et lucidi, non cognoscendo illas secundum rationem specificam, aut individualem; intellectus vero creatus habet pro objecto omne verum, sub quo continentur omnia rei cognitæ prædicata, tam constitutiva quam modificativa; unde si ejus cognitio sit intuitiva, necessario se extendit ad omne quod pertinet ad naturam objecti et modum essendi illius.

§ II.

De secundario visionis beatificæ objecto.

Nota. Secundarium visionis beatificæ objectum sunt creaturæ, de quibus resolvendum est : 1° Utrum beati videant omnes creaturas in aliqua temporis differentia existentes. 2° Utrum videant omnes creaturas possibiles.

CONCLUSIO I.

Beati non vident omnes res in aliqua temporis differentia existentes ; vident tamen aliquas.

PROB. PRIMA PARS. Quia beati ea omnia non vident, quæ cognoscere ad ipsos nihil attinet; atqui multa sunt quæ ad ipsos nihil attinent. Ergo, etc. Sic non vident ultimi judicii diem, dicente Christo [1] : *De die autem illo, vel hora nemo scit... neque Angeli cœlorum.* Nec vident secreta cordis, nisi ad eos dirigantur.

PROB. SECUNDA PARS. Quia beati videbunt omnes res ad quas naturalem habent appetitum : nam beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus; atqui non esset talis, si non viderent omnes res ad quas naturalem

[1] Matth. 24, v. 36.

habent appetitum : ergo, etc. Quare Guillelmus Paris. [1] ait : *Quidquid decebit vel delectabit eos videre, visuri sunt.*

Hinc 1° Beati vident rerum, quæ sunt in universo, genera et species, et rationes earum ; ratio D. Thomæ est quia *naturale desiderium rationalis creaturæ est ad sciendum illa omnia quæ pertinent ad perfectionem intellectus.*

2° Vident omnia quæ ad illos spectant, sive ratione status, sive officii, sive dignitatis, peculiarisve alterius tituli, ut definit Concil. Senonense *de decretis fidei*, cap. 13. *Beatis*, inquit, *pervium est divinitatis speculum, in quo quidquid eorum interest, eluceséit.* Sic Angeli norunt quæ ad eos spectant, quos in custodiam acceperunt ; SS. Pontifices, quæ ad Ecclesiæ totius regimen : *Dabo operam*, inquit D. Petrus [2], *et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Parentes vident quæ ad propriam familiam spectant : ita D. Ambros. [3] docet Theodosium in cœlo curam habiturum Honorii et Arcadii liberorum. Reges vident quæ ad regna, quæ, dum viverent, administrarunt, pertinent ; sic Elias post suam translationem cognovit quæ pertinebant ad regnum Israel, in quo prophetaverat [4].

3° Vident preces quas viventes ad eos dirigunt, quia hoc spectat communionem quam Christus instituit inter membra corporis sui, quod est Ecclesia in cœlis regnans, in terris militans, et in Purgatorio patiens ; ita D. Thom. [5] et omnes Theologi.

4° Denique beati sese invicem, suosque parentes et amicos in patria cognoscunt. *In meliorem statum destinamur*, inquit Tertull. [6], *resurrecturi in spiritale consortium, agnituri tam nosmetipsos, quam et nostros.* Et D. Cyprian. [7] ait : *Magnus illic*, in patria, *nos charorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum... ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune lætitia est.*

[1] 1 part. suæ summæ, tract. *de Immort. animæ*, cap. 9.— [2] Epist. 2, cap. 1.— [3] Orat. *de Obitu Theodosii.*— [4] 2 *Paralip.*, cap. 21, v. 12.— [5] 2, q. 83, art. 3, ad 2.— [6] Lib. *de Monog.*, cap. 10,— [7] Lib. *de Mort.*

CONCLUSIO II.

Beati non vident omnia possibilia.

Prob. Beati non possunt Deum comprehendere; atqui si viderent omnia possibilia, Deum comprehenderent; omnipotentiam enim Dei, quæ Deus est, comprehenderent. Ergo, etc. *Minor*, in qua sola potest esse difficultas, certa videtur, quippe comprehendere Dei omnipotentiam nihil aliud est quam videre ea omnia ad quæ potest se extendere.

Dices: Beati vident omnipotentiam Dei, ut est in se; atqui non possunt eam sic videre, nisi omnia possibilia videant. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Nisi omnia possibilia videant confuse, *conc.;* distincte et sigillatim, *nego min.* Vident enim beati omnipotentiam Dei in se, sed non vident sigillatim omnes creaturas ad quas potest sese extendere; alias comprehenderetur, quod menti finitæ est impossibile.

Inst. 1. Non major requiritur virtus ad videnda omnia possibilia, quam ad videndum Deum; atqui beati actu vident Deum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quam ad videndum Deum infinite, *conc.;* finite, *nego maj.* At Deus a beatis videtur solum finite, neque aliter videri potest: si tamen a beatis viderentur omnia possibilia, exhauriretur potentia infinita, quod mentis finitæ vires superat.

Inst. 2. Mens humana elevari potest ad videndum Deum, ut est ens supernaturale; ergo ut est ens infinitum.

Resp. *Nego conseq.* Ratio disparitatis est, quia mens humana elevata ad Deum videndum, ut est ens supernaturale, non ascendit ad comprehensionem, quæ uni Deo propria est; at si elevaretur ad videndum Deum, ut est ens infinitum, eadem comprehensio, quæ est modus cognoscendi uni Deo proprius, menti creatæ communicaretur, quod est impossibile.

§ III.

De modo quo creaturæ videntur in Verbo divino.

Nota 1. Non esse hic quæstionem de creaturis spectatis secundum illud esse eminentiale quod habent in Deo, quia, sic spectatæ, sunt Deus ipse; sicque eodem modo videntur, quo Deus ipse. Est ergo quæstio de creaturis spectatis secundum esse proprium et reale quod habent in se ipsis, utrum in Verbo videantur.

Nota 2. Creaturas videri in Verbo, est eas in essentia divina videri : unde dicuntur videri *in Verbo* per appropriationem, eo quod ea quæ pertinent ad intellectum attribuuntur Verbo, sicut attribuuntur Spiritui Sancto ea quæ ad voluntatem pertinent.

Nota 3. Creaturas duobus modis videri posse in Verbo: 1° causaliter; 2° formaliter.

Creaturas videri *in Verbo causaliter* est eas videri in se ipsis, visione quidem distincta a visione divinæ essentiæ, sed ab illa causata, ita ut essentiæ visio præsupponatur tanquam visionis creaturarum causa, saltem moralis. Hac visione, quæ *vespertina* dicitur, creaturæ videntur in se ipsis per revelationem, vel per species a Deo infusas.

Creaturas videri *in Verbo formaliter* est illas videri eadem visione, qua videtur essentia divina, in qua repræsentantur tanquam in speculo. Ad hanc cognitionem duæ conditiones requiruntur : *prima* est ut eorum, quæ videntur, unum habeat connexionem cum altero; *defectu hujus conditionis*, cum, per unam speciem et unam cognitionem, Angelus equum et leonem videt, neque equus in leone, neque leo in equo dicitur videri formaliter, quia neuter cum altero connexionem habet; ad summum sese concomitanter habet utriusque cognitio; *secunda*, ut unum ex objectis cognitis sit medium, seu ratio motiva alterius cognoscendi, sitque objectum primarium, prius in signo rationis cogni-

tum, quam illud quod in ipso cognoscitur : *cujus conditionis defectu*, relatum non dicitur videri formaliter in suo correlato, quamvis inter utrumque sit talis connexio, ut unum sine alio cognosci non possit, et sic mere concomitanter non se habeant. His suppositis, sit

CONCLUSIO.

Creaturæ, sive mere possibiles, sive existentes in aliqua temporis differentia, a beatis videntur in Verbo formaliter secundum suum esse proprium ; item videntur in Verbo causaliter, id est videntur in se ipsis, visione ab ipsa Dei visione causata.

PROB. PRIMA PARS. 1. *Ex Concil. Senonensi*, dicente *pervium esse beatis omniformis divinitatis speculum, in quo quidquid eorum interest, elucescit.* Ergo divina natura est medium *in quo*, velut in speculo, eæ creaturæ, quæ ad beatos spectant, videntur.

PROB. 2. *Ratione theologica.* Id beati vident in Verbo formaliter, cujus Verbum est velut speculum; atqui Verbum est veluti speculum rerum omnium, *in quo*, inquit D. Aug[1], *sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod facta sunt omnia.* Ergo beati vident res omnes, quas vident, in Verbo formaliter.

PROB. UTRAQUE PARS. *Ex D. August.* [2], qui duplicem in beatis distinguit creaturarum cognitionem : unam, qua creaturæ videntur in Verbo formaliter, quam appellat *matutinam*, quia clarior est; alteram, qua creaturæ virtute visionis beatificæ, videntur in se ipsis, quam appellat *vespertinam*, quia obscurior est. *Multum quippe interest*, inquit, *inter cognitionem rei cujusque in Verbo Dei, et cognitionem in natura ejus, ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad vesperam; in comparatione enim lucis illius, quæ in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in se ipsa novimus, non*

[1] Lib. 4 *de Genes. ad litteram*, cap. 24. — [2] Ibid., cap. 23.

immerito nox dici potest. Ergo, ex D. Aug., beati vident creaturas : 1° in Verbo formaliter; 2° in Verbo causaliter, seu in se ipsis visione a Dei cognitione causata.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Quod distincte et formaliter non est in Verbo, non potest formaliter in eo videri; atqui creaturæ non sunt in Verbo formaliter et distincte. Ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Nam ut aliquid videatur formaliter, non requiritur ut in eo sit formaliter, sed sufficit ut cum Verbo habeat connexionem talem, ut Verbum sit ratio formalis et motiva illud cognoscendi; atqui creaturæ talem habent connexionem cum Verbo, tum ratione causæ exemplaris, quippe factæ sunt ad normam idearum, quas de eis Verbum habuit ab æterno; tum ratione causæ efficientis, quippe per Verbum omnia facta sunt. Ergo, etc.

INST. 1. Atqui creaturæ non habent necessariam connexionem cum Verbo; ergo Verbum non potest esse ratio formalis et motiva illas cognoscendi.

RESP. *Dist. ant.* Non habent necessariam connexionem absolute, *conc.;* hypothetice, *nego.* Ex hypothesi enim quod creaturæ possibiles sunt, vel existentes, necessariam habent connexionem cum Verbo divino, in quo, tanquam in objecto prius cognito, videntur formaliter.

INST. 2. Si beati viderent creaturas in Verbo, ea visio non esset intuitiva; atqui absurdum conseq. Nam creaturarum visio in beatis debet esse perfecta; sola autem visio intuitiva est perfecta, siquidem abstractiva multum est imperfecta. Ergo, etc. RESP. *Nego maj.*

Prob. maj. Illa visio non est intuitiva, per quam res videtur in alio; atqui visio creaturarum in Verbo, esset in alio. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Illa visio non est intuitiva, per quam res videtur in alio, si illud aliud perfecte rem non repræsentet, *conc.;* si perfecte eam repræsentet, *nego maj.* At Ver-

bum, quod est perfecta imago Patris, est etiam perfecta imago rerum omnium, tum possibilium, tum existentium.

Objicies 2. Si beati viderent in Verbo aliquas creaturas possibiles, aut existentes in aliqua temporis differentia, viderent omnes tam possibiles quam existentes; sed falsum ex dictis consequens. Ergo. Resp. *Nego maj.*

Prob. maj. Ideo beati vident in Verbo aliquas creaturas possibiles et existentes, quod repræsententur in Verbo tanquam in speculo; atqui omnes, tum possibiles, tum existentes, æqualiter in Verbo repræsentantur. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ideo... quod repræsententur in Verbo tanquam in speculo voluntario, *conc.;* in speculo necessario, *nego.* Porro, essentia divina est speculum voluntarium, et consequenter beati eas solas creaturas in ea vident, quas Deus illis, pro beneplacito, vult manifestare, eorum intellectum per specialem concursum adjuvando ad harum, non ad aliarum, cognitionem.

ARTICULUS IV.

DE ÆQUALITATE ET INÆQUALITATE VISIONIS DEI INTUITIVÆ.

Nota. Duo hic quæruntur : *primum,* utrum beati fruantur Dei visione in gradu æquali vel inæquali; *secundum,* quænam sit causa illius inæqualitatis. Primum pertinet ad fidem; secundum ad Scholæ dissidium.

Circa primum, Jovinianus, IV sæculo, juxta Stoicorum placita, docuit tam æqualia esse peccata, quam recte factorum merita, et consequenter omnes beatos æquali Dei visione fruituros; quem errorem renovarunt sæculo XVI Pseudoreformati.

Circa secundum, conveniunt omnes Theologi justorum merita esse causam moralem inæqualitatis visionis beatificæ sed controvertitur; utrum lumen gloriæ sit causa totalis et inadæquata illius inæqualitatis; negat Scotus, qui hanc inæqualitatem repetit partim ex lumine gloriæ, par-

tim ex majori vel minori intellectus perspicacia; affirmant omnes alii.

CONCLUSIO I.

Inæqualis est visio beatifica.

Propositio est de fide, definita in Conc. Flor. [1] in quo dicitur : *Beatos visuros Deum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.* Et in Conc. Trid. : *Si quis dixerit hominis justificati bona opera... non vere mereri... gloriæ augmentum, anathema sit.*

Prob. 1. *Ex Script.* [2] dicitur : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et [3]: *Alia clarritas solis, alia claitas lunæ, alia claritas stellarum ; stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Ex quibus sic arguo : Mansiones in domo Patris, et claritas stellarum sunt inæquales; atqui, juxta SS. Patres, claritas illa et mansiones significant visionem beatificam : ergo inæqualis est visio beatifica.

Prob. min. Ex Tertull. [4] dicente : *Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum ? Quomodo stellam stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum ?* Ex D. Aug. [5] : *Multæ mansiones,* inquit, *universas meritorum in una vita æterna significant dignitates... tanquam stellæ sancti diversas mansiones, diversas claritates in cœlo sortiuntur.* Et ex D. Greg. Magno [6]: *Apud Patrem mansiones multæsunt,* inquit, *quia in illa beatitudinis vita sunt dispares; unusquisque juxta dispar meritum, locum disparem percipit.*

Prob. 2. *Ratione theologica.* Debet esse eadem ratio mercedis pro diversitate meritorum, quæ supplicii pro diversitate criminum; atqui pro diversitate criminum varia decernuntur supplicia [7] : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum illi date tormentum.* Ergo.

[1] Sess. 13. — [2] Joann. 14. — [3] 1 Cor. 15. — [4] *In Scorpiaco*, cap. 6. — [5] Tract. 57 *in Joann.* — [6] Lib. 35 *Moral*, cap. 4. — [7] *Apocal.*, 18

bum, quod est perfecta imago Patris, [illegible] imago rerum omnium, tum possibilium [illegible] ditur omni-

Objicies 2. Si beati viderent [illegible] adumbravit, possibiles, aut existentes in [illegible] faverint; ergo viderent omnes tam pos[illegible] 2. sum ex dictis consequen[illegible] it æqualis quoad

Prob. maj. Ideo beat[illegible] tensionem, *nego.* Ita possibiles et exist[illegible] Aug.[1]: *Ille denarius,* tanquam in sp[illegible] *na omnes æquales erunt.* existentes, æq[illegible] *versitate fulgebunt, alius majus,*

Resp. *Di*[illegible] *tamen ad vitam æternam pertinet æqualis* tanquam [illegible] *: non erit alii brevius, alteri longius, quod pariter* rio, *ne*[illegible] *est.*

et c[illegible]

Inst. 1. Atqui visio beatifica erit æqualis quoad gradum qu[illegible] et intensionem. Ergo, etc.

Prob. ant. Quod est maxime simplex non potest inæqualiter videri; atqui Deus est maxime simplex. Ergo.

Prob. maj. Quod non potest dividi non potest inæqualiter videri; atqui quod est maxime simplex non potest dividi. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quod non potest dividi neque ex parte objecti, neque ex parte intellectus, *conc.;* quod non potest dividi ex parte objecti, potest vero dividi ex parte intellectus, *nego maj.* Atqui ens simplex non potest dividi ex parte objecti, *conc.;* ex parte intellectus, *nego min.* Itaque Deus, licet maxime simplex, est tamen infinitus, ac propter talem infinitatem præbet intellectui fundamentum, ut perfectius et perfectius in infinitum intelligatur.

Inst. 2. Atqui Deus non potest dividi ex parte intellectus. Ergo, etc. *Prob.* Quod videtur sicuti est, non potest dividi ex parte intellectus; atqui Deus a beatis videtur sicuti est. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Non potest dividi ex parte intellectus, si

[1] *Serm.* 56 *de Verbis Domini*, cap. 14.

sicuti determinet modum visionis, tum ex parte
um ex parte videntis, *conc.;* si determinet mo-
solum ex parte rei visæ, *nego maj.* Atqui ex
Adverbium sicut *determinat modum visionis ex*
t sit sensus, videbimus eum ita esse sicuti est,
s videbimus, quod est ejus essentia. Non au-
um visionis ex parte videntis, ut sit sensus,
modus videndi sicut est in Deo perfectus

...udo est status omnium bonorum ag-
...e perfectus; atqui, supposita inæqualitate visio-
...is beatificæ, non erit talis status. Ergo.

Prob. min. Posita visionis Dei inæqualitate, alter alteri invidebit, illiusque majorem desiderabit felicitatem. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Equidem unusquisque, *juxta dispar meritum, locum disparem percipit,* ait Greg. Mag. [2], *sed ejusdem disparitatis damna non sentit,* quia tantum sibi, quantum perceperit, sufficit. Beatitudo est edæquata appetitus quietio per visionem intuitivam. Visionis ergo mensura appetitus est, appetitus autem charitas. Unde quia in diversis inæqualis charitas, inæqualis fit et appetitus, et visio et consequenter inæqualis in beatitudine gradus : sed tamen in omnibus est adæquata beatitudo, quia in omnibus appetibus, quidem inæqualis, adæquata est quietio.

CONCLUSIO II.

Inæqualitas visionis intuitivæ lumine gloriæ, tanquam a causa physica totali, repetitur, non vero a majori vel minori perspicacia intellectus.

Prob. Ex D. Thom. [3], quia *facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam Dei formitate constituit.*

[1] 1 p., q. 12, art. 6, ad 1. — [2] Lib. 4 *Moral.*, cap. 31. — [3] 1 p., q. 12, art. 6 in corp.

Ergo, *intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit; plus autem participabit de lumine gloriæ, quo plus habet de charitate.*

OBJECTIONES.

OBJICIES. Intellectus concurrit ad visionem beatificam; ergo intellectus magis perspicax ad eam magis concurrit.

RESP. *Dist. ant.* Concurrit per vires supernaturales a Deo per lumen gloriæ acceptas, *conc.;* per vires naturales, *nego ant.*

INST. 1. Intellectus ad visionem concurrit ut potentia vitalis; ergo concurrit per vires naturales.

RESP. *Dist. ant.* Concurrit ut potentia vitalis, elevata et supernaturalis, *conc.;* naturalis, *nego ant.* Agit ergo in quantum elevatur per lumen gloriæ, et consequenter tota visionis inæqualitas physice fluit ab inæqualitate luminis gloriæ, intellectum magis vel minus elevantis.

INST. 2. Duo intellectus, æquali habitu fidei instructi, possunt elicere actum fidei magis vel minus intensum, pro majori vel minori eorum perspicacia; ergo a pari, duo intellectus, æquali lumine gloriæ instructi, possunt elicere visionem magis vel minus intensam, pro majori vel minori eorum perspicacitate.

RESP. *Transeat ant. Nego conseq.* Disparitas est inter habitum fidei et lumen gloriæ, quod, posito lumine gloriæ, intellectus necessario visionem beatificam eliciat; e contra, usus habitus fidei pendet a libertate, et ideo quod cum æquali habitu fidei unus intensiorem actum fidei eliciat, quam alter, hoc non provenit ex eo quod supra divinam motionem credere possit, sed quod bene utatur habitu, quem alter, pro libertate sua, otiosum ex parte relinquere potest.

Dixi : *Transeat ant.* Quia quamvis intellectus perspicacitas possit aliquid conferre, ut per fidem revelata perfectius apprehendat; tamen quantum ad assensum magis aut mi-

nus intensum, in quo consistit formalis ratio actus fidei, perspicacitas intellectus nihil potest; hoc solum repetitur ab intensiori vel remissiori habitu fidei.

ARTICULUS V.

DE VERA HOMINIS BEATITUDINE.

Nota 1. Beatitudo alia est viæ, alia patriæ.

Beatitudo viæ est : *Status bonorum aggregatione dotatus, sed non plene perfectus.*

Beatitudo patriæ definitur : *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Dicitur 1. *Status*, id est vitæ conditio stabilis : beatitudo enim inamissibilis est æterna, juxta illud : *Justi in perpetuum vivent*[1].

Dicitur 2. *Omnium bonorum*, etc., id est, summi boni quod dicitur *Omne bonum*[2].

Nota 2. Beatitudo alia est objectiva, alia formalis.

Beatitudo *objectiva* est objectum, cujus possessione satiatur appetitus hominis.

Beatitudo *formalis* est actio, qua, cum summo voluptatis sensu, possidetur objectum beatitudinis : his præmissis agemus : 1° De beatitudine objectiva ; 2° De beatitudine formali ; 3° De dotibus animæ beatæ. De dotibus corporis beati, dicetur, cap. 5, ubi de corporum resurrectione.

§ I.

De beatitudine hominis objectiva.

Dico : *Beatitudo objectiva hominis sive in via, sive in patria est solus Deus.*

Prob. 1. *Ex Script.* dicente[3] : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Deum et quem misisti Jesum Christum ;* unde D. Aug.[4] asserit : *Ut vita carnis anima est, ita vita beata hominis Deus est.*

[1] Sap. 5, vers. 19. — [2] Exodi 33. — [3] Joann. 17. — [4] Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 26.

Prob. 2. *Ratione:* In eo solo posita est beatitudo hominis, quod solum potest hominis animam ita satiare, ut nihil amplius ipsi desiderandum supersit; atqui Deus solus est talis, juxta illud D. Aug.[1]: *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Ergo in solo Deo posita est hominis beatitudo objectiva.

Prob. min. Anima hominis non potest satiari, quin perfecte satietur utraque ejus potentia, intellectus scilicet et voluntas; atqui solus Deus potest intellectum hominis satiare, quantum ad cognitionem veri; et voluntatem ejus, quantum ad fruitionem boni: ergo solus Deus potest animam hominis ita satiare, ut nihil ipsi desiderandum supersit.

Prob. min. Nam objectum intellectus est universale verum, et objectum voluntatis est universale bonum; atqui verum et bonum universale in solo Deo reperitur, non vero in aliqua creatura quæ solum habet veritatem et bonitatem participatam et ordinatam ad ipsum Deum; ergo solus Deus potest appetitum hominis satiare, quantum ad cognitionem veri et fruitionem boni: ergo solus Deus est beatitudo hominis objectiva.

Hinc sequitur res terrenas, nimirum divitias, honores, voluptates, scientias, etc., animam occupare posse, nullatenus satiare.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Bona creata appetitum hominis satiare possunt; ergo possunt esse beatitudo hominis objective: ergo non solus Deus. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Appetitus finitus potest satiari per finiti boni possessionem; atqui appetitus hominis est finitus. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Appetitus finitus tam intrinsece quam extrinsece potest, etc., *conc. maj.;* appetitus finitus intrinsece et infinitus extrinsece et objective, *nego maj.;* atqui appeti-

[1] Lib. 1 *Conf.*, cap. 1.

tus est finitus intrinsece et quoad entitatem, *conc. min.* extrinsece et objective, *nego min.*; versatur enim circa omnem veritatem et omne bonum, sive circa verum et bonum infinitum; unde *nego consequentiam.*

INST. 1. Atqui appetitus hominis non est infinitus objective. Ergo.

Prob. subs. Ille appetitus qui non potest versari circa objectum infinitum, non est infinitus objective; atqui appetitus hominis non potest versari circa objectum infinitum. Ergo. RESP. *Nego min.*

Prob. min. Appetitus hominis non potest possidere objectum infinitum; ergo non potest circa illud versari.

RESP. *Dist. ant.* Appetitus hominis non potest possidere objectum infinitum possessione civili, *conc. ant.*; possessione naturali et physica, *nego ant.*

Possessio civilis est detentio rei quoad dominium directum.

Possessio naturalis est gratissima creatæ mentis cum summo suo bono conjunctio; atqui mens humana sic cum Deo potest conjungi. Ergo.

INST. 2. Ut possemus Deum possidere possessione naturali et physica, deberet esse quædam proportio inter facultatem quæ possidet, et objectum quod possidetur; atqui Deum inter et facultatem creatam hominis nulla est proportio. Ergo.

RESP. *Dist. min.* Nulla est proportio entitatis, *conc. min.*; habitudinis, *nego min.*

Proportio entitatis est similitudo in natura, qualis est inter duos oculos.

Proportio habitudinis est relatio essentialis unius ad aliud, qualis est inter oculum et colores; atqui inter Deum et mentem humanam est relatio essentialis, cum mens humana cognoscere possit et amare; Deus vero cognosci et amari: ergo inter utrumque est proportio habitudinis.

INST. 3. Mens humana non potest attingere objectum in-

finitum; ergo inter Deum et mentem humanam nulla est proportio habitudinis.

Resp. *Dist. ant.* Non potest attingere objectum infinitum, infinito modo, *conc. ant.*; finito modo, *nego ant.*; finita enim actione mens humana versatur circa Deum, alias solus Deus seipsum cognosceret.

Inst. 4. Atqui mens humana non potest attingere objectum infinitum, vel si illud attingat, attingit modo finito; ergo nulla solutio. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Facultas quæ objectum infinitum exigit, non exigit illud nisi ut plene satietur; atqui plene satiari non potest, nisi objectum infinitum attingat modo infinito. Ergo. Resp. *Nego min.*

Prob. min. Ideo ex nobis facultas, seu appetitus satiari non potest per bona creata, quia, post cujuslibet boni creati adeptionem, semper superest aliquid quod voluntas appetere possit, nempe bonum infinitum; atqui si voluntas exigat objectum infinitum, et illud non nisi modo finito attingat, supererit etiam aliquid quod voluntas appetere possit, nempe idem objectum perfectiori modo cognoscibile: ergo non satiabitur voluntas, nisi, etc.

Resp. *Nego min.* Quia, etsi appetitus finitus exigat objectum infinitum, non tamen exigit eidem uniri, nisi quantum potest; atqui non potest ei uniri nisi finito modo: ergo nihil amplius exigit, et consequenter perfecte satiatur.

Objicies 2. Deus naturali instinctu non expetitur; ergo non est summum hominis bonum. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Quod viribus naturæ non possumus obtinere, naturali desiderio non expetimus; atqui naturæ viribus Deum obtinere non possumus. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Ut enim aliquid naturali instinctu appetamus, satis est quod sit summum nostrum bonum, et voluntatem nostram ad se rapiat, quocumque modo illud assequi valeamus.

Inst. Appetitus naturalis non est homini concessus ad

rem impossibilem; ergo naturali desiderio non expetimus id quod naturæ viribus consequi non possumus.

Resp. *Dist. ant.* Non est concessus ad rem omnimode impossibilem, *conc.;* ad rem impossibilem tantummodo naturæ viribus, *nego ant.* Quamvis ergo naturæ viribus æternam felicitatem assequi non valeamus, non tamen dici potest absolute impossibilis, siquidem ejus per gratiam adipiscendæ sumus naturaliter capaces.

Resolves hominem teneri singula sua opera ad Deum tanquam ad suum ultimum finem, et objectum suæ beatitudinis determinatum referre, non quidem actuali intentione, cujus non est capax, sed virtuali, docente Apostolo [1] : *Omne quodcumque facitis in verbo et in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite.*

§ II.

De beatitudine formali hominis.

Quæstio procedit de beatitudine formali tum viæ, tum patriæ.

I. DE BEATITUDINE FORMALI VIÆ.

Quæres 1. *Utrum in præsenti vita sit aliqua beatitudo?*

Resp. 1. Non datur perfecta; nam is non potest esse perfecte beatus, qui repletus est miseriis; atqui ex Job: 14. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Ergo, etc.

Resp. 2. Datur in præsenti statu aliena beatitudo inchoata et imperfecta. Nam qui summum bonum imperfecte possidet, ille est imperfecte beatus; atqui homo in præsenti vitæ statu summum bonum imperfecte possidere potest, nam *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo,* ait D. Joan. [1] : ergo potest esse imperfecte beatus; unde

[1] Ad Col. 3. — [1] 1 Joann. 4.

Scriptura dicit : *Beati immaculati in via* [1], et : *Beatus vir qui timet Dominum* [2].

QUÆRES 2. *In quo consistit præsentis vitæ beatitudo formalis?*

RESP. Consistit in Dei amore; nam in eo consistit hujus vitæ beatitudo, per quod Deo unimur, ipsumque possidemus; atqui unimur Deo, ipsumque possidemus per solum amorem, juxta illud : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* [3]. Ergo præsentis vitæ beatitudo consistit in amore.

DICES 1. Fides Deum immediatius attingit quam charitas; ergo in fide sita est hujus vitæ beatitudo.

RESP. *Nego ant.* Nam fides versatur quidem circa Deum bonum summum, sed quatenus est absens, charitas vero circa Deum præsentem versatur; *qui* enim *manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Ergo immediatius et perfectius Deum attingit quam fides, quæ, destituta charitate, est plane informis, reperiturque in peccatoribus, quos nemo dixerit beatos.

INST. Fides prior est charitate; ergo immediatius Deum attingit quam charitas.

RESP. *Nego conseq.* Non enim a prioritate operationis, sed ab ejus dignitate et perfectione desumitur possessio Dei, actus autem charitatis actu fidei perfectior est, dicente Apost. [4] : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.*

DICES 2. Ex sanctis Patribus beatitudo hujus vitæ consistit in contemplatione; ergo non in amore.

RESP. *Dist. ant.* Consistit in contemplatione speculativa et informi, *nego ant.*; affectiva et formata charitate, *conc. ant. Hæc est ultima perfectio activæ vitæ*, ait D. Th. [5] *ut scilicet non solum divina veritas videatur, sed etiam ut ametur.*

[1] Psalm. 118. — [2] Psalm. 111. — [3] 1 Joann. 4. — [4] 1 Cor. 13. — [5] 2, 2, q. 180, art. 7, ad 1.

II. DE BEATITUDINE FORMALI PATRIÆ.

Nota. Circa essentiam beatitudinis formalis multiplex est sententia.

Prima est Hugonis Victorini, qui docuit hominem beatificari per visionem Dei increatam ipsi unitam; quæ sententia est falsa; nam beatitudo formalis est operatio vitalis qua beatus in actu secundo vivit, juxta illud [1] : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum*, etc. Atqui visio Dei increata non est operatio vitalis hominis beati, cum sit ipsi extrinseca, et omnis operatio hominis sit creata et finita. Ergo, etc.

Secunda est Henrici Gandavensis, qui docuit beatitudinem consistere in illapsu speciali Dei in essentiam animæ, quo anima substantialiter deificetur, et quodammodo in Deum transformetur, sicut ferrum candens in ignem; verum hæc opinio rejicitur ab omnibus aliis; nam operatio illa in qua beatitudo formalis consistit, est actus vitalis, procedens a principio intrinseco et virtuali; atqui illapsus Dei in substantiam animæ non est actus vitalis hominis, cum sit actus solius Dei. Ergo, etc.

Nec dicas de ratione præmii esse, quod procedat a solo præmiante; hoc enim verum est de præmio objectivo, id est de re quæ datur in præmium; falsum autem de præmio formali, id est de possessione præmii; hæc enim cum sit actio nostra, debet effective a nobis procedere.

Tertia sententia est cæterorum Theologorum, qui beatitudinem formalem reponunt in operatione animæ; verum cum triplex sit talis operatio, inter se quoque hi dividuntur.

Thomistæ enim eam reponunt in visione Dei intuitiva, quæ est *cognitio qua Deus videtur facie ad faciem ut in se est.*

Scotistæ eam reponunt in solo amore fruitivo, qui est *ille quo summo bono tanquam præsenti et possesso adhæremus.*

Bonaventuristæ eam reponunt in visione simul et amore.

[1] Joann. 17.

Plurimi tandem in gaudio beatifico, quod est *intimus ac suavissimus creatæ mentis sensus, quo mens adeo sibi conscia est se bene esse, ut nihil ultra expetat.* Cum quibus

Dico: *Beatitudo formalis essentialiter consistit in summo gaudio, quo beati de Deo viso et amato perfunduntur.*

Prob. 1. ex Script. et Patribus, ex quibus, licet nihil colligi possit quo præsens controversia dirimatur, ut ipse fatetur Gonet Thomista, tamen in nostram propendunt sententiam; dicitur enim Matth. 27: *Intra in gaudium domini tui;* et [1]: *Torrente voluptatis potabis eos.* Unde D. Aug.[2] ait: *Beata vita est gaudium de veritate.*

Nec dicas cum adversariis, gaudium esse beatitudinem integralem, non vero formalem, nam D. Doctor asserit beatitudinem esse solum gaudium. *Domine,* inquit [3], *ipsa est vita beata gaudere de te, ad te, propter te; ipsa est, non altera.*

Prob. 2. Beatitudo formalis est status beati, quo in summo bono clare viso et amato tanquam in suo fine ultimo omnimode satiatus, suavissime conquiescit; atqui talis status formaliter habetur per gaudium, cum gaudium nihil aliud sit quam suavissimus ille sensus, quo posito, mens ita contenta est ut nihil amplius appetat, sed in ipso conquiescat: ergo in summo illo gaudio formaliter consistit beatitudo.

OBJECTIONES.

Objicies 1. In eo quod solum est proprietas beatitudinis, non consistit formaliter beatitudo; atqui gaudium est solum proprietas beatitudinis. Ergo, etc. Resp. *Nego min.*

Prob. min. Quod ex visione et amore fluit, est tantum proprietas beatitudinis; atqui gaudium ex visione et amore fluit. Ergo.

Resp. *Nego min.* Equidem visio et amor sunt veluti conditio sine qua beati non gauderent; sed non sunt prin-

[1] Psalm. 35. — [2] Lib. 10 *Conf.*, cap. 2. — [3] Lib. 10 *Conf.*, cap. 25.

cipium essentiale a quo fluat gaudium, cum illa ex natura sua non producant gaudium, sed ex eo solum producitur, quod beatus conscientiam habeat se nihil amplius habere expetendum.

Prob. min. Illud fluit ab amore et visione, quod, positis amore et visione, supponit beatitudinem essentialiter completam; atqui gaudium, positis visione et amore, supponit beatitudinem essentialiter completam. Ergo, etc. Resp. *Nego min.*

Prob. min. Illud supponit beatitudinem essentialiter completam, quod supponit possessionem Dei adæquatam; atqui gaudium, positis visione et amore, supponit possessionem Dei adæquatam. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Nam possessio Dei est quasi materia beatitudinis, gaudium vero quod ex illa possessione percipitur, est quasi ejus forma; atqui res non potest in suo esse formali constitui, nisi per ejus formam; sic, v. g. avarus, quantumvis ingentes divitias possideat, non intelligetur beatus nisi intelligatur degustare pecuniæ suæ voluptatem : ergo beatitudo formalis non potest concipi in possessione Dei, nisi ei addatur intimus ille et suavissimus voluptatis lætitiæ sensus.

Inst. 1. Miseria damnatorum formaliter consistit in privatione Dei ab ipsis nec visi, nec amati; ergo a pari beatitudo formaliter consistit in possessione Dei.

Resp. *Nego ant.* Nam miseria damnatorum non consistit præcise in tali privatione Dei, sed insuper requiritur tristitia ex illa privatione orta : sic martyres qui non erant tristes, imo qui superabundabant gaudio, non erant miseri : ergo a contrario formaliter beati non sunt qui de bono possesso non gaudent.

Inst. 2. Amor est forma beatitudinis, ergo non gaudium. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Amor est summi boni fruitio; atqui fruitio est beatitudinis forma. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Amor enim est solum actus quo amatur summum bonum; fruitio vero est ipsum gaudium, seu suavis animæ voluptas resultans ex summi boni possessione per visionem et amorem; fruitio enim est actus voluntatis suaviter in boni amati possessione quiescentis.

Inst. 3. Ergo amor fruitivus est forma beatitudinis.

Resp. *Dist. illatum.* Amor fruitivus præcise quatenus est amor, est forma beatitudinis, *nego*; quatenus est fruitio, *conc.*; fruitio enim idem est ac ipsum gaudium.

Objicies 2. cum thomistis : Beatitudo formalis consistit in visione intuitiva; ergo non in gaudio.

Prob. ant. Beatitudo formalis consistit in eo quod satiat appetitum hominis; atqui talis est visio, dicente Scriptura [1] : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Beatitudo consistit in eo quod satiat appetitum hominis formaliter, *conc.*; præsuppositive, *nego maj.* Atqui visio satiat appetitum hominis præsuppositive, *conc.*; formaliter, *nego min.* Itaque beatitudo formalis præsupponit visionem eo fere modo quo species præsupponit genus quod contrahit et determinat; sed que madmodum genus non constituit rem formaliter, ita nec visio constituit beatitudinem formaliter.

Inst. 1. Beatitudo formalis in eo consistit quod constituit vitam æternam; atqui visio constituit vitam æternam, dicente Christo [2] : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Deum,* etc. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quod constituit vitam æternam formaliter, *conc.*; præsuppositive et causaliter, *nego maj.*, et sic ad minorem. Nec aliter intelligi debet textus citatus.

Inst. 2. Beatitudo sita est in operatione hominis præstantissima; atqui cognitio est operatio hominis præstantissima. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Beatitudo sita est in operatione hominis

[1] Psalm 116. — [2] Joann. 17.

præstantissima in genere plenæ appetitus satietatis, *conc.;* in genere entis, *nego maj.* Atqui cognitio est operatio præstantissima in genere entis, *conc.;* in genere appetitus satietatis, *nego min.* Talis est sola voluptas quam mens percipit ex Dei possessione.

Inst. 3. Illa operatio est præstantissima, quæ est quid primum in re; atqui visio est quid primum in beatitudine, est enim prior tum amore, tum gaudio. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Essentia enim beatitudinis (sicut præstantia operationis beatificæ) non desumitur ab illa naturæ prioritate, sed a perfecta appetitus quietatione quæ habetur formaliter per solum intimum sensum, quo beatus ita sibi conscius est se esse bene, ut nihil amplius appetendum habeat.

Inst. 4. Sublata visione, tollitur beatitudo; ergo essentia beatitudinis consistit in visione.

Resp. *Retorqueo.* Sublata animalitate, tollitur homo; ergo essentia hominis consistit in animalitate. Ratio est quia, sublata parte, tollitur totum; inde itaque sequitur tantum visionem præsupponi ad beatitudinem formalem; verum inde non sequitur ipsam esse beatitudinem formalem.

§ III.

De dotibus animæ beatæ.

Nota. Dotes animæ beatæ sunt tres, nempe: inamissibilitas gloriæ, impeccabilitas, et modus quo Deum diligit. Circa quas

Quæres 1. *An beatitudo sit inamissibilis?*

Resp. *Affirm.* Nam beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus; atqui si non esset perpetua et inamissibilis, non esset talis status, quia cum timore possideretur. Ergo, etc. Hinc scriptum est [1] : *Justi in per-*

[1] Sap. 5.

petuum vivent. Et [4] : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

QUÆRES 2. *An beati sint impeccabiles?*

RESP. Sunt impeccabiles, et quidem ab intrinseco.

PROB. PRIMA PARS. Summa miseria non est compatibilis cum summa et æterna gloria; atqui peccatum est summa miseria, beatitudo est summa et æterna gloria; ergo simul non possunt esse in eodem subjecto : ergo beati sunt impeccabiles.

PROB. SECUNDA PARS. Beatitudo necessario includit amorem beatificum; atqui peccatum cum amore beatifico compati non potest ex ipsa natura status gloriosi beatorum; nam peccatum est aversio a Deo, amor vero beatificus est unio cum Deo; atqui repugnat aliquem esse simul aversum a Deo, et cum Deo intime unitum: ergo beati sunt impeccabiles ab intrinseco.

DICES : Peccatum veniale non est aversio a Deo; ergo cum amore beatifico potest conjungi.

RESP. *Nego conseq.* Etsi enim peccatum veniale non *avertat* a Deo ut ultimo fine, *divertit* tamen ab ipso; sed cum amore beatifico est incompossibilis nedum aversio a Deo, sed etiam diversio; cum enim amor beatificus sit continuus et nunquam interruptus, omnia quæ beatus diligit, refert et ordinat in divinam bonitatem ut in ultimum finem ergo cum illo nedum aversio, sed nec etiam diversio a Deo, finem; compossibilis est.

QUÆRES 3. *An beati libere ament Deum?*

RESP. *Neg.* Sed illum amant necessario, tum necessitate specificationis, ita ut non possint ipsum odisse; tum necessitate exercitii, ita ut non possint ab ejus amore cessare.

PRIMA PARS a nemine negatur : cum enim in Deo clare viso nulla apparere possit ratio mali, nullo pacto voluntas,

[4] Matth. 25.

quæ est appetitus boni, ipsum odio potest habere; ideo

PROB. SECUNDA PARS. Contra Scotistas; voluntas, cum sit appetitus rationalis, non potest cessare ab aliquo actu, nisi in illo intellectus concipiat aliquam rationem mali, vel in ejus cessatione aliquam rationem majoris boni; atqui neutrum horum potest judicare beatus de amore Dei: *non primum*, si enim posset beatus concipere rationem mali in exercitio amoris Dei, vel esset defatigatio, vel fastidium; atqui nulla est defatigatio in exercitio amoris Dei, cum non dependeat ab organo corporeo; nullum etiam fastidium, cum talis actus infinitæ sit suavitatis et dulcedinis; Ergo, etc. *non secundum* : nullum enim est majus bonum intima cum Deo conjunctione; atqui beatus concipit se per exercitium amoris intime conjungi cum Deo. Ergo, etc.

DICES : Charitas viæ et charitas patriæ sunt ejusdem speciei; atqui tamen charitas viæ non est necessaria quoad exercitium : ergo nec charitas patriæ.

RESP. *Dist. maj.* Sunt ejusdem speciei et habent diversum modum operandi, *conc.;* et habent eumdem modum operandi, *nego maj.* Modus itaque operandi charitatis sequitur principium quo regulatur; atqui charitas patriæ regulatur per lumen gloriæ et claram visionem, quæ Deum ut summum bonum necessario proponunt; ergo ut necessario diligendum : e contra, charitas viæ regulatur per fidem et cognitionem obscuram, quæ non repræsentat Deum clare ut est in se; ergo non ut necessario diligendum.

INST. Omnis actus potentiæ liberæ est liber; sed voluntas est potentia libera : ergo amor beatus est liber; saltem quoad exercitium.

RESP. *Dist. maj.* Est liber quoad bonum commutabile, *conc.:* quoad bonum incommutabile et infinitum, *subdist.;* per speciem visum, ut videtur per fidem in via, *conc.;* visum clare ut est in se, *nego maj.* Circa illud enim sic

clare visum voluntas non gaudet nisi libertate coactionis, quia in suis actibus vim pati non potest.

CAPUT V.

DE CORPORUM RESURECTIONE ET DOTIBUS CORPORIS BEATI.

Nota. Cum dotes corporis beati supponant resurrectionem, ideo agemus : 1° Contra Sadducæos [1], de resurrectione corporum; 2° De dotibus corporum beatorum.

Dico 1° *Futura est omnium hominum resurrectio.*

Prob. 1. Ex Script. [2]: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea*, etc. Et ex Apost. dicente [3] : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.*

Prob. 2. Ex fidei nostræ symbolis Apostolico et Constantinopolitano expresse confitentibus corporum resurrectionem : *Credo carnis resurrectionem; expecto resurrectionem mortuorum*, etc.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Eccl. 3 dicitur : *Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio;* atqui jumenta non resurgunt; ergo nec homo.

Resp. *Dist. textum.* Est æqua utriusque conditio ex parte miseriarum hujus vitæ, potissimumque mortis, quæ cumulus est miseriarum, *conc.;* ex omni parte, *nego.* Hic est verus Eccl. sensus.

Inst. 1. Job dicitur : *Homo, cum dormierit, non resurget donec atteratur cœlum;* sed cœlum nunquam atteretur. Ergo. etc.

Resp. *Dist. min.* Nunquam cœlum atteretur, quoad substantiam, *conc.;* quantum ad effectus virtutis per quam movet ad generationem et corruptionem inferiorum, *nego.* Hoc enim sensu Apost. [4] ait : *Præterit figura hujus mundi.*

[1] Matth. 12. — [2] Job. 19. — [3] 1 Cor. 15. — [4] 1 Cor. 7.

INST. 2. Ps. 1 dicitur : *Non resurgent impii in judicio;* ergo saltem resurrectio non erit omnium.

RESP. *Nego conseq.* Sensus enim textus est impios non ad judicium, sed ad pœnam resurrecturos; vel *dicendum* cum D. Th. [1], *quod* Psalmista *loquitur de spirituali resurrectione, qua impii non resurgent in judicio discussionis conscientiæ,* quo boni seipsos dijudicant, ut non judicentur.

INST. 3. Per resurrectionem homines conformantur Christo resurgenti, juxta Apostolum dicentem : *Quod si Christus resurrexit, et nos resurgemus;* atqui peccatores non possunt conformari Christo resurgenti. Ergo. RESP. *Nego min.*

Prob. min. Illi possunt conformari Christo resurgenti, qui portaverunt imaginem Christi; atqui impii non portaverunt imaginem Christi. Ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Non portaverunt imaginem Christi, in his quæ pertinent ad gratiam, *conc.;* in his quæ ad naturam speciei pertinent, *nego min. Et ideo omnes Christo conformabuntur in reparatione vitæ naturalis, non autem in similitudinem gloriæ,* sed soli boni, ait D. Th. citatus.

OBJICIES 2. Juxta fidem resurrectionis, anima debet idem numero corpus resumere quod habuit in terris; atqui plerumque hoc est impossibile. Ergo, etc. RESP. *Nego min.*

Prob. min. Suppono Petrum esse filium alicujus antropophagi, qui non nisi de carnibus humanis nutritus sit, adeo ut ipsum semen unde Petrus genitus est, ex aliorum hominum carnibus prodierit; suppono pariter Petrum non nisi aliorum hominum carnibus vesci : hac facta hypothesi, sic argumentor :

Impossibile est ut Petrus in illa hypothesi resurgat in eadem carne quam in terris habuit, cum illa caro pertineat ad alios homines qui cum ea resurgere debent; ergo plerumque impossibilis est resurrectio.

[1] In supp. quæst. 75, art. 2, ad 1.

Resp. Etiam in hac hypothesi, *nego*, quoniam ad resurrectionem sufficit ut identitas hominis aliquo modo servetur; et ideo tam Petrus quam alii homines ex quorum carnibus formatum esset ejus corpus, cum servet eamdem aliquo modo materiam, resurgerent, Deo aliunde supplente id quod deesset, quemadmodum supplebitur eis qui statim ut nati sunt moriuntur, et qui tamen resurgent in ætate perfecta 30 aut 35 annorum, juxta illud Apost.[1] : *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Dico 2° Quatuor erunt dotes corporis beati, scilicet : *impassibilitas, subtilitas, agilitas* et *claritas.*

Prob. Ex Ap. has dotes significante[2] his verbis : *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione ; seminatur in ignobilitate, surget in gloria ; seminatur in infirmitate, surget in virtute ; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

Impassibilitas est qualitas supernaturalis dimanans ab anima beata in corpus gloriosum, ab eo excludens omnem passionem corruptivam, non vero perfectivam, nam sensus corporis beati exquisitissimis delectationibus afficientur.

Subtilitas est qualitas supernaturalis dimanans ab anima beata in corpus gloriosum, quod reddit alterius corporis penetrativum; sic corpus Christi resurrexit, clauso sepulcro.

Agilitas est qualitas supernaturalis dimanans ab anima beata in corpus gloriosum, illud reddens imperceptibile et celerrime mobile, sine *lassitudine et labore.*

Claritas est qualitas supernaturalis dimanans ab anima beata in corpus gloriosum, qua redditur luminosum ac simile crystallo.

Quæres. *Quid et quotuplex sit aureola?*

Resp. *ad primum.* Aureola corona est animæ beatæ gau-

[1] Ephes. 4. — [2] 1 Cor. 15.

dium accidentale de excellentia victoriæ suæ, in corpus speciali fulgore redundans.

Resp. *ad secundum*. Tres sunt aureolæ; nam tot sunt aureolæ quot sunt insignes victoriæ adversus salutis nostræ hostes, mundum scilicet, carnem et Diabolum, reportatæ; atqui tres sunt insignes illæ victoriæ : prima est martyrum, qui de mundo; secunda est virginum, qui de carne; tertia doctorum, qui de Diabolo triumpharunt. Ergo. etc.

CAPUT VI.

DE PURGATORIO.

Nota : Purgatorium est *locus medius inter Cœlum et Infernum, in quo animæ justorum purgantur a culpis levioribus, solvuntque pœnas temporales pro peccatis jam quoad culpam remissis, debitas ibique fidelium suffragiis juvantur*. Circa quod igitur duo statuuntur : 1° Quod datur purgatorium; 2° Quod datur inter fideles sive vivos sive mortuos suffragiorum communio.

ARTICULUS I.

DE EXISTENTIA PURGATORII.

Nota. Purgatorium negavit primus Arius, ann. 304; deinde Valdenses, Joannes Hus, postea Lutherus et tandem Calvinus, qui Purgatorium *commentum Diaboli*; vocat contra quos

CONCLUSIO I.

Datur Purgatorium. Est de fide.

Prob. 1. *Ex Script.*[1] qua legitur Judam Machabæum pro militibus *qui* in conflictu *cum pietate dormitionem acceperant*, toti exercitui contributionem indixisse, mittendam Jerosolymam, ut pro animabus eorum sacrificia offerrentur; quia

[1] 2 Machab. 12.

nempe, *sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.*

Habemus ex hoc celebri testimonio :

1° Posse mortuos post hanc vitam a peccatis solvi, juxta illud Christi [1] : *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ergo aliqua peccata remittuntur in futuro sæculo : *Neque,* ait D. Aug. [2], *de quibusdam diceretur quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remitterentur in futuro.*

2° Posse hominem pie et sancte mori, et tamen habere aliquid solvendum; *ipse autem salvus erit,* ait Apost. [3], *sic tamen quasi per ignem* Purgatorii, ut interpretantur Patres, Ambr. [4], Hier. [5], Greg. [6], Aug. [7] Nec obest particula, *quasi,* quia accipitur *specificative,* non *comparative,* ut in multis aliis Scripturæ locis, v. g. Joan. 1 ; *gloriam quasi Unigeniti.*

3° Omnes peccatorum reliquias, seu peccata venialia non semper justis in morte condonari, ut Luthero et Calvino placet; cum hujus prætensæ condonationis nullum sit vel levissimum in Scripturis fundamentum.

4° Sacrificia vivorum posse mortuis prodesse; ait autem Aug. [8] : *In Machab. libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium; sed, etsi nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.*

Dicunt Novatores librum Machabæorum non esse Canonicum; sed contra est perpetua traditio, et judicium universalis Ecclesiæ agnoscentis librum hunc pro Canonico. *Deinde* dato, non concesso, librum Machabæorum non esse Canonicum, saltem eam fidem meretur, quam Li-

[1] Matth. 12, vers. 31.— [2] Lib. 21 *de Civit. Dei*, cap. 24.— [3] 1 Cor., cap. 3, vers. 15.— [4] *Serm.* 2, in Psalm. 128 — [5] In cap. 4.— [6] Lib. 4 *Dialog.*, cap. 19. — [7] In Psalm. 37. — [8] Lib. *de Cura pro mortuis*, cap. 1.

vius, Plutarchus et alii historici fide digni; et consequenter ex illo colligitur, publice tunc temporis persuasum fuisse, superfluas non esse, neque vanas viventium pro defunctis orationes.

PROB. 2. *Ex Tradit. Patrum* cum S. Greg. Nysseno [1] dicentium : *Non poterit a corpore egressus, Divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit.*

Et cum D. Aug. [2] : *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quemdam purgatorium transibunt, de quo Apostolus inquit, salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Ad hanc traditionem attendens Conc. Trid. [3] docet et definit : *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.*

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Scriptura duos tantum ordines commemorat eorum qui e vita decedunt, scilicet justorum qui statim Deo fruuntur, et damnatorum; ergo nullus datur locus medius.

Prob. ant. Matth. 25 : *Venite, benedicti... Ite, maledicti*, etc.

RESP. *Dist. ant.* Scriptura duos tantum ordines commemorat post diem judicii, *conc.;* tunc enim Purgatorium finem accipiet; ante diem judicii, *nego ant.* Porro D. Matth. loquitur de die judicii.

INST. 1. Ecclesiastici 11 dicitur : *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit;* ergo non datur medius locus.

RESP. *Nego conseq.* Hic enim locus intelligitur de statu gratiæ vel peccati in quo aliquis decedit; si in statu gratiæ, nunquam eam perdet; si in statu peccati mortalis, similiter in eo permanebit, quia post mortem non est pœnitentiæ locus, cum peccatum mortale post hanc vitam non possit remitti quoad culpam, sed tantum quoad pœnam temporalem peccatis debitam.

[1] Orat. *Pro mortuis.*— [2] Hom. 16, inter. 50.— [3] Sess. 25. *Decreta de Purg.*, et Sess. 6, cap. 2 et can. 3.

INST. 2. Marci ultimo cap. dicitur : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* ergo sunt tantum duo loca post hanc vitam.

RESP. *Nego conseq.* Non enim dicitur, *statim salvus erit*: cum multi, quibus aliquid luendum superest, salventur, *sic tamen*, ait Apost., *quasi per ignem.*

INST. 3. Ps. 126 dicitur : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Textus enim intelligitur de iis justis qui summa Dei charitate succensi, nihil habent purgandum; tales sunt martyres.

INST. 4. Græci Patres ante Conc. Flor. non credebant Purgatorium; ergo non est veritas Catholica.

RESP. *Dist. ant.* Non crediderunt Purgatorium quoad genus pœnarum, *conc.;* quoad substantiam, *nego ant.* Hoc constat tum ex omnibus Patribus Græcis qui de Purgatorio scripserunt, et qui referuntur a Bellarmino [1], tum ex eorum Liturgiis, tum ex prima et ultima sess. Conc. Flor. in quibus Græci asserunt se perpetuo Purgatorium credidisse, sed solum dubitare de qualitate pœnæ, an sit ignis, vel obscuritas, vel quid aliud.

OBJICIES 2. Post mortem nullum est meritum; ergo nec satisfactio.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod ad meritum requiratur libertas non tantum a coactione, sed etiam a necessitate; ad satisfactionem autem satis est quod quis pœnam patiatur quam debet, quæ satisfactio, cum non sit meritoria, vocatur *satispassio*.

INST. 1. Sic se habet charitas ad præmia æterna, sicut peccatum mortale ad supplicia æterna; sed qui moriuntur in peccato mortali, statim in Infernum detruduntur. Ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Est enim commune effatum : *Bonum ex*

[1] Lib. 1 *de Purgat.*, cap. 6.

integra causa, malum ex quolibet defectu ; et ideo qui in charitate moriuntur, possunt cum illa simul nonnullas veniales noxas habere, quæ prius purgandæ sint, quam ad claram Dei visionem admittantur.

INST. 2. Peccata venialia non possunt remitti post hanc vitam. Ergo, etc.

Prob. ant. Peccata venialia non possunt remitti absque pœnitentia proprie dicta ; atqui talis pœnitentia locum non habet post obitum. Ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Neque enim necessaria est pœnitentia proprie dicta ad remissionem venialium ; sed sufficit virtualis displicentia in hac vita, et pœna Purgatorii in altera, ut docet D. Th. in suppl. [1] *Sed contraest*, inquit, *quod Greg. dicit* [2] *et Aug. de vera pœnitentia : quod* quædam culpæ leves in futuro remittuntur : *nec potest intelligi quoad pœnam, quia sic omnes culpæ, quantumque graves, quantum ad reatum* pœnæ per ignem purgatorium expiantur ; ergo *venialia quantum ad culpam purgantur per ignem purgatorium.*

INST. 3. Ergo justi qui in ultima hujus mundi periodo morientur, non poterunt ad claram Dei visionem admitti, si quid ipsis luendum supersit ; absurdum consequens. Ergo, etc.

Prob. sequela maj. Nullus amplius erit Purgatorii locus. Ergo, etc.

RESP. *Nego sequelam maj. et ejus probationem ;* et dico justos hujusmodi purgandos fore igne ultimæ conflagrationis, ita ut acerbitas pœnæ brevem illius temporis durationem sit compensatura.

QUÆRES 1. *Ubi sit Purgatorii locus; quodnam genus pœnæ ibi sustineatur ; quæ ipsius duratio ; quis minister ?*

RESP. Omnia incerta esse, de quibus Ecclesia nihil pronuntiavit ; ideo in his tractandis non immoramur, maxime cum Conc. Trid. præcipiat Episcopis, ut circa hanc mate-

[1] Quæst. 72, art. 4. — [2] In 4 *Dialog.*, cap. 39.

riam, *incerta vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant* [1].

QUÆRES 2. *An animæ in Purgatorio sint securæ de sua salute?*

RESP. *Affirm.* Quia statim post mortem judicatæ sunt, juxta illud [2] : *In fine hominis denudatio operum illius.*

DICES : Ecclesia pro defunctis precatur : *ne absorbeat ea tartarus, et ut eruantur de ore leonis*; ergo non sunt securæ de sua salute.

RESP. *Nego conseq.* Ita enim precatur Ecclesia, quia fideles repræsentat in hora mortis, in qua non sine magno suæ salutis periculo contra mortem decertant, idque ad excitandam erga eos compassionem; id familiare est Ecclesiæ, quæ in nativitate exhibet Christum nascentem in passione patientem, etc.

ARTICULUS II.

DE SUFFRAGIIS.

Nota : Suffragari alicui, est illum juvare, idque fieri potest dupliciter : 1° Pro ipso orando et impetrando; 2° Pro ipso pœnas debitas solvendo et in illum satisfactiones suas transferendo; sicque definitur : *Translatio satisfactionum unius in alterum.* His positis,

* [1] *Nota :* 1° Maxima omnium pœna, inquit S. Liguorius, *de Prov. divina*, diss. 2, § 2, quam patiuntur animæ justæ in Purgatorio detentæ, ubi Deum toto corde diligunt, est illorum separatio a suo sponso, et impossibilitas illum facie ad faciem videndi. Aliæ quidem pœnæ sunt magnæ, sed in comparatione illius pro nihilo reputantur, et multo majores sustinerent animæ illæ, si per hoc ad visionem Dei sui admitti possent. 2° Quoad pœnas alias, S. Thomas cum S. Augustin., in Psalm. 37, dicunt excedere maximam pœnam hujus vitæ; quod negat S. Bonavent. (in 4, dist. 20), dicendo illam certe mitigari per spem brevi summum videndi bonum. 3° Animæ illæ justæ patiuntur cum summa patientia, resignatione et pace, *dormiunt enim in somno pacis.* Ratio est quia Deum amant actu amoris actuali, continuo et intensissimo, id est ex omnibus viribus suis. *

[2] Eccl. 11.

CONCLUSIO I.

Datur suffragiorum communio inter vivos, hoc sensu quod unus possit orare et satisfacere pro alio.

PROB. PRIMA PARS : *Quoad orationes.* Ex Script. Job, cap. ult. dicitur : *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis. Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris* [1]. Sic ex Actibus constat Stephanum oravisse pro lapidantibus se, et Ecclesiam pro sancto Petro in vinculis constituto ; ergo Fideles se mutuo possunt orationibus juvare.

PROB. SECUNDA PARS : *De satisfactione unius pro alio.* Ex Apost. dicente : [2] *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia;* id est offerendo passiones meas pro Ecclesiæ membris, ad hoc ut Christi passiones fiant in actu secundo utiles, ut interpretantur D. Aug. [3] et Greg. [4] Ergo quilibet Fidelis per opera satisfactoria quæ subit, potest satisfactionem hanc suam Christi satisfactione mixtam, aliis applicare. *Nec de hoc cuique fidelium dubitandi locus relictus est, cum in Apostolorum Symbolo Sanctorum communionem profitemur,* ait Pius V [5].

CONCLUSIO II.

Inter vivos et defunctos suffragiorum datur communio, hoc sensu quod animæ defunctorum orent pro vivis, et suffragia vivorum prosint defunctis.

PROB. PRIMA PARS : Tum ex *Jer.* 15, et *Machab.* 2, cap. ult., ubi legitur defunctum Jeremiam pro populo multum orare ; et D. Petrus [6] ait : *Dabo autem operam, et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis,* id est, ut interpretantur Doctores [7], dabo operam habere vos in mente mea, ut crebro vestri sim memor apud Deum, eum-

[1] Rom. 15. — [2] Coloss. 1, vers. 24. — [3] In psalm. 62. — [4] In lib 1 quæst. *Reg.*, cap. 9.— [5] In *Catech. de Sacrum* , n. 61.— [6] 2 Petri 1, vers. 15. — [7] Ita Œcumen., Salmeron, Suarez, 3 p., tom. 2, disp. 23 ; Bellarm., lib. 1 *de Sanctis*, cap. 8.

que pro vobis orem, ut meorum monitorum vobis memoriam refricet. Unde D. Chrysost. [1] ait : *Succlamas enim, beate Petre, sic dicens : Studebo post mei obitum vestri memoriam facere.* Ergo defuncti pro vivis orant, etc.

PROB. SECUNDA PARS : Nempe suffragia vivorum prodesse defunctis ad satisfactionem pro pœnis debitis, tum ex Conc. Trid. [2] definiente : *Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari ;* tum ex fidei articulo *de Communione Sanctorum,* secundum quam omnes Fideles membra sunt unius corporis Ecclesiæ tam triumphantis in cœlo, et patientis in Purgatorio, quam militantis in terra ; ergo propter hanc unionem debemus nos mutuo juvare in necessitate : animæ autem in Purgatorio sunt in vera necessitate, cum seipsas juvare non possint, sed tantum secundum rigorem satispati. Unde S. Aug. [3] ait : *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, alioquin nec ad altare fieret eorum memoria.*

DICES 1. Eccles. 9 dicitur : *Mortui.... non habent partem in hoc sæculo, et in opere quod sub sole geritur.* Ergo mortui non juvantur suffragiis vivorum.

RESP. *Explico textum.* Non habent partem in opere, id est, non concurrunt ad ipsum opus, *conc.;* id est, non habent partem in fructu operis, qui est satisfactio, *nego ant.* Solutio ex ipso textu deducitur.

INST. Non potest unus satisfacere pro debito culpæ alterius, quia nec conteri, nec confiteri potest pro alio ; ergo nec pro debito pœnæ.

RESP. *Nego conseq.* Quia debitum satisfaciendi pro culpa includit obligationem ordinandi voluntatem, quod non fit nisi per actum proprium ; at debitum satisfaciendi pro pœna, respicit solutionem quæ dari potest ab alio.

DICES 2. Animæ in Purgatorio spectant ad aliud forum. Ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Nam pertinent ad idem corpus, unde

[1] Orat. *in Princ. Ap.* — [2] In decr. de Purg. — [3] Lib. 20 *de Civ. Dei,* c. 9.

possunt a nobis juvari per modum suffragii, licet non per modum sententiæ.

QUÆRES 1. *An suffragia applicata aliis, prosint offerentibus?*

RESP. Suffragium potest considerari vel ut est meritorium, vel ut est satisfactorium : *ut est meritorium,* prodest offerenti ad vitam æternam, quia meritum est proprium personæ operantis : *ut est satisfactorium,* non prodest offerenti quoties alteri applicatur, quia opera nostra habent satisfactionem limitatam et finitam, ex quo patet opus bonum applicatum pluribus, minus singulis prodesse, quam si uni applicaretur.

QUÆRES 2. *Quot requirantur conditiones in eo qui offert aliis satisfactiones?*

RESP. Requiruntur tres :

1° *Ut habeat intentionem suffragium applicandi alteri ;* alioquin retinet sibi suffragium, cum sit opus ipsius.

2° *Ut opus voluntarie faciat, seu sustineat;* per hanc conditionem satisfactio differt a satispassione.

3° *Ut sit in statu gratiæ,* si opus sit satisfactorium ex opere operantis ; nam in statu peccati non potest quis pro seipso satisfacere ; ergo neque pro aliis, si enim *tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest,* ait Apost. [1].

Dixi : *Si opus sit satisfactorium ex opere operantis ;* nam in opere satisfactorio *ex opere operato* (quale est sacrificium Missæ, et omnia alia quæ fiunt a sacerdote in persona Ecclesiæ), non requiritur status gratiæ, cum valor ejus non dependeat a probitate operantis, sed ex dignitate Ecclesiæ.

QUÆRES 3. *Quot requirantur conditiones in eis pro quibus offeruntur suffragia?*

RESP. Tres sequentes :

1° *Ut sit viator,* saltem aliquo modo, quales sunt animæ Purgatorii, quæ, licet sint in termino hujus vitæ, tamen non sunt in termino alterius.

[1] 1 Cor. 13, vers. 1.

2° *Ut sit in statu gratiæ;* quia existens in peccato mortali, quamdiu perseverat in eo statu, dignus est pœna æterna; ergo non potest pœnæ remissionem obtinere per suffragia.

3° *Ut culpa pro qua exhibetur satisfactio, sit remissa;* quia quamdiu remanet culpa, tamdiu remanet obligatio ad pœnam.

QUÆRES 4. *An suffragia vivis aut defunctis applicata, iis infallibiliter prosint?*

RESP. *affirm.* Si adsint conditiones requisitæ tam ex parte offerentis, quam ex parte ejus cui offertur. Ratio est quia applicatio ejusmodi suffragiorum pendet ex intentione applicantis, quasi solutio pecuniæ ab uno facta pro altero; ergo suffragia prosunt infallibiliter iis pro quibus offeruntur.

CAPUT VII.

* DE INFERNO.

Nota 1. Inferni nomine intelligitur status ille in quo Dæmones et homines, qui in inimicitia Dei decedunt, æternis plectuntur suppliciis.

Nota 2. Existentiam Inferni, seu pœnarum in mundo futuro, negant increduli ac Materialistæ. Ejus autem æternitatem, præter Origenistas et obscuros aliquot sectarios, *Misericordes* nuncupatos, quorum meminit S. Augustinus, Anabaptistæ, Sociniani, Protestantiumque non pauci una cum Rationalistis et incredulis inficiantur [1].

Nota 3. Ne permisceamus quæ de fide sunt cum illis quæ de fide non sunt, sciendum est duo tantum definita fuisse circa præsentem materiam, Inferni scilicet existentiam et

[1] Ex hoc patet Protestantium inconsequentia, siquidem olim cum Ecclesia catholica Infernum admittentes, contra illam pœnas temporales negabant; hodie vero, cum eadem Ecclesia pœnas temporales admittunt, et adversus illam æternales inficiantur. Origenes vero docebat omnium impiorum hominum ipsorumque etiam Dæmonum tormenta finem habitura, atque impios et Dæmones in priorem statum restitutum iri.

pœnarum æternitatem; ideo probandum est adversus Hæreticos et Rationalistas: 1° æternitatem pœnarum in divina revelatione contineri; 2° illud dogma rectæ rationi non adversari, remittentes ad calcem capitis ea quæ inter Theologos agitantur.

* CONCLUSIO I.

Pœnæ Dæmonum hominumque damnatorum æternæ sunt.

Propositio est *de fide* definita in Concil. œcumenico V, contra Origenianum errorem docentem : *Temporanea esse Dæmonum et impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura ; atque impios ac Dæmones in priorem suum statum restitutum iri.* Eadem definitio eruitur ex symbolo S. Athanasii, ubi dicitur : *Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum.*

Prob. 1. *Ex Scripturis,* in quibus : 1° pœna expressis verbis *æterna* dicitur ; 2° eadem æternitas per *negationem finis* evincitur; 3° damnatorum status *immutabibis* affirmatur.

Constat 1um Ex vet. test. Legitur apud Daniel. 12 : *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt : alii in vitam æternam et alii in opprobrium, ut videant semper,* seu ut legitur in versione Alexandrina : *In contemptum æternum.* Ex Nov. Test. Christus his verbis sententiam dicit : *Discedite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et Angelis suis;* et concludit : *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Unde sic in his pœna comparatur cum præmio; atqui fatentibus adversariis, præmium justorum erit æternum : ergo et pœna damnatorum. Item Apoc. 21, 8 : *Pars illorum erit in stagno ardenti et sulphure.*

Constat 2am. Scriptura verbis utitur quæ in sensu naturali et obvio æternitatem significant; ut 1° [1] : *Et vermis eorum* (damnatorum) *non morietur, et ignis eorum non extinguetur,* quibus verbis alludit Joannes Baptista [2], ubi de

[1] Isaiæ 66, 24. — [2] Matth. 3, 12.

Christo ait: *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem*, id est impios, *comburet igni inextinguibili*. Et apertius Christus [1] ait : *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Si porro *vermis eorum* non moritur, *si ignis* non extinguitur, æternæ sunt comminatæ impiis pœnæ. Item [2] : *Fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum*. Et Apostolus [3] : *Qui non obediunt Evangelio... pœnas dabunt in interitu æternas.*

Constat 3um. Status damnatorum immutabilis perhibetur : 1° ex Isaiæ cap. 11, 3 : *Si ceciderit lignum* (id est homo) *ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit;* 2° Apoc. 20 : *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum;* 3° Matth. 12, 32 : *Quicumque autem dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; quicumque autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Sunt ergo peccata semper exstitura, et consequenter semper punienda.

Idem evincitur ex pluribus locis ubi reprobi vocantur *vasa iræ et contumeliæ, vasa iræ apta ad interitum. Ira Dei manet super illos. Regnum Dei non consequentur.*

Prob. 2. *Ex Traditione.* Doctrinam de pœnarum in Inferno æternitate semper docuit Ecclesia. Constat : 1° ex Origeniani erroris damnatione; ut enim apparuit nova hæc doctrina, *uti hæretica* unanimi consensu est habita [4]. 2° Ex SS. Patribus, qui sive post, sive ante Origenistas floruere, quos videre est apud Petavium [5], Natalem Alex. [6]; quorum

[1] Marc. 19, 42 et seqq. — [2] Apocal. 14. — [3] 2 Thess. 8 et 9.

[4] Conf. S. Aug., lib. *de Hæresib.*, et lib. 21 *de Civit. Dei*, cap. 17. S. Epiph.; Evagri., lib. 2 *Hist.*, cap. 17; Nicephor., lib. 27; Leonem II, Epist. ad Constant. Pogonat., etc., et R. dom. Sinsart., *Défense du dogme sur l'éternité des peines*, ubi, asserto dogmate, ex Scripturis et Patribus contra incredulorum objectiones egregie vindicatur.

[5] Tom. 3, lib. 3. — [6] Diss. 27, in sæcul. III.

plures citabimus infra in quæstiunculis. 3° Ex martyrum responsionibus, qui recusarunt sacrificare ne incurrerent *pœnam perpetuam*, ut respondit S. Julius (in ejus actis); vel ne irent *in æternum interitum, in æternum supplicium, in ignem æternum*, ut habetur in actis S. Felicitatis; vide etiam acta passionis S. Maximi et S. Victoris.

Hinc Patres Concilii Lateran. IV [1] eamdem veritatem profitentur... *Illi*, inquiunt de malis, *cum Diabolo pœnam perpetuam, et isti* (boni) *cum Christo gloriam sempiternam*. Concil. Trid. [2] hanc pœnarum æternitatem supponit, ita statuens : *Si quis dixerit justum in quolibet bono opere mortaliter peccare, atque ideo pœnas æternas mereri, anath. sit.*

Ergo Scriptura et traditio universalis Ecclesiæ existentiam evincunt Inferni, Dæmonumque ac damnatorum pœnarum æternitatem.

OBJECTIONES.

OBJICIES. Scripturæ textus collati intelliguntur de æternitate vel *proprie* dicta, vel *improprie* dicta : si *prius*, significant totalem impiorum destructionem, ut patet ex verbis *perditionis, interitus, mortis*, etc., quæ destructionem important; si *posterius*, id est si intelligendi sunt de longa ac diuturna duratione, tum pœnæ damnatorum finem habebunt; ergo in utroque casu, nec Infernus, nec pœnæ sunt æternæ.

RESP. *Ad* 1um Si in Scripturis solum essent illæ voces *perditionis, interitus, mortis*, quæ sensum negativum admittere possent, *transeat;* si in Scripturis sunt præterea quæ pœnam *positivam* important et priorum terminorum sensum determinant, quales sunt *ignis, tenebræ exteriores, stridor dentium, vermis, sitis*, etc., *nego*. Atqui...

Dixi : *Transeat*. Etsi enim Scripturæ non continerent verba nisi prioris generis, non statim ad sensum negati-

[1] In cap. *de Fide cathol.* — [2] Sess. 6, cap. 29.

Inst. 6. Plures exstant Scripturæ textus qui divinam hanc insinuant indulgentiam. Ergo...

Prob. 1° Ex 1 Cor. 15, 22 et seq.: *Illi omnes vivificandi sunt in Christo, qui mortui sunt in Adam.* 2° Ex Apoc. 20, 5 et 14, in quo quæstio est de *prima* resurrectione et de *secunda* morte; ergo supponitur *secunda* resurrectio et *prima* mors; atqui justi resurgent in *prima* resurrectione, sicut mortui sunt *prima* morte, nempe corporali; ergo, *secunda* resurrectio erit impiorum, sicut morte *secunda*, nempe spirituali, mortui fuerunt; et postea : *Dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia* [1], id-est omnia in pristinum statum restituo. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Ad citatos textus in probationem, resp.: 1° Verba Apostoli ad solos electos referri quorum resurrectionis gloriosæ Christus est causa meritoria, efficiens et exemplaris; ipsi enim, per Christum victores de Diabolo et mundo, regnaturi sunt cum Christo in Deo, sicut capiti membra, conjuncti. De impiis autem *ibidem* dicitur quod subjicientur una cum Dæmonibus sub pedibus ejus, nempe Christi ; quæcumque alia interpretatio est gratuita et ab Apostoli mente et scopo penitus aliena. 2° Ad textum Apocalyp., hæc verba mysteriosa, quæ occasionem dederunt Millenariorum sententiæ, nec a SS. Patribus, nec a commentariis unquam fuisse plene et uno sensu interpretata, sed alii aliter illa intellexerunt; ergo ex illis nihil concludi potest contra clarissima Scripturæ verba.

* CONCLUSIO II.

Dogma de æternitate pœnarum rectæ rationi minime adversatur, imo ipsi ratio adstipulatur.

Prob. 1. Pœnarum æternitas, quibus impii in altera vita afficientur, ex revelatione divina constat; atqui rationi fidem non repugnare probavimus in tractatu *de Regulis fidei*. Ergo, etc.

[1] Apoc., cap. 21, 5.

PROB. 2. Pœnæ quibus damnati subjicientur sunt *privativæ* et *positivæ*; atqui tantum abest ut istarum pœnarum æternitas rationi adversetur, ut ab ipso quodammodo exposci videatur.

Quoad *privativas*, quæ *damni* vocantur, sistunt in privatione æternæ felicitatis, seu in amissione Dei summe boni; atqui recta ratio dictitat ut qui sciens et volens lubens ac libere, per peccatum mortale a Deo se avertit, et æternæ felicitatis voluntariam facit jacturam, ipsamet revera privetur; hac autem semel amissa, nisi eam recuperet, in æternum ea privatus erit : uti si quis semel oculis se privaverit, in perpetuum cæcus manebit, nisi ei oculi restituantur; atqui ex una parte, damnatus hanc jacturam recuperare non potest; ex altera, Deus ad illius restitutionem non tenetur, prout non tenetur oculos restituere ei qui se luminibus privaverit. Ergo, etc. Unde, ex ipsa rei natura, sic directe probatur æternitas pœnarum, ut necessaria esset divina revelatio ad contrarium ponendum.

Quoad pœnas *positivas*, aliæ sunt intrinsecæ, veluti desperatio, odium, mœror, tristitia de amissione summi boni; aliæ vero extrinsecæ, quæ proprie pœnæ sensus nuncupantur; atqui recta ratio facile concipit : 1° fieri non posse damnatos non affici tristitia, mœrore, odio, desperatione, conscientiæ remorsibus propter mala sua facta, cum illa sint consequentiæ necessariæ, et hæc causæ pœnæ privativæ seu *damni;* propterea dicuntur *vermis* qui non moritur, quo perpetuo impii crucientur; 2° damnatos per id puniri debere per quod peccaverint, ut rite concludit S. Thom. [1] : *Sicut recte agentibus debentur bona, ita perverse agentibus debentur mala; sed illi qui recte agunt, in fine ab eis intento percipient perfectionem et gaudium; e contrario ergo debetur hæc pœna peccantibus, ut ex his in quibus finem constituunt, afflictionem accipiant et nocumentum.*

PROB. 3. Hæc veritas sic est rectæ rationi consentanea,

[1] *Contra Gent.*, lib. 3, cap. 145, n. 1.

ut apud Gentiles Philosophi celebriores, Socrates, Xenophon, Aristoteles, Plato et alii quos videre est apud P. Patuzzium [1], non dubitaverint duplicem dari statum in altera vita: unum scilicet in cœlo, ubi boni præmiabuntur, et infernum vero, ubi mali pœnas dabunt. Unde Xenophon narrat a Socrate dictum fuisse [2]: *Præmia manere illos qui Deo placuerint; iis autem qui Deo displicent, pœnas decerni.* Item Cicero ait [3]: *Justis quidem reditum patere ad supernam felicitatem; improbis vero devium quoddam iter esse seclusum a concilio deorum.*

Tandem huic sententiæ concinunt omnium opinio nationum, et Poetæ tam græci quam latini, ut patet ex suis fabulis de campis Eliseis, de Tartaro, de fluminibus Acheronte, per quod Charon semper transfert animas, et Cocyto strepitante, damnatorum gemitus adumbrante; de Minoe et Rhadamanthe omnium delictorum censoribus; de Tantalo, etc., siti perpetuo æstuante, quæ a veritate pœnarum æternitatis evidenter profluunt.

OBJECTIONES. [4]

OBJICIES 1. Dogma de pœnarum æternitate repugnat divinis attributis, ac præcipue Dei bonitati, misericordiæ et clementiæ, necnon divinæ justitiæ et æquitati; ergo est rejiciendum.

RESP. 1. *Nego ant.* Probavimus enim supra dogma pœnarum æternitatis rectæ rationi non solum non repugnare, verum etiam ipsi omnino esse consentaneum et omnium populorum consensu adstipulatum; ergo nullatenus fieri potest ut cum divinis attributis componi non possit.

[1] *De futuro impiorum statu.* — [2] Xenophon, *de Facto et Dist. Socrat.* — [3] Tullius, lib. 1, *Quæst. Tuscul.*

[4] Quidam ponunt pœnas quorumdam damnatorum aliquatenus mitigari posse, vel interrumpi brevi spatio temporis; sed hæc sententia, inquit, S. Liguor., *de Divina Provid.*, diss. 7, § 6, n. 40, expresse contradicit Scripturis. Tamen S. Aug., *Enchirid.*, cap. 102, non damnat hypothesim mitigationis, dicens: « Sed pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placeat, aliquatenus mitigari. »

Aliunde, ut aliquid concluderent adversarii, prius adæquatam divinorum attributorum notionem deberent habere, ut scirent quid ipsa respuant, vel exigant; atqui adæquatam illam notionem non habent. Ergo.

Resp. 2. Ex S. Thom., ex cujus verbis resolvuntur omnes propositæ difficultates [1] : *In pœnis*, inquit, *non delectatur* (Deus); *sed eas infert propter aliud, scilicet propter ordinem imponendum creaturis, in quo bonum universi consistit... infligit igitur Deus, pro quibusdam peccatis, pœnas æternas, ut debitus ordo servetur in rebus, qui ejus sapientiam demonstret.* Et iterum : *Sunt enim utiles* (pœnæ) *ad duo : primo ad hoc quod in iis divina justitia conservetur, quæ est Deo accepta propter seipsam; unde Gregorius* [2] : *Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuo non sedatur; secundo ad hoc sunt utiles, ut de his electi gaudeant, dum in his Dei justitiam contemplantur, et dum se evasisse eas cognoscunt. Hæc autem pœna est justissima.* Nam : *Majestas Dei*, inquit idem D. Thom. [3], *est infinita; ergo quicumque peccat mortaliter, dignus est infinita pœna; et ita videtur quod juste pro peccato mortali quis perpetuo puniatur...* nam *culpa manet in æternum, cum culpa remitti non possit sine gratia, quam homo non potest post mortem acquirere; nec debet pœna cessare quamdiu culpa manet.* Adversarii dicunt hanc remissionis gratiam aliquando fore concedendam; probent suam assertionem ex aliqua Dei promissione; interdum et divina revelatio, et recta humana ratio, et universalis traditio contrarium astruunt. Ergo dogma de pœnarum æternitate rectæ rationi non adversatur. Imo, etc.[4].

Quæres 1. *Quonam in loco est Infernus?*

Resp. Inter catholicos Doctores et SS. Patres, S. Chrysostom. [5] respondit : *Extra mundum hunc totum, ut ego puto.* At hæc sententia non est probabilis, siquidem certum est

[1] *Contra Gent.*, lib. 3, cap. 144. — [2] Lib. 4 *Dial.* — [3] Suppl. 3 p., q. 99, n. 1. — [4] Conf. S. Liguorium *de Divin. Provid.*, diss. 8, § 6. — [5] Hom. 31 in epist. ad Rom.

realem et corporalem esse locum Inferni, et extra hunc mundum totum, nihil exstare nisi spatium imaginarium. Alii reponunt Infernum in terra, non longe ab ejus superficie, cujusque dicunt montes igniferos seu volcanos esse quasi spiracula. Ad hanc sententiam inclinare videtur S. Thom. [1]. Alii cum S. Greg. Nyss., existimant eum esse in aere hujus mundi tenebroso, juxta verba S. Pauli [2], qui vocat Dæmones *rectores tenebrarum harum... in cœlestibus*. At nobis compertum est quosdam spiritus malos in aere per divinam dispositionem habitare in exercitium hominis. Aliunde locus ille non est permanens sicut esse locum Inferni discimus ex illis verbis S. Petri : *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed in Inferni rudentibus detractos in Tartarum cruciandos tradidit* [3].

Alii ex hæreticis, qui propter hoc *Ubiquisti* vocantur, ut Pietserus, Theodorus Beza, Brenzius apud Bellarminum dicunt Infernum esse ubique, neque in loco particulari circumscriptum, sed animas damnatorum a Deo mitti tunc in illum, tunc in alium locum cruciandas. Verum, inquit S. Liguorius cum Bellarmino, etc., hæc opinio falsissima est, communi Ecclesiæ catholicæ fidei prorsus aliena, quæ semper docuit Deum locum certum Dæmonibus et reprobis destinasse, ut constat ex plurimis Scripturæ locis; sic de Dathan et Abiron dicitur [4] : *Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum... descenderuntque vivi in Infernum, operti humo*. Quæ verba S. Hieronymus interpretatur de Inferno; item Psal. 54, 16 : *Veniat mors super illos, et descendant in Infernum viventes*. Verbum autem *descendere* pluries repetitur in Scriptura cum de Inferno est quæstio. Non minus expresse deducitur ex Novo Testamento. Sanctus Lucas [5] dicit de Epulone : *Mortuus est autem et dives, et sepultus est in Inferno*, et ille dives vocat Infernum *locum tormentorum*. Item Infernus vocatur *lacus, stagnum ignis,*

[1] *Opusc.* 21, art. 24. — [2] Ad Ephes. 6, 12. — [3] 2 Petr. 2, 4. — [4] Numer. 16, 31. — [5] Cap. 16, 22.

gehenna, seu vallis in quam cadavera et spurcitiæ projiciebantur cremanda. Unde concludit S. August. [1] : *Manifestum est, ut dixi, inferiores partes terræ inferorum vocabulo nuncupatas*. Ergo lacus Inferni realis et corporalis est, determinatus et in partibus terræ positus ; at certe assignari non potest in qua terræ parte Deus illum constituerit.

QUÆRES 2. *Utrum ignis Inferni sit corporeus et materialis?*

RESP. *Affirmative*, contra Calvinum, Theodosum Bezam, Lambertum, Daneum et plures alios, qui non admittunt nisi ignem metaphoricum.

Probatur ex variis Scripturæ locis, Ex Deut. 32, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad Inferni novissima*. Ex Job. 20, 26 : *Devorabit eum ignis, qui non succenditur*. Non *succenditur*, inquit Tirinus, alimento terreno, sed semel a Deo succensus in æternum ardebit. Et iterum : *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante* [2] ? Idem Isaias dicit [3] : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur*. Iterum legitur in libro Judith 16, 20 : *Dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant*. Christus autem concludit [4]...: *Sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*. Et malus dives clamat [5] : *Crucior in hac flamma*. Dicit *hac flamma*, inquit S. Liguorius, loco cit., ut ostendat ignem Inferni peculiariter esse destinatum ad Deum vindicandum a peccatis diversis in carne commissis, juxta illud [6] : *Vindicta carnis impii, ignis et vermis*.

Porro, Scriptura Sacra litteraliter est accipienda quando nihil obstat; atqui nihil obstat quominus textus præfati litteraliter accipiantur, sicut revera SS. Patres intellexerunt. Ignis ille vindex Dei erit, ut ait Sapiens [7] : *Creatura enim tibi deserviens exardescit in tormentum adversus injustos*. Unde S. Thom. dicit [8] : *Ignis ille erit instrumentum divinæ justitiæ punientis*.

[1] Lib. 4 *in Numer.*, q. 59.— [2] Isaiæ 33, 14. — [3] Cap. 63, vers. 24. — [4] Matth. 10, 24.— [5] Luc. 16, 24.— [6] Eccl. 7, 19.— [7] Sap. 16, 24. — [8] S. Thom., *Suppl.*, quæst. 97, art. 3, ad 3.

Nec valet dicere quod ignis, cum sit corporeus, non potest spiritualem cruciare animam; nam respondit S. Aug.[1]: *Cur enim non dicamus, quamvis miris tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi?* Et revera non magis Deo difficile est facere ut anima corpore crucietur alieno, quam propriò, ut patet.

Neque reponas: ergo unicum erit tormentum damnatorum, cum tamen constet varias *sensus* esse pœnas; nam S. Hieronymus respondet: *In uno igne omnia tormenta sustinent damnati in Inferno.* Et S. Thom.[2]: *Transibunt ex vehementissimo calore ad vehementissimum frigus, sine hoc quod in eis sit aliquod refrigerium.*

Multæ sunt aliæ damnatorum pœnæ *sensus*, ut procella tenebrarum, immobilitas, fletus, stridor dentium et alia hujus generis, quæ videri possunt passim apud auctores citatos.

Quæres 3. *Quarum rerum recordentur damnati?*

Resp. Recordentur omnium quæ supplicii causæ esse possunt (retinent enim naturalem suam memoriam). Hinc S. Thomas.[3] dicit: *Quod sicut propter perfectam sanctorum beatitudinem, nihil erit in eis quod non sit gaudii materia; nihil erit in damnatis, quod non sit eis materia et causa tristitiæ.*

Quæres 4. *Utrum Christianus damnatus, qui fidem in vita non amiserit, illam in Inferno habeat?*

Resp. *Negative*, cum S. Thoma. Ratio quia ad fidem supernaturalem et theologicam, requiritur pius affectus, cujus damnati non sunt capaces. Sed sunt sicut Dæmones, qui manifeste convicti, credunt et contremiscunt, id est coguntur credere cum timore.

Quæres 5. *Utrum damnati beatos videant in gloria?*

Resp. In ultimo tantum judicio reprobi videbunt beatos in gloria; non tamen hanc gloriam discernere poterunt, ex illo Sap. 5, 2: *Videntes, turbabuntur timore horribili;* sed

[1] S. August., lib. 2 *de Civit. Dei*, cap. 7 et 8. — [2] Par. 3 *Suppl.*, quæst. 99, art. 1, ad 3. — [3] Loco cit., quæst. 89, art. 7.

telligent tantum beatos gloria inenarrabili gaudere, cujus memores erunt in æternum ad suam confusionem.

QUÆRES 6. *Utrum damnatorum voluntas sit mala?*

RESP. S. Th., loco cit., quod quantum ad *naturalem* eorum voluntatem attinet, cum a Deo sit, bona esse potest. Sed voluntas *deliberativa*, cum ab ipsis proveniat, necessario est mala; sunt enim in malo obstinati; nam naturale est, inquit Silvius, ut quæque res, postquam ad terminum pervenit, in eo quiescat, nisi ab alio moveatur : damnati autem decedentes cum prava voluntate, sunt in termino, et Deus, justo judicio, relinquit eos in malo quod elegerunt.

QUÆRES 7. *Utrum reprobi peccent in Inferno majoremque mereantur pœnam?*

RESP. Sententia verior negat cum S. Thoma [1], qui ait : *In beatis bona non sunt meritoria, sed pertinentia ad eorum beatitudinis præmium; et similiter mala in damnatis non sunt demeritoria, sed pertinent ad damnationis pœnam.*

CAPUT VIII.

DE ULTIMO JUDICIO.

Nota. Conveniens esset tractare hic de resurrectione corporum tum beatorum, tum reproborum; sed quia quæstionem hanc attigerimus supra, ubi de justorum in cœlo dotibus, ad quæstionem de judicio universali transimus. 1° Stabiliemus illud dogma contra Protestantes aliquot hodiernos, qui, adversa fronte, contra Patres suos repugnantes, judicium universale negant, ad solum judicium particulare constituendum, dum illi judicii particularis existentiam refugiebant ad solum judicium universale

[1] P. 1, q. 62, art. 9, ad 3.

[2] De signis quæ finale judicium præcedere debent, lege SS. Patres et commentaria in S. Lucam, cap. 21, 25; in S. Matth. 24, 29; in secundam S. Petri, 3, 10; in *Apoc.*, 6, 12, et S. Liguorium, *de Divina Provid.*, diss. 4.

propugnandum; ecce illorum inter se concordia! 2° Ad quæstiunculas descendemus.

CONCLUSIO.

Post corporum nostrorum resurrectionem, Christus universale judicium constituet omnium hominum.

Propositio est *de fide :* Primo, in Symbolo Apostolico consignata his verbis : CHRISTUS *venturus est judicare vivos et mortuos;* deinde fusius profitemur in Symbolo Athanasiano, ubi dicimus : *Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem.*

PROB. 1. *Ex Scripturis Sacris.* Christus [1] : *Cum venerit,* inquit, *Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo; tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes... et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris,* etc. Unde S. Paulus [2] ait : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Clare id patet etiam ex S. Joann. 3, 17, ubi declaratur quod in primo adventu Christi, *non Deus misit Filium suum in mundo ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum;* ut paulo post [3] Christus ipse pronuntiat : *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum* (spernentem scilicet) *in novissimo die.*

Unde S. Aug. [4] dicit hanc veritatem de universali judicio sic in Scripturis esse claram, ut nemo sit qui de illa dubitet, nisi qui Scripturis fidem negaverit.

PROB. 2. *Ratione.* Convenientissimum est ut fiat judicium universale ad manifestandam divinæ justitiæ rectitudinem et providentiam Dei. Etenim in præsenti vita ordo videtur inversus; peccatores prosperantur, multi vero justi maximas patiuntur angustias; propter hoc non pauci Deum

[1] Matth. 24, 31 et seqq. — [2] 2 Cor. 5, 10. — [3] 12, 48. — [4] Lib. 20 *de Civit. Dei,* cap. 30.

negant, vel illum sacrilege de injustitia aut ignorantia, vel impotentia insimulant : requiritur ergo ut divina providentia et Dei justitia manifestentur omnibus hominibus, ut Deus publice vindicetur a publicis blasphematoribus, ut patefiant impiorum consilia et machinationes adversus justos, ut quotquot fuerunt hominum intimiores et secretiores sensus in lucem veniant ad gloriam sanctorum reproborumque confusionem. Ordo enim poposcit ut justi qui, dum viverent in mundo, insensati sunt habiti, coram omnibus justificentur; et e contra, ut scelestissimi homines, qui, dum vitam agerent, gloriosi apparuerunt, dedecore et infamia operiantur, suam insipientiam confiteantur, et sanctorum sapientiam exaltent his verbis : *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore... ergo erravimus* [1]. Hæc autem in judicio particulari locum habere non possunt. Ergo, etc. *Aliunde homines*, inquit Angelicus, *in quantum sunt subjecti particulares, judicio particulari subjiciuntur; in quantum vero sunt partes totius communitatis humanæ, subjici debent universali judicio* [2].

QUÆRES 1. *Quando et ubinam fiet judicium universale?*

RESP. *Ad 1um*. Certum est illud futurum fore in fine mundi, cum Deus venerit judicare sæculum per ignem. Quandonam vero mundus finem habiturus sit, est omnino incertum; alii dicunt post sex millia annorum ab ejus constitutione. At hæc opinio, inquit S. Liguorius [3], nullo innititur fundamento et ab omnibus hodie relinquitur. Alii dicunt Christum venisse primo ut mundi redemptor in medio sæculorum, juxta illud [4]: *Domine, opus tuum in medio annorum, vivifica illud*. Unde juxta illos mundus per octo millia circiter annorum duraturus est; at hæc sententia, quamvis probabilis, non est certa; unde Concilium Lateranense V, sub Leone X, sess. 11, dicit : *Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Anti-Christi adventum, aut*

[1] Sap. 4. — [2] S. Thom., *Suppl.*, p. 3, q. 88, art. 1, ad 1. — [3] *De Divina Provid.*, diss. 5, n. 12. — [4] Habacuc, 3, 2.

certum diem judicii prædicare, vel asserere, quis nequaquam præsumat.

Resp. Ad 2um. Communis est opinio quæ dicit Christum judicaturum esse in valle Josaphat, quæ prope muros jacet Jerusalem et in monte Oliveti, ut colligi potest ex Joele 3, 2: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josephat, et disceptabo ibi cum eis;* et ex Act. Apost. 1, 2, ubi dicitur: *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet;* sed ipse, inquit Angelicus [1], ascendit in cœlum de monte Oliveti, qui proeminet valli Josaphat; ergo et circa illa loca ad judicandum veniet. Huic concordat antiqua glossa Joelis, dicens: *Non in terra, sed in spatio aeris sedebit, contra locum montis Oliveti, ex quo ascendit.* Idem eruitur ex propheta Zacharia 14, 4: *Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum.* Unde Dom. Calmetus dicit: *Populi vero ad montis ejusdem radices subsistent in valle Josaphat.*

Quæres 2. *Quale signum erit crucis quod apparebit illa die judicii?*

Resp. Quidam ponunt non aliud futurum esse quam ipsa Christi vulnera, quæ tunc apparebunt omnibus rutilantia; sed sola probabilis sententia dicit ipsam esse crucem cui Christus est affixus; hanc tenet post SS. Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum, Hieronymum, S. Thomas, dicens [2]: *Veniente Domino ad judicium, signum crucis, et alia passionis indicia* (id est instrumenta) *demonstrabuntur, ut impii videntes in quem transfixerunt, doleant et crucientur; et hi qui redempti sunt, gaudeant de gloria Redemptoris.* Unde S. Ecclesia decantat: *Hoc signum crucis erit in cœlo.* Ita etiam Estius, Prudentius, Eutimius, Theophilactus, etc.

Quæres 3. *Utrum Christus in forma humanitatis sit judicaturus?*

Resp. *Affirmative,* et quidem in forma gloriosa, *cum virtute multa, et majestate magna,* juxta illud Joan. [3]: *Potestatem dedit*

[1] P. 3, *Suppl.*, q. 88, art. 4. — [2] *Opusc.* 2, p. 1, cap. 244. — [3] Cap. 56, 19.

ei judicium facere, quia Filius hominis est. Et hoc propter duo ex S. Th.[1]: 1° quia ejus est judicare cujus est legem condere; sed Christus in humana natura apparens, nobis legem Evangelii dedit: ergo; 2° quia judicium aliquod dominium in judicante requirit; ergo Christo competit judicare, secundum quod dominium super homines habet, de quibus principaliter erit finale judicium: *subsumo,* atqui Christus est noster Dominus non solum ratione creationis, sed etiam ratione redemptionis, quod ei competit secundum humanam naturam; ergo et secundum hanc naturam judicare debet ad justos præmiandum, et peccatores puniendum.

QUÆRES 4. *An sint et quinam qui sedebunt judicaturi cum Christo?*

RESP. 1. Certum est omnes electos aliquo modo judicaturos esse reprobos, ut ait psalm. 149, 9: *Ut faciant judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis;* et Joan. in Apocal. 3, 21: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo;* unde Christus [1] ait: *Vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Sicut autem numerus *duodecim* tribus Israel, universalitatem significat gentium, ita duodecim sedes, significat universalitatem electorum; unde S. Augustinus: *Alii ergo erunt judicantes cum Domino, alii vero judicandi; sicut enim judicari ex toto mundo, sic et judicandi ex toto mundo.*

RESP. 2. Sunt autem qui vere judicabunt, et Christi erunt assessores, quorum primi numerantur Apostoli, ut patet ex S. Mattheo, loco supra citato; deinde omnes viri apostolici, qui Apostolos imitati, voluntariam professi sunt paupertatem, ut patet ex ipso S. Matth., cap. 19. Imo S. Gregorius Magn.[3] hunc tribuit honorem omnibus qui terrena contempserint propter amorem Christi, vel etiam, addit Cardinalis Gotti [4], his qui conditione sua et necessitate pauperes, sua

[1] *Suppl.*, q. 90, art. 1. — [2] Matth. 19, 28. — [3] Lib. 26 *Moral.*, cap. 27. — [4] Quæst. 2 Dub., 2, n. 8.

tamen egestate contenti, concupiscentii shabendis renuntiaverint, et Christi vitam perfectam secuti fuerint. Præterea judicabunt cum Christo Martyres, Virgines, Doctores qui, postquam gradus perfectionis decurrerint, aliis prædicaverunt, juxta illud [1]: *Qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*. Tandem sanctæ Ecclesiæ Prælati celebres, qui, licet effectu pauperes non fuerint, affectu tamen omnibus renuntiarunt terrenis, et hoc et aliis mediis magnam prosecuti fuerint perfectionem. Porro, isti assessores non tantum judicabunt in eo sensu quod approbaturi sint solemnem et vocalem sententiam Christi dicentis: *Venite, benedicti... ite, maledicti*, etc. Sed cum verum judicium aliquam judicis importet actionem in judicandos, sentiunt Doctores, præter hanc Christi sententiam generalem, innumeras futuras esse sententias particulares, quæ non nisi intellectualiter erunt a sanctis assessoribus unicuique intimandæ, ut ait S. Thom. [2]: *Intelligitur autem ista prolatio sententiæ particularis, non vocalis, sed spiritualis, in quantum per superiores, sanctos, inferiores, et etiam peccatores, spirituali quadam illuminatione illuminabuntur, quales pœnæ, et qualia præmia eis debeantur*.

Quæres 5. *Utrum Angeli debeant judicare?*

Resp. *Negative*, juxta illud [3]: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*. Unde S. Th.[4] ait quod assessores judicis debent judici esse conformes. Judicium autem Filio hominis attribuitur, quia secundum humanam naturam apparebit tam bonis quam malis, quamvis tota Trinitas judicet per auctoritatem; et ideo oportet ut assessores judicis humanam naturam habeant, in qua possint bonis et malis videri; atqui Angeli non communicant in humana natura. Ergo. Præterea non est ejusdem judicare et esse judicis ministrum; sed Angeli erunt in judicio illo ut mi-

[1] Matth. 5, 19. — [2] *Suppl.* q. 89, art. 1. — [3] S. Joann. 5, 21. — [4] *Suppl.*, q. 99, art. 3.

nistri judicis, ut dicitur [1]: *Mittet Filius hominis Angelos suos, colligent de regno ejus omnia scandala.* Ergo.

QUÆRES 6. *Utrum præludia judicii, seu examen fiet per vocem sensibilem et per modum discussionis?*

RESP. *Negative,* sed sola solemnis Christi sententia generaliserit vocaliter prolata, alia vero omnia spiritualiter agentur; dicussio autem non erit necessaria ubi omnia nuda et aperta erunt judicanti; unde Christus, inquit S. Aug. [2]: *Convincet sine ulla sermonis prolixitate conscientias, et unicuique malo revocaturus est in memoriam, unde convincat puniatque,* ut dicit S. Paulus [3] his verbis : *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum,* etc.

QUÆRES 7. *Utrum quilibet poterit legere omnia, quæ sunt in conscientia alterius ?*

RESP. S. Thomas [4] affirmat ut probabilius, juxta illud [5]: *Illuminabit abscondita tenebrarum.* Ratio est, inquit, quod in ultimo et in communi judicio oportet quod divina justitia omnibus evidenter appareat, quæ nunc in plerisque latet. Sententia autem condemnantis vel præmiantis justa esse non potest, nisi secundum merita vel demerita proferatur. Et ideo sicut oportet quod judex et assessores judicis merita causæ cognoscant ad hoc quod justam sententiam proferant, ita oportet ad hoc quod justa sententia appareat, quod omnibus sententiam cognoscentibus merita innotescant. Notandum vero quod publicatio peccatorum, quæ sancti commiserunt quæque per pœnitentiam deleta sunt, ipsis non erit ad confusionem, sed ad magnam gloriam, propter pœnitentiam quam fecerunt; sicut confessor approbat eum qui magna scelera fortiter confitetur, et ad laudem divinam, quæ tam misericorditer sanctos liberavit.

QUÆRES 8. *Quid fiet de mundo visibili post judicium finale?*

[1] Matth. 13, 41.— [2] Lib. 20 *de Civit. Dei,* cap. 14.— [3] Ad Rom. 15 et 16.— [4] *Suppl.*,q. 89, art. 2. — [5] 1 Cor. 4.

Resp. Ex S. Thoma [1] et S. Liguorio [2] : 1° Prolata Jesu Christi sententia, statim assumentur electi cum Angelis in cœlum, ut æterna fruantur beatitudine; reprobi vero in flammis sepulti cum Dæmonibus, mittentur in viscera terræ ad pœnas æternaliter subeundas.

2° Post hoc, mundus non destruetur per ignem, ut quidam autumarunt; sed, juxta communiorem Patrum et Theologorum sententiam, mundus renovabitur in meliori forma, juxta illud : *Ecce enim ego creo cœlos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora*, etc. [3]. Et : *Novos cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus*, in *quibus justitia habitat* [4]. Et : *Vidi cœlum novum et terram novam; primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est* [5]. Dicuntur *cœli novi*, *terra nova*, non quoad substantiam, sed quoad formam, ut communiter intelligunt Doctores. In eodem sensu intelligunt hæc verba [6] : *Ipsi* (cœli) *peribunt, tu autem permanes. Cœli pereunt*, inquit S. Ambrosius, *ab eo quam sunt, cum mutantur in melius*. Item S. Pauli [7]: *Præterit enim figura hujus mundi. Præterit*, dicit S. August. [8], *figura hujus mundi*, et non mundus; vel sicut ait S. Epiphanius: *Prior figura pereat ad illustriorem statuum immutationem* [9]; tunc enim erit lux lunæ solis, et lux solis septempliciter lux septem dierum [10].

3° *Motus cœli cessabit in illa mundi renovatione, non quidem ex aliqua causa, sed divina voluntate faciente*. S. Th., loco cit., art. 2. Completo enim electorum numero, cessabit omnis revolutio et successio ac generatio, et verosimiliter secundum quosdam, cœlum quiescet in illo situ in quo factum fuit, et quamvis aliqua superficies terræ non illuminetur a sole, nullo tamen modo remanebit obscuritas, eo quod omnia corpora elementorum habebunt in semetipsis quamdam gloriæ claritatem.

[1] *Suppl.*, q. 91.— [2] *de Provident. divina*, diss. 7.— [3] Isaiæ 65, 17. — [4] 2 Petr. 3, 12.— [5] Apoc. 21, 1.— [6] Psalm. 101, 27.— [7] 1 Cor. 7, 31. — [8] *De Civit., Dei.* — [9] Apud S. Liguor., loco cit. — [10] Isaiæ 30, 26.

4° Terra, inquit Angelicus, loc. cit., erit in superficie pervia sicut vitrum, montibus et collibus carens, juxta illud Apocalypsis 16, 20 : *Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi.* Et quamvis terra suam retineat densitatem, secundum suam naturam, tamen *gloria* claritatis vestietur, inquit S. Thomas, *sine præjudicio densitatis ipsius.* Unde diaphana quasi crystallum erit tota, præter partem in qua collocabitur Infernus ; aer splendescet in cœlo, et ignis ut luminaria cœli, dicit S. Doctor, et sic glorificabitur tota natura. Illa vero dispositio novitatis non erit naturalis, nec contra naturam, sed erit supra naturam, nec effectus meriti illius, sed hominis. *Homo enim,* inquit Angelicus, *meruit ut illa gloria toti universo conferretur, in quantum hoc cedit in augmentum gloriæ hominis,* ut dicere valeat cum Psalmista [1] : *Quia delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo.*

[1] Psalm. 91, 5.

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX ANALYTICUS.

TRACTATUS DE REGULIS FIDEI.

DISSERTATIO 1. De his quæ fidem præcedere debent. 1

Nota : (*Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen dissensio inter ipsas inveniri unquam potest, atque ita sibi mutuam opem ferunt.* Quod ut probe attingatur, recte utendum est ratione — ante fidem — cum fide — post fidem. Hic tantum)

CAPUT I. De ratione ante fidem spectata. 2

ARTICULUS 1. De recto usu rationis ante fidem. 2

Nota : (1° Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. 2° Rationis usus fidem præcedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit. 3° Methodus qua usi sunt D. Thomas, etc. ... non ad rationalismum ducit, etc... — Unde : 1° Plures veritates ordinis naturalis, absque supernaturalis revelationis ope, recta ratio omnimoda certitudine cognoscere potest ; et hæc sunt præambula fidei. 2° Datur circa quædam pro humana ratione certitudo *absoluta*, eademque prorsus *objectiva*. 3° Apprime distingue *ontologicum* et *psychologicum ordinem*. 4° Non de omnibus ratiocinandum. 5° Distingue inter *infallibilitatem* et *certitudinem*. 6° Inter veritates, aliæ sunt *immediate* evidentes et per se notæ, aliæ *mediate* tantum. 7° Ratio individualis per se et absque consensus generis humani subsidio, potest sibi in pluribus veritatibus certitudinem comparare. 8° Potest humana ratio certo per seipsam cognoscere motiva credibilitatis existentiæ divinæ revelationis. *Corollarium*. Ergo pariter veræ Christi Ecclesiæ...

ARTICULUS 2. De abusu rationis ante fidem. 8

Nota : (Systemata, alia directe fidem præpediunt, alia indirecte... etc.)

— Quoad *directe* impedientia, ad tria revocantur. Unde :

§ 1. De Pantheismo. 9

(Ad tres species revocari potest, nempe ad *Rationalisticum, Historicum* et *Mysticum*. Pantheismus ipse rationalisticus est *vel* materialisticus, *vel* spiritualisticus.)

§ 2. De Materialismo. 12

§ 3. De Fatalismo et Determinismo. 13

— Quoad *indirecte* impedientia, ad tria revocantur : 1° ad *Sensismum mysticum*, 2° ad *Empirismum*, 3° ad *Hermesianismum philosophicum*.

CAPUT II. De modo quo theologus procedere debet in adstruenda fide. 14

ARTICULUS 1. De methodologia, et principaliter relative ad munus theologi. 14

(Ad tria attendat theologus : 1° ad *munus*... 2° ad *methodum*... 3° ad *instrumenta*... Jam dictum est de instrumentis.

— Munus est *dogmaticum, speculativum, polemicum ;* nunc de polemico. Unde: 1° Si cum infidelibus vel incredulis sit concertandum, sola rationis argumenta afferantur quibus probatur revelatio. 2° Si cum Judæis, probetur Vet. Testam. prophetiis et figuris. 3° Si cum hæreticis, videatur an quod negant sit ab Ecclesia necne... 4° Si cum catholicis, vel quæstio est indifferens, vel proxime fidem attingit. Si prius, quisque suo sensu abundet. Si posterius, strenuam navet operam ut intemeratam servet doctrinam : abstineat autem a censuris catholicorum doctrinæ inurendis, etc.)

ARTICULUS 2. De methodo. 17

(Methodus est ordinata rei tractatio, etc...; estque vel *analytica*, vel *synthetica*. — Unde dico : 1° In parte Theologiæ *præambula*, ordinarie loquendo, anteponenda est synthetica; 2° in parte *expositionis*, omnino adhibenda.)

DISSERTATIO 2. De fide theologica. 19

Nota : (Fides sumitur pro : 1° fidelitate, 2° conscientia, 3° fiducia, 4° doctrina catholica, 5° assensu quem intellectus ex imperio voluntatis præbet veritatibus quibusdam propter auctoritatem dicentis, et est vel *humana*, vel *divina*. Hic de divina.)

CAPUT I. De essentia et divisione fidei. 19

Quæres 1° Quid sit fides? 19

(Resp. 1° Defin. ab Apost.: *Sperandarum substantia*... — 2° Est virtus theologica divinitus infusa, qua firmiter assentimur iis quæ a Deo revelata sunt, propter auctoritatem ipsius revelantis.)

Quæres 2. Quotupliciter fides theologica dividitur? 21

(Est : 1° vel *actualis*, vel *habitualis ;* — 2° vel *explicita*, vel *im-*

plicita; — 3° vel *viva*, vel *mortua*; — 4° vel *formata*, vel *informis*.)

CAPUT II. De objecto materiali fidei. 22

Nota: (1° Objectum materiale adæquatum fidei est collectio omnium veritatum a Deo revelatarum. Dividitur : 1° in primarium seu *attributionis*; et secundarium seu *attributum*; 2° in *articulos fidei* et *puncta fidei*.)

QUÆSTIO 1. Utrum quodlibet objectum materiale fidei æque pertineat ad fidem? Est contra Novatores. 23

(Sic : Quia 1° quidquid æque participat rationem formalem habitus, illud æque attingitur a tali habitu. 2° Secus, posset quis salvari quibusdam veritatibus fidei dissentiendo. Atqui Apost.: *Subversus est qui*..., etc.)

Objectiones. . 24

QUÆSTIO 2. Utrum articuli fidei successu temporis creverint? 26

Nota : (1° Articulus fidei est : Propositio catholica habens principii rationem in fide, specialemque ab aliis articulis ad credendum difficultatem, ab omnibus explicite credenda. 2° Crescere dici possunt secundum vel *substantiam*, vel *explicationem*.)

Dico : Creverunt non quoad substantiam, — sed secundum explicationem. 27

(*Prob.* 1. p. Ex Apost. : *Habentes eumdem spiritum*..., etc., et *conf.* ex D. Thoma dicente omnes articulos implicite contineri in eo quod credatur Deus esse et providentiam habere circa hominum salutem. — *Prob.* 2. p. Ex facto.)

QUÆSTIO 3. De symbolis in quibus continentur articuli fidei. 28

Nota : (1° Symbolum est summa quorumdam præcipuorum fidei articulorum omnibus fidelibus ad expresse credendum proposita, distinguens illos ab infidelibus. — 2° Tria sunt : nempe : *Apostolicum, Nicænum, Athanasianum*. — 3° De Nicæno nulla controversia. De Athanasiano dubius est auctor, sed certe : 1° continet doctrinam S. Athanasii; 2° ab Ecclesia sancitum est. Quoad Apostolicum, contra Erasmum dubitantem et Calvinum negantem, sit)

Dico : Symb. Apost. ab ipsis Apostolis fuit conditum, non solum quoad doctrinam, sed quoad formulam. 29

(*Prob.* Sic S. Clem., S. Irenæ., Lucifer. Calarii., etc... — *Conf.* ex regula S. Aug.: *Quod universa tenet Ecclesia*...

QUÆSTIO 4. Utrum ea quæ deducuntur ex veritatibus revelatis sint de objecto materiali fidei, seu de fide? 30

Nota: (Revelatio est veritatis obscuræ... — Est vel *formalis* et immediata, vel *virtualis* et mediata.)

Dico 1° : Propositio legitime deducta ex duabus præmissis immediate revelatis, est de fide divina. 31
Dico 2° : Conclusio legitime deducta ex majore universali immediate revelata et minore non revelata, sed *certa...*, est de fide. 31
Dico 3° : Conclusio legitime deducta ex majore universali omnino *certa*, sed non revelata, et ex minore immediate revelata, est de fide. 32
CAPUT III. De objecto formali fidei. 33
Nota : (1° Objectum formale fidei est immediatum motivum propter quod credimus veritatibus a Deo revelatis. 2° Quæritur quænam Dei veritas est istud objectum, nempe vel veritas *in essendo*, vel *in cognoscendo*, vel *in dicendo*.)
Dico : Objectum formale fidei est *prima* veritas *in dicendo*. 34
(*Prob.* 1. Ex Script., nam Joann. : *Qui credit in Filium... qui non credit...* Et : *Qui accepit ejus...* 2° Nam hæc veritas est motivum immediatum assensus nostri. — *Resolv.*: Objectum formale fidei est complexum ex prima veritate *in dicendo* et actuali revelatione, tanquam partibus objecti adæquati, ita tamen ut prima veritas in dicendo magis primario pertineat ad illud.)
Quæres : In quid resolvitur ultimo fides? 35
(Variis modis resolvitur : 1° In auctoritatem Dei summe veracis, tanquam in causam *formalem*. 2° In auctoritatem Ecclesiæ, tanquam in causam *directivam*. 3° In motiva credibilitatis, tanquam in causam *inductivam*.)
CAPUT IV. De subjecto fidei. 37
Nota : (Per subjectum fidei intelligimus creaturas in quibus fides reperitur, tam secundum actum quam secundum habitum. Porro *certum est* : 1° Veram fidem fuisse in Angelis viatoribus. 2° Fidem non esse in Dæmonibus et damnatis. 3° Fidem non esse in beatis ; bene vero in animabus Purgatorii. — Unde.)
Dico 1° : Fides divina remanet cum peccato mortali ab infidelitate distincto. 38
(Nam : 1° Apost.: *Si habuero omnem fidem...* 2° Sic Conc. Trid., sess. 6, can. 38. 3° Aliter peccator privaretur radice per quam posset converti.)
Dico 2° : Habitus fidei totaliter perit in hæretico, — etiamsi unicum vel minimum fidei articulum rejiciat. 38
(*Prob.* 1. p. Nam : 1° Apost.: *Devita profanas vocum...* 2° Sic Trident. — *Prob.* 2. p. Nam fides est indivisibilis.)
CAPUT V. De proprietatibus fidei. 40

QUÆSTIO 1. De supernaturalitate fidei (ut actus). 40
Dico : Assensus seu actus fidei est vere et entitative supernaturalis. 41
(Nam : Illius objectum formale, seu divina *revelatio,* et principium, *seu gratia,* sunt supernaturalia. — Unde nota : Assensus fidei est mere *judicativus* et *adhæsivus,* non vero *discursivus.*)
QUÆSTIO 2. De certitudine fidei. 43
Nota : (Difficultas potest esse ex parte : 1° Dei revelantis; 2° hominis credentis; 3° assensus fidei. Unde)
Dico 1° : Deus ne quidem de potentia absoluta potest revelare falsum. 43
(Nam : Num. : *Non est Deus quasi homo...* Paul. : *Impossibile est...*)
Dico 2° : Quod a parte rei est falsum, non potest credi fide divina. 44
(Nam : Non potest informari proprio fidei motivo divinæ, nempe revelatione *a parte rei* divina.)
Dico 3° : Assensus fidei simpliciter et absolute certior est quolibet assensu scientifico. 47
(Notato quod sit duplex certitudo, *objectiva* scilicet, et *formalis,* et quod hic de formali agatur : *Prob.* 1° ex S. Aug. : *Facilius dubitarem...* 2° eo quod certitudo formalis desumitur a motivo.)
QUÆSTIO 3. De obscuritate fidei. 49
(*Nota* : Fides obscura dici potest ex parte : 1° rei revelatæ; 2° revelantis. — *Certe* non est obscura ex parte revelantis. Unde)
Dico 1° : Fides debet esse obscura ex parte rei revelatæ. 49
(*Prob.* Ex Apost. : *Fides est argumentum...* — *Conf.* ex exemplo fidei humanæ.)
Dico 2° : Quod evidenter scitur aut videtur potest esse objectum fidei divinæ. 50
(Nam : 1° Deut. : *Audi, Israel...* Hæbr. : *Accedentem ad Deum...* Symb. : *Credimus unum Deum...* Atqui tamen, etc. 2° Intellectus potest assentire conclusioni propter duo motiva, unum clare, alterum obscure eam ostendens.)
QUÆSTIO 4. De credibilitate fidei. 52
Nota: (1° Ista duo : *esse evidenter verum* ; et *esse evidenter credibile*, multum differunt. 2° Circa evidentiam credibilitatis tria dicenda. Unde)
Dico 1° : Mysteria nostræ fidei debent esse evidenter credibilia.
(*Prob.* Nam assensus fidei debet esse immobilis. — *Conf.* eo

quod Joan. : *Qui non credit condemnabitur*. Atqui : *si opera non*... Hinc ab Innocen. XI et clero Gall. damnata fuit contraria propositio.)

Dico 2°: Mysteria fidei sunt evidenter credibilia. 54

(Nam motiva ea credendi, seu argumenta sunt evidentia et irrefragabilia.)

Dico 3°: Octo sunt præcipua credibilitatis motiva, quæ suadent esse credibilia quæ a Deo et Ecclesia ad credendum nobis proponuntur. 55

(Hæc desumuntur sic : — 1. ab auctore fidei christianæ, Jesu Christo ; — 2. ab excellentia et sanctitate doctrinæ christianæ; — 3. ex istius doctrinæ propagatione ; — 4. ex effectibus qui subsecuti sunt ejus susceptionem ; — 5. ex ejus conservatione ; — 6. ex multitudine martyrum ; — 7. ex vaticiniis non solum Prophetarum, sed et sybillarum ; — 8. ex miraculis in illius favorem actis. Circa quod nota. — 1° Miracula esse vel *primæ* vel *secundæ* classis, et falsum non posse subesse nisi secundis. — 2° Vera miraculis a falsis discerni : 1° ex eorum *duratione* ; 2° ex eorum *indefectibilitate* ; 3° ex eorum *fine* ; 4° ex manifesta *Dei providentia*.)

CAPUT VI. De vitiis fidei oppositis. 59

Nota : (Duo sunt præcipua, nempe : *infidelitas* et *blasphemia*. Hic tantum de primo.)

ARTICULUS UNICUS. De infidelitate. 59

Nota : (1° Infidelitas est carentia fidei in subjecto apto ; et triplex est, scilicet *pure negativa, privativa, positiva*. 2° Positiva triplex est, nempe paganismus, judaismus et hæresis. — Certum est : 1. Infidelitatem pure negativam non esse peccatum ; 2. Privativam esse peccatum mortale ex genere suo ; 3. Positivam esse peccatum ex genere suo mortale, et quidem gravissimum, quodque ex sola indeliberatione, non vero ex levitate materiæ, a mortali excusari potest. — 3° Abstinentes ab extraneis quæstionibus, hic tantum de hæresi loquemur.)

Quæres. Quid sit hæresis formalis ? 61

(Est error voluntarius et pertinax contra aliquam fidei catholicæ veritatem, in eo qui se christianum profitetur. — Unde tria ad eam requiruntur, nempe : 1° professio christianismi ex parte subjecti ; 2° error ex parte intellectus ; 3° pertinacia ex parte voluntatis, id est voluntas cum scientia.)

TRACTATUS DE DEO UNO.

DISSERTATIO 1. De existentia unius Dei. 63

(Dei nomine intelligimus ens omni perfectionis genere infinitum,

a quovis alio independens, cæterorumque omnium originem et finem.)
CAPUT I. Utrum existentia Dei possit demonstrari? 64
Nota: (Demonstratio, seu syllogismus pariens scientiam, est vel *a priori* vel *a posteriori*.)
Conclusio 1. Existentia Dei non potest demonstrari a priori. — Est contra Ariminensem. 64
(Nam Dei existentiæ nulla est causa.)
Conclusio 2. Existentia Dei potest demonstrari a posteriori. — Est contra Atheos et quosdam Socinianos. 65
(Constat: 1° Ex S. Script. Nam: Psal.: *Cœli enarrant*... Sap.: *Vani sunt homines in quibus*... Rom.: *Quod notum est Dei*... 2° Eo quod hæc demonstratio sit per effectus. Atqui...)
Objectiones. 66
CAPUT II. Quibus argumentis potest demonstrari existentia Dei? 71
Nota: (Negantes existentiam Dei, *athei* vocantur; suntque: 1° vel *proprie*, vel *improprie* dicti; 2° vel *practici* vel *speculativi*.)
§ 1. Demonstratio ex ente necessario et contingenti. 72
(Datur ens necessarium, quia cum sit contingentis *posse esse aut non esse*, repugnat omnia esse contingentia.)
Objectiones. 73
§ 2. Demonstratio ex necessitate primæ causæ effectricis et primi moventis immobilis. 77
(Datur — Causa prima improducta: nam existunt effectus; atqui nihil est sui effectus, aliter esset seipso prius et posterius. — Movens primus immobilis, nam existit motus; atqui nemo movetur a semetipso, aliter esset secundum idem simul in potentia et in actu; aliunde repugnat processus in infinitum.)
Objectiones. 78
§ 3. Demonstratio ex mirabili mundi fabrica et dispositione. 80
Objectiones. 80
§ 4. Demonstratio existentiæ Dei ex communi sensu. 82
CAPUT III. Utrum Deus possit invincibiliter ignorari? 82
Nota: (1° Ignorantia duplex est, *vincibilis* scilicet et *invincibilis*. 2° Homines adultos ignorare Dei existentiam per totam vitam posse docuit Poncius; alii tantum posse per breve tempus. Unde)
Conclusio. Nemo, post adeptum rationis usum, etiam ad breve tempus, potest invincibiliter ignorare Deum. 83
(*Prob.* 1° Argumenta existentiæ Dei sunt evidentia; 2° Psal.: *Effunde iram*... — *Conf.* nam secus nullum ejus peccatum esset mortale.)
Objectiones. 83

CAPUT. IV. De unitate Dei. 85
Nota : (Eam impugnarunt: 1° Gentiles; 2° Hæretici, nempe Marcionitæ, Cerdoniani, Manichæi, Tritheistæ. Hinc)
Conclusio 1. Fide constat unicum esse Deum. 86
(Nam : 1° Sic S. Script. Psal.: *Tu es Deus Solus*... Deut.: *Vide quod ego*... Marc.: *Unus est*... Cor.: *Nullus est Deus, nisi unus.* — 2° Contra Tritheistas, sic SS. Patres, v. g. Epiph., Joannes Maxent., Aug. — 3° Sic Conc. Nicænum : *Credo*... Tolet. XI et Later. IV. — 4° Sic *omnium* traditio.)
Objectiones. 88
Conclusio 2. Ratione demonstratur unicum esse Deum. 92
(Nam: 1° Repugnant duo infinita; 2° Repugnant duo omnipotentes; 3° Unicum est rerum omnium principium — unicus finis simpliciter ultimus — unicus mundi rector.)
DISSERTATIO 2. De natura seu essentia Dei. 94
Nota : (1° Essentia Dei considerari potest vel *in se a parte rei*, vel per *quamdam analogiam* ad creaturas. *Primo modo* nequit definiri; *secundo* definiri potest et imperfecte cognosci, equidem duplici via : 1° *via negationis ;* 2° *via affirmationis.* — 2° Circa *genus* Dei nulla difficultas; certe enim : 1° non est in aliquo genere proprie dicto; 2° est in genere improprie dicto *entis.* — 3° Gravis est controversia circa Dei *differentiam.* Unde — 4° Gradus essentiæ constitutivus, seu differentia, debet, esse: 1° proprius, 2° primus, 3° fons et radix aliarum proprietatum, 4° adæquatus rei. — 5° Circa hanc quæstionem quadruplex est opinio, nempe Thomistarum, Nominalium, Scotistarum, deinde aliorum Theologorum.)
Conclusio 1. Gradus essentiæ divinæ constitutivus non est intellectio. 96
(Nam non habet conditiones requisitas.)
Conclusio 2. Gradus essentiæ divinæ constitutivus non est cumulus omnium Dei perfectionum. 98
(Nam non est specialis perfectio, nec habet omnes conditiones requisitas.)
Conclusio 3. Infinitas radicalis non est formale constitutivum essentiæ divinæ. 98
(Nam non prima occurrit de Deo cogitanti.)
Conclusio 4. Gradus constitutivus essentiæ divinæ, est aseitas. 99
(Nam : 1° Sic S. Script. Exod.: *Ego sum qui*... Sic SS. Patres, v. g. S. Hieron., S. Aug., S. Joan. Damasc. 2° Hæc habet omnes conditiones requisitas. *Concludes*, quod, licet Deus proprie definiri nequeat, potest tamen describi : *Ens a se.*)
Objectiones. 101

DISSERTATIO 3. De attributis seu perfectionibus divinis generatim. 102
Nota : (1° Attributum *late* vel *stricte* sumi potest. 2° Stricte sumpta, attributa Dei sunt — alia *absoluta*, hæcque vel negativa, vel positiva, vel respectiva, — alia *relativa*.)
CAPUT UNICUM. De distinctione attributorum absolutorum a se invicem, et attributorum tum absolutorum, tum relativorum ab essentia divina. 103
Nota : (1° Distinctio in genere est negatio identitatis; estque vel *realis* vel *rationis*. — Realis autem est vel major vel minor, vel minima seu formalis a parte rei. — Rationis distinctio est vel rationis ratiocinantis, vel rationis ratiocinatæ. 2° Circa hanc quæstionem : duplex est error, nempe : 1. Actii et Eunomii, etc... 2. Gualteri, Palamæ, etc. Triplex autem opinio, nempe Nominalium, Scotistarum, Divi Thomæ cum Theologis communiter.)
Conclusio 1. Attributa divina absoluta, nec inter se, nec ab essentia divina, neque relativa ab eadem essentia distinguuntur distinctione reali actuali ante mentis operationem. 105
(*Prob.* Nam de se invicem prædicantur in abstracto, ut constat : 1° Ex S. Script. Prov.: *Ego sapientia*... Joan.: *Ego sum via*... 2° Ex SS. Petr. Sic S. Greg., S. Aug. 3° Ex conc. Rhem., Later. IV. — *Conf.* quia in conc. Rhem. damnatus fuit Gilbertus eo quod aliquam a parte rei distinctionem admittebat.)
Objectiones. 106
Conclusio 2. Attributa absoluta inter se et ab essentia, item attributa relativa ab eadem essentia, distinguuntur distinctione rationis — saltem imperfectæ. 108
(— 1. p. constat : 1° Ex Script.. quæ Deo simplicissimo tribuit proprietates multas. 2° Ex ratione : nam distinguuntur cum fundamento in re, quia virtualiter multiplicia sunt, ut æquivalentia diversis perfectionibus, *et quidem* distinguuntur ratione Dei excellentiæ et mentis humanæ tenuitatis. — 2. p. constat; nam hæc sese mutuo implicite includere intelliguntur.)
Objectiones. 109
Quæres 1. An et quomodo attributa, sive absoluta sive relativa, essentiam, et hæc vicissim attributa in suo conceptu essentiali includunt? 112
(*Resp.* Sese mutuo includunt in sensu identico — non autem in sensu formali, saltem explicite.)
Quæres 2. An et quomodo essentia de attributis, et attributa de se invicem — ac de essentia prædicentur? 113
(*Resp.* 1° Attributa et essentia divina de se invicem *in concreto*

prædicantur. 2° In Deo, concreta de abstractis, abstracta de concretis, abstracta de abstractis, de se invicem *in sensu reali* prædicantur. 3° In Deo abstracta de abstractis *non* possunt prædicari *in sensu formali per mentem.*)

DISSERTATIO 4. De attributis Dei speciatim. 115

CAPUT I. De attributis Dei negativis. 115

QUÆSTIO 1. De simplicitate Dei. 115

Nota : (1° Simplicitas *formaliter* sumpta est negatio compositionis, estque vel *realis*, quæ est vel physica vel metaphysica, vel *rationis* seu logica.—2° Simplicitatem Dei negarunt: 1° Gentiles, 2° Antropomorphitæ, 3° realis distinctionis supradictæ patroni, 4° Spinosa et Pantheistæ.)

Conclusio 1. Deus omnem a se excludit compositionem realem physicam. — *Est de fide.* 116

(Nam : 1° Sic SS. Patres, v. g. S. Cyril., S. Amb. Unde Conc. Later. III : *In Deo... natura simplex omnino.* 2° Deus componitur — nec ex materia et forma, quia spiritus et immensus — nec ex subjecto et accidente, quia immutabilis.)

Objectiones. 117

Conclusio 2. Deus omnem a se excludit compositionem realem metaphysicam. 120

(Nam Deus componitur — nec essentia et existentia, quia *ens a se*,—nec ex natura et personalitate, quia hæc neque realiter, neque formaliter a parte rei distinguuntur.)

Objectiones. 121

Conclusio 3. Deus est ita simplex, ut omnem compositionem logicam ex genere et differentia excludat. — Est contra Gabriel, etc. 122

(Nam : 1° Sic SS. Patr., v. g. S. Cyril. Alex., Evagr. 2° In Deo nihil est per modum potentiæ.)

Objectiones. 123

Quæres. Utrum Deus possit in aliorum compositionem venire? 124

(Resp. — 1° Deus *potest* venire in aliorum compositionem quæ dicitur *cum his*, nam nullam hæc involvit *potentiam;* et constat ex facto. — 2° Deus *nequit* venire in aliorum compositionem quæ dicitur *ex his*, quia Deus nequit rationem habere : 1° materiæ, 2° formæ, 3° partis proprie dictæ.)

QUÆSTIO 2. De infinitate et perfectione Dei. 126

Nota : (1° Infinitas et perfectio Dei ejusdem sunt argumenti. 2° Infinitum dicitur quod nullos habet limites , estque quoad vel *molem*, vel *virtutem*, vel *essentiam*. De hoc ultimo quærimus.)

ARTICULUS 1. Utrum Deus sit quoad essentiam infinitus? 126

Conclusio. Deus est quoad essentiam infinitus. — *Est de fide.* 126
(Nam : 1° Sic S. Script. Psalm. : *Magnus Dominus...* Baruch : *Non habet finem.* Sic SS. Pat., v. g., S. Dyon., S. Joann. Damasc. 2° Sic ratio : nam — Deus est ens a se — totus est in actu.)
Objectiones. 127
ARTICULUS 2. Utrum et quomodo Deus contineat omnium creaturarum perfectiones? 128
Nota : (1° Perfectiones sunt vel *simpliciter simplices,* vel *simplices,* vel *secundum quid.* 2° Aliquid potest contineri vel *formaliter,* vel *eminenter,* vel *virtualiter.*)
Conclusio 1. Omnes creaturarum perfectiones, tum *simpliciter simplices* — tum *simplices,* continentur in Deo formaliter. 129
(Constat — 1. p. Nam de Deo prædicantur in abstracto et secundum propriam rationem : Job : *Apud ipsum est fortitudo...* Prov. : *Meum est consilium.....* — 2. p. Nam hæc constituunt personas divinas.)
Conclusio 2. Creaturarum perfectiones *secundum quid* non sunt in Deo formaliter, — sed eminenter. 130
(Constat — 1. p. Nam in suo conceptu dicunt imperfectum. — 2. p. Nam in Deo sunt imperfectione omni defæcatæ.)
QUÆSTIO 3. De immutabilitate Dei. 131
Nota : (1° Immutabile dicitur quod aliter non potest se habere ac est, — mutatio aliunde est vel *realis,* seu intrinseca; vel *impropria,* seu extrinseca. 2° Est contra Stoicos et Socinianos.)
Conclusio. Deus est omnino immutabilis. — *Est de fide.* 131
(Constat — 1° Ex Script. Num. : *Non est Deus quasi...* Malach. : *Ego Dominus et...* Hinc Conc. Nicæn. I : *Eos qui dicunt,.. mutabilem Dei Filium, anath.* — 2° Ex ratione; nam in eo non est mutatio : 1° substantiæ, 2° temporis, 3° loci, 4° quantitatis, 5° perfectionis, 6° operationis.)
Objectiones. 133
QUÆSTIO 4. De Dei incomprehensibilitate. 135
Nota : (1° Comprehensio sumi potest vel *late,* vel *stricte.* —2° Est contra Eunomianos et Anomæos.)
Conclusio. Deus a nullo intellectu creato comprehendi potest. — *Est de fide.* 135
(Nam : 1° Sic S. Script. Jerem. : *Incomprehensibilis cogitatu.* Eccl. : *Ne laboretis, non...* Sic SS. Patr., v. g. S. August., S. Greg. Magn. 2° Sic Conc. Later. IV et Basileense. 3° Nulli intellectui creato competit cognitio infinita.)
Objectiones. 136

QUÆSTIO 5. De ineffabilitate Dei. 138
Nota: (*De fide est.* — Controvertitur quo sensu sit ineffabilis.
Conclusio 1. Deus est ineffabilis hoc sensu quod *a viatoribus* nullo nomine perfecte, et ut est in se, possit exprimi. 138
(Nam Deum non cognoscimus sicuti est. — Econtra beati.)
Conclusio 2. Deus non est ineffabilis in hoc sensu quod a viatoribus nullo nomine, etiam imperfecte, possit exprimi. 139
(Nam nobis conceptus imperfectus : ergo et illius signum. Unde Jerem.: *Fortissime, magne...* Exod. : *Si dixerint mihi...*)
Quæres 1. An nomina Dei sint synonyma, eamdem rem eadem ratione significantia? 139
(*Negat.* quia diversorum conceptuum signa.)
Quæres 2. An nomina de Deo et creaturis dicantur univoce? 139
(*Negat.* quia non eadem ratio.)
QUÆSTIO 6. De invisibilitate Dei. 140
Nota : (Duplex Dei visio, nempe *abstractiva* et *intuitiva.*)
ARTICULUS 1. Utrum essentia Dei videri possit ab oculo corporeo? — Est contra Antropomorphitas. 140
Conclusio. Deus a nemine unquam, aut visus est, aut videri poterit oculis corporeis. 140
(Nam : 1° Sic Script. 1 Tim.: *Regi sæculorum...* Et : *Lucem inhabitat...* Aliunde Joann. : *Quoniam cum apparuerit...* 2° Sic SS. Patr., v. g. Orig., S. Cyril. Hieros., S. Aug. 3° Nulla facultas vitalis potest ferri extra limites objecti sui adæquati. Ergo, etiam *de potentia Dei absoluta*, a nemine, etc.)
Objectiones. 141
ARTICULUS 2. Utrum essentia divina videri possit ab intellectu creato per solas naturæ vires? 145
Conclusio. Deus ab intellectu creato, per solas naturæ vires, non potest videri intuitive. — *Est de fide* defin. a Conc. Vienn. — Est contra Anomæos, Beguardos et Beguinas. 146
(Nam : 1° Sic S. Script. Is.: *Oculus* mentis *non vidit...* Psal.: *Gratiam et gloriam...* Rom. : *Gratia Dei...* 2° Sic SS. Patr., v. g. Orig., S. Ambr., S. Aug. 3° Visio intuitiva est actus supernaturalis.)
Objectiones. 146
CAPUT II. De attributis Dei positivis. 148
QUÆSTIO 1. De visibilitate Dei. 148
ARTICULUS UNICUS. De possibilitate visionis intuitivæ. 148
Conclusio. Intellectus creatus, supernaturali roboratus auxilio, Dei naturam videre potest. — Est contra Palamitas. — *Est defin.* in Conc. Flor. 148
(Nam : 1° Sic Script. Matth.: *Beati mundo corde...* 1 Cor.: *Vi-*

demus nunc per... 1 Joann.: *Scimus quoniam...* — 2° Sic SS. Patres, v. g. S. Iren., Clem. Alex., S. Bern. — 3° Hoc suadet ratio; quia beatitudo, saltem causaliter, consistit in hac visione. Unde Joann.: *Hæc est autem...*)

Objectiones. 149

QUÆSTIO 2. De Dei æternitate. 153

Nota : (Æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. — *Unde* differt : 1° a tempore, 2° ab ævo.)

Conclusio. Deus est æternus. — *Defin. a Conc. Later.* 154

(Nam : 1° Sic Script. Deut.: *Vivo ego...* Psalm.: *Dominus in æternum...* Dan.: *Ipse est Deus...* 2° Deus est immutabilis.)

Quæres : An æternitas sit creaturæ incommunicabilis? 156

(*Affirm.* Quia initium est de ratione creaturæ.)

QUÆSTIO 3. De immensitate Dei. 156

Nota : (1° Immensitas differt ab ubiquitate tanquam actus primus a secundo. — 2° Res potest esse in loco vel per *potentiam*, vel per *præsentiam*, vel per *substantiam*. — 3° Potest esse per substantiam vel *circumscriptive*, vel *definitive*, vel *repletive*.)

Conclusio 1. Deus est immensus. 157

(Nam : 1° Baruch : *Excelsus et immensus*. Sic Conc. Later. IV. Sic Symb. Athan. 2° Est perfectio simpliciter simplex.)

Conclusio 2. Deus est ubique, seu existit in omnibus rebus et locis tum per potentiam — tum per præsentiam — tum per substantiam. — *Est de fide.* 158

(Constat — 1. p. Nam Apost.: *Deus omnia operatur...* Act.: *Non longe est...* — 2. p. Nam Hebr.: *Omnia nuda...* — 3. p. Nam : 1° Sic Script. Jer.: *Si occultabitur...* Psalm.: *Quo ibo a spiritu...* — 2° Sic SS. Patres, v. g. S. Aug., S. Bern. — 3° Deus est ubique per operationem.)

Objectiones. 159

Quæres : An Deus sit ita immensus, ut sit extra mundum, nempe ut sit ultra cœlorum ambitum?

(Resp. Deus est extra mundum *negative*, — non vero *positive*. — *Est de fide.*)

QUÆSTIO 4. De bonitate Dei. 163

Nota : (1° Bonitas alia est *absoluta*, alia *respectiva*, alia *moralis*. — 2° Bonum aliud est *per essentiam*, aliud *per participationem*.)

Conclusio 1. Deus est bonus bonitate absoluta, respectiva, morali. — *Est de fide.* 163

(Nam — summe perfectus, — summe appetibilis, — summe sanctus. Unde Rom.: *Non est iniquitas...* Psalm. : *Sanctus est in omnibus operibus suis.*)

Conclusio 2. Deus triplici illa bonitate bonus est per essentiam.— *Est de fide.* 164
(Nam est bonus per se et independenter a quocumque alio. Luc.: *Nemo bonus...*)
Conclusio 3. Deus in quocumque genere boni est summe bonus. — *Est de fide.* 164
(Nam bonitas in Deo est ipsemet Deus infinitus. Matth. : *Quid me interrogas.?*).
Objectiones. 165
QUÆSTIO 5. De intellectu et scientia Dei. 166
ARTICULUS 1. De existentia, proprietatibus et divisione scientiæ Dei. 166
Conclusio. Est in Deo scientia, et quidem perfectissima, sumpta pro cognitione cujuscumque rei certa et evidente. 166
(Nam : 1° Sic Script. Esth. : *Domine, qui habes...* Col.: *In quo sunt omnes...* 2° Scientia est perfectio simpliciter simplex.)
Quæres 1. Quot et quænam sunt scientiæ Dei proprietates? 167
(Resp. *Quinque :* nam est substantialis, — simplex, — infinita, — æterna, — immensa.)
Quæres 2. Quotuplex sit in Deo scientia? 168
(A parte rei unica. — Quoad ordinem ad objecta, dividitur in scientiam : 1° *necessariam* et *liberam;* 2° *speculativam* et *practicam;* 3° *approbationis* et *improbationis;* 4° *simplicis intelligentiæ, visionis,* et *sub conditione futurorum.*)
ARTICULUS 2. De scientia simplicis intelligentiæ. 169
Nota: (1° *Medium* cognitionis est id in quo... 2° Essentia divina spectari potest : 1° prout causa possibilia continens; 2° prout species intelligibilis ea repræsentans.)
Conclusio 1. Deus certissime cognoscit omnes creaturas possibiles — et quidem secundum esse proprium et formale quod haberent in seipsis, si producerentur. — *Est de fide.* 170
(Constat — 1. p.: Eccl.: *Domino Deo, antequam...* Rom.: *Vocat ea quæ non...*— 2. p. Nam creaturas videt omni modo possibili sine imperfectione.)
Conclusio 2. Deus creaturas possibiles videt, non tantum in essentia tanquam in causa, — sed etiam in seipsis, prout in essentia divina, tanquam in specie intelligibili, repræsentantur. 170
(Constat — 1. p.: 1° Ex S. Aug. : *In qua vidit...* 2° Quia essentia Dei omnia causaliter continet. — 2. p. Nam in essentia Dei est ratio speciei illarum intelligibilis.)
Objectiones. 171
Quæres : An Deus videat impossibilia, entiarationis, etc. (sic) — quomodo? 174

ARTICULUS 3. De scientia seu objecto visionis. 174
SECTIO 1. Utrum Deus videat præsentia et præterita, et in quo medio? 174
Conclusio 1. Deus seipsum videt, et quidem comprehensive. — *Est de fide.* 174
(Nam : 1° Cor. : *Spiritus omnia scrutatur*... 2° Deus infinitus se cognoscit infinite.)
Conclusio 2. Deus omnia præsentia et præterita, etiam occultas cordium cogitationes, certissime, distincte et sigillatim cognoscit ut sunt in seipsis. — *Est de fide.* 175
(Nam : 1° Job. : *Ipse fines mundi*... Et : *Nonne ipse considerat*...? Eccl. : *Omnis homo qui transgreditur*... 2° Dei scientia est infinita.)
Quæres : Quo in medio Deus videt omnia præsentia et præterita? 176
(Resp. : 1° Se, sine medio; 2° alia tum in seipsis, tum in essentia, ut speculo; 3° peccata, in forma illis opposita.)
SECTIO 2. Utrum Deus videt entia futura et quo in medio? 177
Nota : (1° Futurum est vel *necessarium*, vel *contingens*; 2° Contingens aliud a *Deo solo*, aliud ab *homine solo*, aliud ab *utroque* pendet; 3° Contingens est vel *absolutum*, vel *conditionatum*; 4° Certe Deus noscit omnia necessaria, et a se solo pendentia; 5° Certe etiam videt necessaria in sua essentia. Unde :
§ 1. An Deus cognoscat omnia futura, libera, absoluta? 178
Conclusio. Deus omnia et singula futura contingentia libera absoluta certissime cognoscit.— *Est de fide* contra Socinianos. 178
(Nam : 1° Dan. : *Deus æterne, qui absconditorum*... Psalm. : *Intellexisti cogitationes*... Joan. : *Sciebat ab initio*... 2° Probant prophetiæ, v. g. negationis Petri. 3° Deus infinitus est et immutabilis.)
Objectiones. 179
§ 2. In quo medio, seu motivo, Deus videat futura libera absoluta? 184
(Quadruplex circa hoc est opinio.)
ARTICULUS 4. De scientia conditionatorum. 185
SECTIO 1. Utrum Deus certo videat futura libera conditionata? 185
Conclusio. Futura libera conditionata Deus certo novit, etiam ea quorum non est ponenda conditio. — *Est communis.*
(Nam : 1° Sic Script. qua patet Deum hujusmodi futura prædixisse.— 1 Reg. : *Si tradent me viri*... Sap. : *Raptus est, ne*... Matt. : *Væ tibi, Corozaim*... 2° Quidquid est determinate verum, scitur a Deo.)
Objectiones. 186

SECTIO 2. Quo in medio, seu motivo, Deus libera sub conditione futura, seu, ut alii loquuntur, futuribilia. 188

Nota : (1° In hac controversia nihil est definitum, sed graviter prohibitum, ne quis alterutram opinionem ulla Pelagianismi aut Semipelagianismi aut Calvinismi censura notaret. — 2° Totus controversiæ cardo est utrum scientia conditionatorum futurorum est posterior decreto absoluto Dei prædefinientis et prædeterminantis illius scientiæ objectum. Affirmant *Thomistæ*, quorum systema constituunt præmotio physica et gratia sufficiens. Negant *Congruistæ*, scientiam *mediam* tenentes. — 3° Utraque sententia suas habet intricatissimas difficultates. Nostrum derimere non est.)

ARTICULUS 5. De causalitate scientiæ Dei. 195

Nota : (Causa rerum est duplex : *directiva* nempe, et *efficiens*.)

Certum est : 1° Scientiam Dei practicam esse causam rerum ab eo productarum; 2° Scientiam Dei esse causam rerum directricem; 3° Scientiam Dei, ut sit efficiens, debere adjunctas habere voluntatem et omnipotentiam.

Controvertitur quænam scientia sit causa rerum, an simplicis intelligentiæ, an visionis; — *Congruistæ* stant pro scientia simplicis intelligentiæ, quatenus habet adjunctam voluntatem; *Thomistæ* vero pro scientia visionis.

ARTICULUS 6. De Ideis divinis. 196

Quæres 1. Quotuplex et quid sit idea.

(Duplex, nempe *objectiva* et *formalis*.)

Quæres 2. An sint in Deo ideæ? 197

(Sic, nam Joan.: *Quod factum est*... — Deus agit sciens et volens.)

Quæres 3. Quid sit idea Dei objectiva? 197

(Est essentia Dei, prout est conceptus objectivus et imitabilis a creaturis.)

Quæres 4. An plures sint in Deo ideæ? 197

(*Resp.* 1. Unica est formalis; 2. Plures sunt objectivæ.)

QUÆSTIO 6. De voluntate Dei. 198

ARTICULUS 1. De existentia et quidditate divinæ voluntatis. 198

Conclusio 1. In Deo est voluntas proprie dicta. 198

(1° Matt.: *Fiat voluntas*... 2° Duplex voluntas in Christo. 3° Est perfectio simpliciter simplex.)

Conclusio 2. Voluntas Dei est ipsamet essentia divina — concepta per modum facultatis appetitivæ rationalis. 198

ARTICULUS 2. De divisione divinæ voluntatis. 199

(Licet a parte rei unica, secundum tamen respectus dividitur in voluntatem *beneplaciti* et *signi*, prima Deo intrinseca, secunda

extrinseca. — Porro voluntas beneplaciti est : 1° vel *antecedens* vel *consequens* ; 2° vel *absoluta* vel *conditionata*. — Voluntas signi *præcipit et*...)
ARTICULUS 3. De proprietatibus divinæ voluntatis. 201
§ 1. De causalitate divinæ voluntatis. 201
Conclusio. Voluntas Dei est causa rerum imperans. 201
(Nam : 1° Psal.: *Omnia quæcumque*... Ephes.: *Operatur omnia*... — 2° Deus non agit per naturam.)
§ 2. De efficacia divinæ voluntatis. 203
Conclusio 1. Voluntas signi non semper impletur. 203
Conclusio 2. Voluntas Dei antecedens et conditionata... non semper impletur. 203
Conclusio 3. Voluntas Dei consequens et absoluta tum circa objectum a solo Deo pendens, — tum circa liberas hominis actiones, semper impletur. 204
§ 3. De libertate divinæ voluntatis. 205
Conclusio 1. Deus vere et proprie liber est circa creaturas. — *Est de fide*. 205
(Nam : 1° Ps.: *Omnia quæcumque*... Ps.: *Deus ultionum*... 2° Libertas est perfectio simpliciter simplex.)
Conclusio 2. Libertas divinæ voluntatis posita est in entitate divinæ voluntatis, quatenus pro nutu intrinsece connotat objecta extra se posita. 207
(Nam sic facilius explicatur quomodo libertas Dei : 1° sit Deo intrinseca, 2° dicat indifferentiam activam.)
§ 4. De omnipotentia divinæ voluntatis. 208
Conclusio. Deus est omnipotens. — *Est de fide*. 208
(Nam : 1° Job : *Scio quia*... Eccli.: *Deus est*... Matt.: *Pater omnia*... 2° *Credo in Deum*...)
ARTICULUS 4. De objecto divinæ voluntatis. 210
§ 1. Quodnam sit objectum divinæ voluntatis. 210
Nota : (Objectum divinæ voluntatis est omne bonum. — Est vel *primarium* et motivum, vel *secundarium* et terminativum.)
Conclusio. Objectum primarium divinæ voluntatis est ipsemet Deus. — Secundarium sunt omnes creaturæ, tum in aliqua temporis differentia existentes, tum mere possibiles. 210
§ 2. Quomodo Deus amet seipsum et creaturas ? 211
Nota : (Duplex amor, nempe *complacentiæ* et *benevolentiæ*.)
Conclusio 1. Deus seipsum amat necessario amore complacentiæ. 211
Conclusio 2. Deus amat creaturas possibiles amore complacentiæ et inefficaci ; — creaturas vero in aliqua temporis differentia existentes, amat amore benevolentiæ et efficaci. 211
§ 3. An Deus velit mala ? 213

Nota : (1° Malum est *naturæ, pœnæ, culpæ.* — 2° Aliquis potest aliquid velle, vel *directe et per se,* vel *indirecte et per accidens.*)

Conclusio 1. Neque mala naturæ, neque mala pœnæ Deus vult *directe et per se,* quia non habent per se rationem boni—bene vero *per accidens et indirecte,* volens aliquid positivum cum quo connexa sunt. Unde Amos : *Si erit malum...* Et Eccl.: *Bona et mala...* 213

Conclusio 2. Deus nulla ratione vult mala culpæ, licet ea permittat. — *Est de fide* definit. a Conc. Trid. 213

(Nam : 1° sic Script. Psal.: *Quoniam non Deus volens...* Jac.: *Nemo, cum tentatur...* — 2° Hoc malum est appetibile nec in se, nec per aliquid positivum cum ipso conjunctum, ut patet.)

Objectiones. 214

§ 4. An Deus velit omnium salutem ; et an Christus mortuus sit pro salute omnium ? 217

Nota: (1° Hæ duæ quæstiones conjunguntur, quia voluntas Dei et salus hominum per Christum impletæ sunt. — 2° Voluntas est vel *signi* vel *beneplaciti,* sive antecedens sive consequens. — 3° Quæstio, quoad voluntatem Dei omnes salvandi, est utrum Deus antequam, juxta nostrum concipiendi modum, præviderit merita aut peccata hominum, omnes salvos fieri velit voluntate sincera et activa, conditionata tamen. — 4° Quoad mortem Christi pro salute omnium, quæstio est utrum Christus voluntate conditionata et antecedente, voluerit omnibus et singulis hominibus ad salutem prodesse sanguinem suum, illumque in hunc finem Deo Patri obtulerit.)

Conclusio 1. De fide est Deum vera et sincera voluntate beneplaciti, velle alios salvos fieri quam prædestinatos. 218

(Nam : 1° Joan.: *Sic Deus dilexit mundum...* 2° Joan.: *Hæc est autem voluntas...* Atqui Joan.: *Quos dedisti mihi...*)

Conclusio 2. Deum velle sincere salutem omnium omnino hominum, nullo excepto, si non est expresse de fide, certe est fidei proximum et catholicum, cui nihil deest ut sit expresse de fide, præter expressam et publicam Ecclesiæ definitionem. 220

(Nam : 1° Sic Script. 2 ad Tim.: *Deus vult omnes...* Ezech.: *Nolo mortem...* 2° Sic Conc. Carisiacum. 3° Sic SS. Patres. v. g. S. Aug. 4° Sic Scholastici, v. g. Pet. Lomb. et S. Thomas.)

Objectiones. 222

Conclusio 3. Christus non est mortuus pro salute duntaxat prædestinatorum, sed mortuus est etiam pro aliquibus reprobis, nempe pro omnibus saltem fidelibus. 227

(Nam : 1° Innoc. X et Alex. VII damnarunt Jansenii prop.: Se-

mipelagianum est dicere... etc. 2° In Symb. Nicæn.: *Qui propter* nos *homines...*)

Conclusio 4. Deus pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto, mortuus est. — *Est certe fidei proximum...* 228

(Nam : 1° Sic Script. 2 Cor.: *Charitas Christi urget...* 2° Sic Conc. Carisiacum et Trid. 3° Sic S. Aug. 4° Sic Scholastici, v. g. Petrus Lomb.)

Objectiones. 229

CAPUT 3. De attributis positivis, quæ Deo in ordine ad creaturas spectato tribuuntur. 232

QUÆSTIO 1. De justitia et misericordia Dei. 232

Nota : (1° Sociniani negant ullam esse in Deo justitiam quæ peccata omnino punire jubeat, cui ipse renuntiare non possit. — 2° In Deo non est justitia commutativa stricte.)

Conclusio 1. Est in Deo formaliter justitia distributiva in præmium bonorum et malorum vindictam. — *Est de fide.* 233

(Nam : 1° Psal.: *Justus Dominus...* 2° 2 ad Tim.: *Reposita est mihi..* Et Ps.: *Perdes omnes qui...* 3° Deus necessario odit peccatum.)

Conclusio 2. Est in Deo misericordia. — *Est de fide.* 234

(Nam : 1° Psalm.: *Miserator et misericors...* 2° Est perfectio simplex.)

QUÆSTIO 2. De providentia Dei. 235

Nota : (Providentia est : *Ratio ordinis rerum in finem.*)

ARTICULUS 1. De existentia Providentiæ divinæ. 235

Conclusio. Est in Deo providentia rerum omnium, etiam minutissimarum. — *Est de fide* contra Atheos, Marcionitas.., etc. 235

(Nam : 1° Sic Script. Sap.: *Æqualiter cura...* — *Attingit a fine...* — *Tua autem...* Matt.: *Unus passer...* 2° Sic SS. Pat. v. g. Damasc., Ambr., Lactant. 3° Secus, nulla esset religio.)

Objectiones. 236

ARTICULUS 2. De efficacia divinæ Providentiæ. 239

Nota : (Duplex finis, nempe *specialis* et *communis.*)

Conclusio. Providentia Dei non semper assequitur finem specialem rerum quæ ei subsunt; — bene vero finem suum generalem. 239

(Nam finis specialis hominis est beatitudo, — finis generalis est manifestatio attributorum Dei.)

QUÆSTIO 3. De prædestinatione. 240

Nota : (1° Prædestinatio — præ, destinare — est, *late* sumpta, quælibet ordinatio Dei ab æterno facta, sive in bonum sive in malum. *Communiter* et hic sumitur pro ordinatione ad gloriam et gratiam. — 2° Sumitur vel *incomplete* vel *complete.*)

ARTICULUS 1. De existentia prædestinationis. 241
Nota : Hanc negarunt : 1° Valentiniani, Marcionitæ, etc.; 2° Pelagiani et Semipelagiani.)
Conclusio. Existit vera ex parte Dei prædestinatio. — *Est de fide.* 242
(Nam : 1° Sic Script. Matth. : *Venite, benedicti...* Rom. : *Quos prædestinavit...* 2° Sic S. Patr., v. g. Aug. et Prosp. 3° Quidquid Deus facit in tempore, illud ab æterno facere præordinavit et decrevit.)
ARTICULUS 2. De causa prædestinationis morali et meritoria. 243
Nota : (1° Non est quæstio de prædestinatione ad gratiam, — nec de prædestinatione independenter a prævisione meritorum Christi, — nec de prædestinatione parvulorum post Baptismum ante usum rationis morientium, — nec de prædestinatione ad gloriam simul et gratiam. — 2° Quæstio est de prædestinatione ad gloriam nude et solitarie spectatam et prout condistinctam a prædestinatione ad gratiam, non quidem secundum ordinem *executionis*, sed *intentionis*. Duplex sententia.)
Conclusio. Prædestinatio ad gloriam fit ex prævisis meritis. 245
(*Prob.* 1° Ex Script. Matth. : *Venite, benedicti...* Jac. : *Deus elegit pauperes...* Rom.: *Quos* præscivit *et prædestinavit...* 2 Petr. : *Satagite, ut per bona...* 2° Ex SS. Patr., v. g. Epiphan., Chrysost., Hieron. 3° Ex S. Aug. : *Quos voluit, Dominus elegit: elegit autem, ut dicit Apostolus, et secundum suam gratiam, et secundum justitiam.* 4° Ex ratione, nam: 1° Deus ab æterno decrevit facere quod facit in tempore, et eo modo quo illud in tempore facit. 2° Liberæ assecutioni gloriæ opponitur antecedens et absoluta, quam admittunt adversarii, Dei voluntas aliquibus dandi gloriam independenter a prævisis meritis. 3° In sententia contraria, poni quoque debet exclusio, saltem negativa, reproborum a gloria ante prævisa demerita; atqui repugnat voluntati Dei sinceræ omnes salvandi.)
Objectiones. 250
ARTICULUS 3. De effectibus prædestinationis adæquatæ. 261
Nota : (1° Effectus prædestinationis est id omne quod, hujus virtute, Deus ex speciali affectu confert electo, ut eum ad gloriam perducat. 2° Ad effectum requiruntur tria.)
Quæres 1. Quot sunt effectus prædestinationis adæquatæ ? 261
(Tres, nempe : *vocatio, justificatio* et *glorificatio.* — Unde Rom.: *Quos autem prædestinavit...* Ratio est quia perfecta prædestinatio fit per gratiam tum actualem, tum justificantem, et per glo-

riam. — *Ad hos tres omnia, quæ ad gloriam consequendam conferunt, reducuntur.*)

Quæres 2. An peccati permissio prædestinationis sit effectus? 263
(*Probabilius* est effectus occasionalis, quia prædestinato præbet ansam sectandi et exequendi quæ conducunt ad gloriam.)

ARTICULUS 4. De proprietatibus prædestinationis. 265

Conclusio 1. Prædestinatio secundum se est certissima. — *Est de fide.* 265
(Nam : 1° Joann. : *Oves meæ vocem*... Et : *Scit Christus*... 2° Præscientia et decreta Dei falli non possunt.)

Conclusio 2. Prædestinatio non est certa respectu nostri certitudine absoluta, absque speciali revelatione. — *Est de fide.* 265
(Nam : 1° Philip. : *Cum metu et tremore*... Eccl. : *Nescit homo*... 2° Conc. Trid. : *Si quis magnum illud usque*... — Possumus tamen de ea esse certi *moraliter*.)

Conclusio 3. Prædestinatio, sive consideretur ex parte Dei, — sive ex parte prædestinatorum, est omnino immutabilis, sicut decreta Dei. 267

Objectiones. 267

Conclusio 4. Prædestinatio nullam necessitatem imponit prædestinatis. 270
(Nam supponit scientiam conditionatorum.)

Quæres. An prædestinatio juvari possit sanctorum precibus? 270
(Sic, nam juvant ad merendum : porro, ex meritorum prævisione fit prædestinatio.)

QUÆSTIO 4. De reprobatione. 271

Nota : (1° Reprobatio *a gloria* (de qua nunc) est : Præscientia impietatis quorumdam et præparatio damnationis eorumdem. 2° Est duplex, nempe *positiva* et *negativa*; negativa autem secundum aliquos est pura actus negatio; juxta alios, actus positivus. 3° Certum est dari reprobationem aliquorum et quidem adæquate et positive sumptam, nam Matt. : *Discedite a me*...)

ARTICULUS 1. De causa reprobationis motiva. 272

Nota : (Circa hanc quæstionem est : 1° *Duplex error*, nempe Calvini cum Prædestinatianis et Jansenii. 2° *Triplex opinio*, nempe quorumdam admittentium reprobationem negativam per actum positivum, ante prævisa demerita : — aliorum admittentium reprobationem negativam, sed non per actum positivum, ante prævisa demerita : — omnium aliorum qui censent reprobationem pendere a prævisis peccatis, non solum originali, sed et actualibus.)

Conclusio 1. Deus nullum positive reprobat ac pœnis addicit æternis, ante prævisionem peccati. — *Est de fide.* 27

(Nam : 1° Sap. : *Deus mortem non*... Matth. : *Discedite a me*... 2° Sic SS. Patr., v. g. S. Aug. 3° Sic Conc. Arausic.)

Conclusio 2. Peccatum originale non est causa reprobationis *adultorum* baptizatorum. 274

(Nam : 1° Deus, etiam supposito peccato originali, vult omnes salvos fieri. 2° Per Baptismum fuit remissum istud peccatum.)

Objectiones. 276

Conclusio 3. Non datur reprobatio negativa adultorum a gloria tanquam a beneficio indebito, ante prævisum quodcumque peccatum actuale ; sed unica reprobationis adultorum baptizatorum causa sunt actualia eorum peccata. 278

(Nam : 1° Constat ex omnibus allatis contra prædestinationem ante prævisa merita. 2° Deus vult omnes salvos fieri. 3° Sic SS. Patr., v. g. S. Prosp. et S. Fulgent.)

ARTICULUS 2. De effectibus reprobationis. 280

Quæres 1. Quot sunt effectus reprobationis. 280

(*Quatuor*, nempe : 1° permissio peccati, 2° excæcatio mentis, 3° obduratio cordis, 4° pœna damni et sensus.)

Quæres 2. Quomodo Deus peccatum indurat et excæcat ? 280

(1° Denegando auxilia efficacia... ; 2° Permittendo eum incidere in tentationes... vel illi offerendo objecta non mala, quibus abutitur. — *Resolves* causam meritoriam indurationis, esse antecedentia peccata.)

TRACTATUS DE DEO TRINO.

Nota : (Catholica doctrina de Trinitate consistit in confessione trium personarum numerice distinctarum, consubstantialium, quarum una sine principio... — Personarum distinctionem alii negarunt, alii consubstantialitatem, alii Spiritus S. processionem ex Patre et Filio.)

DISSERTATIO 1. De mysterio SS. Trinitatis in genere. 283

CAPUT I. De existentia SS. Trinitatis. 283

QUÆSTIO 1. De trinitate personarum in Deo.

Nota : (Hanc negarunt : 1° Judæi, 2° Sabelliani, 3° Sociniani.)

Conclusio 1. Sunt in Deo tres personæ realiter a se invicem distinctæ. — *Est de fide.* 284

(PROB. EX VET. TEST. 1° Gen. : *Et vidit Deus quod*... 2° Gen. : *Ecce Adam quasi*... 3° Psalm. : *Dicit Dominus*... 4° Psalm. : *Benedicat nos Deus*... Et Isa. : *Sanctus, sanctus*... — *Colliges* mysterium SS. Trinitatis in Synagoga fuisse creditum, saltem a viris primariis. — PROB. EX NOV. TEST. 1° Matth. : *Docete omnes*... Et 1 Joann. : *Tres sunt qui testimonium*... 2° Joann. : *Ego rogabo Patrem*... 3° Ex omnibus locis in quibus docetur esse in

Deo Filium a Patre genitum, etc. 4° Ex traditione : sic tria symbola ; sic SS. Patres, v. g. S. Irenæus.)

Conclusio 2. Mysterium SS. Trinitatis rectæ rationi adversari nullo modo potest ostendi. 289

(Nam 1° est a Deo revelatum. — 2° Non probatur impossibile, quia : 1° omnia adversariorum solvuntur argumenta ; 2° Trinitatis non habemus ideam adæquatam et aliunde subjicitur rationi naturali.)

Objectiones. 290

Conclusio 3. Spiritus S. vera est persona per se subsistens. — *Est de fide.* 294

(Nam 1° : Actiones sunt suppositorum. Atqui Joann. : *Paraclitus autem...* Et. : *Cum venerit ille...* 2° Eadem cum Patre et Filio operatur exterius ; nam Matth. : *Baptizantes eos...* Et 1 Joan. : *Tres sunt qui...*)

Objectiones. 294

QUÆSTIO 2. De divinarum personarum consubstantialitate. 297

Nota : (1° De *Patris* divinitate nullum unquam fuit dubium, nisi indirectum, ab abbate Joachim docente tres personas sola collectione unum Deum esse, damnatum fuit in Conc. Later. IV. 2° *Filium* esse meram creaturam ante omnia factam docuerunt Ariani, — non ante omnia, sed per nativitatem ex Maria factam, Socíniani, — esse attributum Dei, Rationalistæ et Biblici Neoterici.)

ARTICULUS 1. De divinitate Verbi divini, seu Christi. 298

Conclusio. Filius Dei verus est Deus, Patrique consubstantialis. — *Est de fide.* 298

(PROB. 1. EX VET. TEST. Nam : 1° Isai. : *Parvulus natus...* 2° Isai. : *Ecce virgo concipiet...* 3° Psalm. : *Dixit Dominus...* 4° Psalm. : *Ex utero ante...*—PROB. 2. EX NOV. TEST. Nam : 1° Joann. : *In principio erat...* 2° Matth. ; *Tu es Christus...* 3° Joann. : *Ego et Pater...* 4° Joann. : *Omnia quæcumque...* 5° 1 Joann. : *Scimus quoniam Filius...* 6° Philip. : *Cum in forma...* — PROB. 3. EX TRAD. PATRUM. v. g. 1 sec., S. Ignat., S. Martial., S. Dyonis. Areop. — 2 sec., S. Justin., Athenag., S. Theophil. — 3 sec., S. Greg. Thaumat., S. Dyonis. Alex., Patres Synodi Antiochenæ. — 4 sec., Pamphilus. — PROB. 4. EX CONC. NICÆNO I : *Deum de Deo...*, et omnibus Conciliis quæ illud secuta sunt.)

Objectiones. 304

ARTICULUS 2. De divinitate Spiritus Sancti. 315

Conclusio. Spiritus S. est verus Deus, Patri Filioque consubstantialis.— *Est de fide.* 315

(Nam : 1° Vocatur Deus. 2 Reg. : *Spiritus Domini*... Act. : *Ananiae, cur tentavit Satanas*... 2° Habet perfectiones divinas. Sap. : *Spiritus Domini replevit*... 1 Cor. : *Spiritus omnia scrutatur*... Ps. : *Verbo Domini cœli*:.. Matt. : *In spiritu Dei ejicio*... Matth. : *Baptizantes eos*... 3° Sic SS. Patres, v. g. Justin., Clem. Alex., Tertull., Gregor. Thaumat. 4° Sic Conc. Constantinop. I : *Credimus Spiritum S*...)

Objectiones. 316

CAPUT II. De modo cognoscendi SS. Trinitatem.

Nota : (1° Quæritur an ratione naturali possit probari ? 2° Duplex modus probandi, nempe *positive* et *negative*. — Certe probari potest negative.)

Conclusio 1. Mysterium SS. Trinitatis, sive non supposita, sive supposita illius revelatione, nulla ratione naturali demonstrari potest. — *Est certissima.* 319

(Nam : 1° Matth. : *Nemo novit Filium, nisi*... 2° Demonstrari nequit, nec *a priori*, nec *a posteriori*.)

Conclusio 2. Supposita illius mysterii fide, potest rationibus naturalibus probabile suaderi, et variis exemplis, licet imperfectis, illustrari. 322

(Nam : 1° Ejus imago invenitur in rebus creatis, v. g. mente humana. — 2° Quod simpliciter bonum est, nec meliori bono opponitur, in eo esse debet. Atqui sic charitas. Porro...)

CAPUT III. De processionibus divinis. 323

Nota : (Processio est *origo* seu productio unius ab alio. — Alia est *immanens* et ad intra ; alia *transiens* et ad extra. Immanens autem est vel *physica*, vel *metaphysica*.)

QUÆSTIO 1. De existentia et numero divinarum processionum. 324

Conclusio 1. Datur in Deo vera processio metaphysica. — *Est de fide.* 324

(Nam : 1° Sic Script. Joann. : *Ego ex Deo*... Joann. : *Mittam vobis Spiritum*... 2° Sic SS. Patr., v. g. S. Joann. Damasc. Hinc Conc. Nicæn. I : *Deum de Deo*. Sic Conc. Constantinop. I et alia posteriora.)

Objectiones. 325

Conclusio 2. Quæ sunt in Deo processiones, nec plures, nec pauciores. — *Est de fide.* 326

(Nam : 1° Quæ tantum personæ procedentes. 2° Duo tantum in Deo modi operandi ad intra.)

Objectiones. 327

Quæres : Quænam sunt divinarum processionum proprietates ? 329

(Sunt : 1° immanentes, 2° æternæ, 3° substantiales, 4° necessariæ, 5° metaphysicæ.)

QUÆSTIO 2. De principiis divinarum processionum. 329
Nota : (In omni productione triplex principium reperitur, nempe : principium *quod* et *quo* tum remotum, tum proximum. — *Certum est* : 1° principium *quod* esse personam Patris respectu Filii, Patris et Filii respectu Spiritus Sancti; 2° principium *quo remotum* esse naturam divinam. — *Controvertitur* de principio *quo proximo*. Triplex opinio : Durandus, id reponit in essentia divina; alii in solis relationibus originis; alii tandem et nos dicimus :
Conclusio. Principium *quo proximum* divinarum processionum est intellectus et voluntas, — prout connotant relationes paternitatis et spirationis activæ. — *Est probabilior*. 331
(*Prob*. 1. p. *Quoad Filium* : quia Eccl. : *Ego ex ore*... Joann. : *In principio*... Sic etiam SS. Patr., v. g., Basil. et Fulg. *Quoad S. Spiritum*, quia Rom. : *Obsecro ergo vos*... — 2. p. Quia aliter Filius generaret. — *Conf*. Quia in hac sententia modo probabili explicatur cur processio Filii sit prior origine, etc.)
Objectiones. 332
QUÆSTIO 3. De discrimine processionis Filii a processione Spiritus Sancti. 335
Nota ; (Generatio definitur : Origo viventis a vivente, principio conjuncto, in similitudinem naturæ, vi processionis formaliter.)
Conclusio. Inter processiones divinas hoc discrimen est, quod processio Verbi sit vera generatio — et talis non sit processio Spiritus Sancti. — *Est de fide*. 335
(1. p. constat, quia : 1° Psalm. : *Filius meus*... 2° Verbo convenit generationis ratio. — 2. p. constat, quia : 1° Joann. : *Unigenitus*... Et : *Filium suum unigenitum*... 2° Sic tria symbola.)
QUÆSTIO 4. De ratione discriminis processionis Filii a processione S. Spiritus. 337
Nota ; (SS. Patres monent evidentem rationem reddi non posse: attamen verosimilitudine nixam reddere conati sunt : unde et theologi) :
Prima ratio dicit Filium esse genitum, quia naturam fecundam a Patre accipit. Secunda quia procedit per intellectionem actualem. Tertia quia procedit secundum naturam. — Sed
Conclusio. Verosimilis ratio cur Verbum dicatur et sit genitum potius quam Spiritus S. est, quia Verbum procedit per intellectum, *qui, præcise quatenus est intellectus perfectissimus, vim habet producendi terminum similem in natura*; econtra Spiritus S. procedit per voluntatem, *quæ, sumpta quatenus*

est voluntas perfectissima, parem vim non habet. Ita D. Thom.
Objectiones. 340
QUÆSTIO 5. De cognitione ex qua procedit Filius. 341
Quæres 1. An procedat essentialiter et necessario, non solum ex essentiæ divinæ et attributorum absolutorum, *ut omnes fatentur*, sed etiam ex trium personarum et creaturarum possibilium cognitione? — *Duplex opinio probabilis.* 342
Quæres 2. Utrum procedat ex cognitione omnium creaturarum in aliqua temporis differentia existentium, non quidem necessario et essentialiter, sed concomitanter et quasi consequenter? — *Duplex iterum opinio.* 343
QUÆSTIO 6. De personis ex quibus procedit Spiritus Sanctus. 343
Nota : (Spiritum S. a Patre procedere negavit Macedonius, — a Filio, Theodoretus, probabiliter primus; deinde Græci.)
Conclusio. Spiritus S. vere a Filio procedit. — *Est de fide.* 344
(Nam : 1° Sic S. Scrip. 1° Matth. : *Non vos estis qui loquimini, sed...* Et Gal. : *Misit Deus Spiritum...* 2° Joann. : *Si non abiero...* 3° Joann. : *Ille me clarificabit...* 2° Sic SS. Patres, etiam Græci, v. g. Martial., Athan., Chrysost., Cyril. — 3° Sic ratio, nam : 1° Ex Joann. : *Omnia quæ habet Pater, Filius habet.* 2° Omnia in divinis sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio.)
Objectiones. 346
Quæres 1. Utrum particula, *Filioque*, jure ac rationabiliter addita fuerit symbolo Nicæno? 352
Quæres 2. An Spiritus S. realiter distingueretur a Filio, si ab illo non procederet? 354
CAPUT IV. De personalitatibus et relationibus divinis. 357
QUÆSTIO 1. De personalitatibus seu subsistentiis divinis. 357
Nota : (1° Communi usu firmatum est ut hæ voces : *Persona, personalitas, subsistentia, hypostasis* et *suppositum* pro eodem sumantur in divinis, licet tres ultimæ latius pateant. — 2° Persona et personalitas non aliter differunt quam homo et humanitas.)
Quæres 1. Quot sunt subsistentiæ in Deo? 358
(Resp. 1. De fide est tres esse relativas, quia tres personæ. — 2. Probabilius quarta non admittenda est communis et absoluta, quia : 1° essent sic quatuor personæ; 2° hæc sententia destruit SS. Trinitatis dogma.)
Quæres 2. Utrum, sicut sunt tres subsistentiæ relativæ in Deo, ita et tres sunt existentiæ relativæ, præter absolutam? 360
(Resp. Probabilior negativa, quia modus existendi, novam existentiam non superaddit rei, quam modificat.)

QUÆSTIO 2. De relationibus divinis. 361
Nota : (1° Relatio est ordo unius ad alterum : estque vel *mentalis*, vel *realis*. 2° In Deo aliæ sunt *communes*, aliæ *personales* seu *originis*. 3° Relatio originis spectari potest secundum *esse in* et secundum *esse ad*.)
ARTICULUS 1. De numero et essentia relationum originis. 362
Conclusio 1. Quatuor sunt in Deo relationes originis, nec plures nec pauciores, nimirum : paternitas, filiatio, spiratio activa et spiratio passiva. 362
(Nam singulis processionibus respondent duæ relationes.)
Conclusio 2. Relationes originis sunt subsistentes et reales. 362
(Nam fundantur in reali origine, et per eas personæ realiter distinguuntur ab invicem.)
ARTICULUS 2. De distinctione relationum originis a se invicem.
Conclusio 1. Relationes originis, quæ sibi mutuo opponuntur, nimirum : paternitas, filiatio et spiratio passiva, a se invicem realiter distinguuntur. — *Est de fide* contra Sabellium. 364
(Nam est axioma : Propter quod unumquodque tale, et illud magis.)
Conclusio 2. Spiratio activa non distinguitur realiter a paternitate, nec a filiatione. — *Est de fide.* 364
(Nam est axioma : Omnia in divinis sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio.)
ARTICULUS 3. De munere et officio divinarum relationum. 366
Conclusio. Munus proprium relationum divinarum est personas constituere, et unam personam ab aliis distinguere. 366
(Nam per id personæ constituuntur et distinguuntur, quod singulare est.)
CAPUT V. De his quæ tribus personis sunt communia. 367
QUÆSTIO 1. De notionibus divinis. 367
Nota : (1° Notiones divinæ sunt notæ peculiares quibus... — 2° Ad notionem divinam requiritur : 1° ut sit aliquid proprium uni personæ vel duabus tantum; 2° ut aliquam importet dignitatem; 3° ut pertineat ad originem.)
Conclusio. Quinque admittendæ sunt in Deo notiones, nec plures, nec pauciores, scilicet : innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa et spiratio passiva, nam hæc sunt veræ notæ, et hæ tantum. — *Est communis.* 367
QUÆSTIO 2. De circuminsessione divinarum personarum. 371
Nota : (Circuminsessio est personarum divinarum intima in se mutuo inexistentia.)
Conclusio. Datur in Deo circuminsessio personarum. — *Est de fide.* 371

(Nam: 1° Joann. : *Non creditis quia ego in*... Et: *Pater in me*... 2° Sic SS. Patres, v. g. S. Fulgent. 3° Eis est identitas naturæ.)

QUÆSTIO 3. De missione divinarum personarum. 372

Nota : (Missio in divinis est, processio unius personæ ab alia cum habitudine ad novum existendi modum in creaturis. Unde duplicem dicit respectum. Hinc Joann. : *Exivi a Patre*...)

Conclusio. Datur missio in divinis. — *Est de fide*. 373

(Nam: 1° Joann. : *Solus non sum, sed*... Et : *Cum venerit Paraclitus*... 2° Filius procedit a Patre et per incarnationem importat novum existendi modum in creaturis.)

Quærès 1. Quænam personæ in divinis mittantur? 373

(Resp. Solus Filius et Spiritus S., quia soli procedunt. — *Est de fide*.)

Quæres 2. Quotuplex est missio in divinis? 374

(Resp. : Duplex, *visibilis* nempe, et *invisibilis*.)

DISSERTATIO 2. De personis divinis in particulari. 375

CAPUT I. De nominibus primæ personæ propriis et appropriatis. 375

Quæres 1. Quot sunt nomina primæ personæ propria? 375

(Tria, nempe : *Pater, ingenitus* seu innascibilis, et *principium fontale totius divinitatis*.)

Quæres 2. Quomodo nomen *Pater* primæ personæ proprium est? 375

Quæres 3. Quomodo nomen *ingenitus* primæ personæ est proprium? 376

Quæres 4. Quo sensu dicitur *principium fontale totius divinitatis* esse nomen primæ personæ proprium? 376

Quæres 5. Utrum Pater possit etiam dici causa et auctor Filii et Spiritus Sancti?

Quæres 6. Quot sunt nomina primæ personæ appropriata? 377

(Primæ personæ appropriatum est quod sit *primum creaturarum principium*.)

CAPUT II. De nominibus secundæ personæ propriis et appropriatis. 377

Quæres 1. Quænam sunt nomina secundæ personæ propria? 377

(Tria, nempe : *Filius, Verbum, imago Patris*.)

Quæres 2. Quodnam est nomen appropriatum Filio? 379

(Filio appropriatum est quod sit *sapientia*.)

CAPUT III. De nominibus tertiæ personæ propriis et appropriatis. 380

Quæres 1. Quænam sunt nomina tertiæ personæ propria? 380

(Tria, nempe : *Spiritus Sanctus, Donum, Amor*.)

Quæres 2. Quænam sunt nomina Spiritui Sancto appropriata? 381
(Ipsi attribuuntur opera charitatis, bonitatis et misericordiæ. Hinc vocatur *Paraclitus*.)
DISSERTATIO 3. De modo quo loquendum est de mysterio SS. Trinitatis. 382
CAPUT I. De vocibus quibus unitas naturæ exponitur. 382
Conclusio 1. Voces *unus* et *idem* recte dicuntur de personis divinis in neutro genere, non autem in masculino, nisi jungantur termino absoluto. 382
Conclusio 2. Voces *unicus* et *singularis*, non recte dicuntur de Deo, seu de essentia. 383
Conclusio 3. Vox *solitarius* non potest recte dici de personis divinis. 383
Conclusio 4. Vox *unitus* et *conjunctus* non recte dicuntur de personis. 383
Conclusio 5. Vox exclusiva *solus* non potest enuntiari de Deo categorematice, bene vero syncategorematice. 383
CAPUT II. De vocibus quæ numerum personarum exprimunt. 384
Conclusio 1. Voces *multiplex, triplex* de Deo non possunt prædicari. 384
Conclusio 2. Vox *multiplicitas* recte de eo Dpotest prædicari, etiam sine hoc addito : *personarum*. 384
Conclusio 3. Voces *trinus, trinitas* recte dicuntur de Deo. 384
Quæres. Quo sensu, in hymno corporis Christi, dicitur : *Te trina Deitas unaque poscimus?* 385
CAPUT III. De vocibus quibus distinctio personarum exprimitur. 385
Conclusio 1. Voces *distinctus, discretus, secretus* recte prædicantur de personis. 385
Conclusio 2. Voces *alius, alter*, in masculino vel feminino, catholice de personis dicuntur, non autem in neutro genere. 386
Conclusio 3. Voces *dissimilis, dispar, discrepans, differens, divisus, separatus*, non recte prædicantur de personis. 386
CAPUT IV. De mutua prædicatione nominum absolutorum de relativis, et relativorum de absolutis. 386
Nota : (Nomina, tum absoluta, tum relativa, sunt vel *abstracta*, vel *concreta;* concreta sunt alia *substantiva*, alia *adjectiva*.)
Quæres 1. An et quomodo nomina absoluta prædicentur de personis? 386
(Resp. 1° Nomina *absoluta abstracta* non prædicantur de personis in plurali, sed tantum in singulari. — 2° Nomina *absoluta concreta substantiva*, vel etiam *adjectiva substantive* usurpata, prædicantur de personis in singulari tantum; *adjectiva* vero in plurali.)

Quæres 2. Utrum personæ possint prædicari de nominibus absolutis? 388
(Resp. De illis, sive in abstracto, sive in concreto sumptis, possunt prædicari.)
CAPUT V. De suppositione nominum absolutorum pro personis. 388
Quæres 1. Utrum nomina absoluta abstracta supponant pro personis? — Resp. negative. 388
Quæres 2. Utrum nomina absoluta concreta supponunt pro personis? 388
(Aliquando supponunt pro essentia, aliquando pro persona.)
Quæres 3. Quomodo potest cognosci quandonam hæc vox *Deus* supponat pro persona, quandonam pro natura? 388
(Quatuor a Sylvio dantur regulæ.)

TRACTATUS DE DEO CREATORE.

Nota : (Tres sunt entium species, nempe : entia *spiritualia, materialia, mixta.* Unde :)
DISSERTATIO 1. De Angelis. 391
CAPUT I. e existentia Angelorum. 392
Nota : (1° Angelus, nomen est officii. — 2° Angelus est substantia creata, spiritualis, completa.)
Conclusio. Existunt Angeli. — *Est de fide.* 392
(Nam : 1° Genes. : *Venerunt duo...* Et : *Angelus Domini...* Matth. : *Angeli eorum...* 2° Constat ex consensu omnium populorum. 3° Sic Conc. Later.)
Quæres 1. Quo tempore Angeli fuerunt creati? — Simul cum mundo. 394
Quæres 2. Quo in loco creati sunt Angeli? — Probabiliter in cœlo, sed non empyreo. 394
Quæres 3. Quantus est numerus Angelorum? 394
CAPUT II. De natura Angelorum. 394
Quæres 1. Utrum Angeli sint immortales? — Sic ab intrinseco, non ab extrinseco. 395
Quæres 2. An Angeli sint ejusdem vel diversæ speciei? — Communius affirmantur ejusdem speciei. 395
Quæres 3. Utrum Angeli interdum assumant corpora? — Sic, sed 396
Nota : (1° Non ea assumunt hypostatice, vel per unionem vitalem, sed eis uniuntur sicut motor mobili, ad manifestandum se, suas, vel *Dei proprietates.* 2° Angeli boni sub forma virili solent apparere, mali sub qualibet. Illa autem corpora formant ex aere. 3° Dæmones defunctorum quandoque, sed nunquam sanctorum corpora assumunt.)
CAPUT III. De statu in quo Angeli conditi sunt. 397

Quæres 1. Utrum Angeli creati fuerint beati? 397
(Sic beatitudine naturali, non vero supernaturali. — *Resolves* hanc ultimam fuisse præmium illorum in bono perseverantiæ.)
Quæres 2. An Angeli creati fuerint in statu gratiæ sanctificantis? 398
(Sic. — *Resolves* eos, in creationis suæ primo instanti, accepisse fidem, etc... quæ consequuntur gratiam sanctificantem.)
CAPUT IV. De loco, motu, potentia motrice et locutione Angelorum? 398
Quæres 1. An Angeli sint in loco et quomodo? 398
(Sunt in loco — non circumscriptive, — sed definitive.)
Quæres 2. An Angeli moveantur localiter? — Sic. 399
Quæres 3. An Angeli possint movere corpora localiter? — Sic. 399
Quæres 4. An et quomodo Angeli inter se colloquantur? 399
(Angelus alterum alloquitur — suam intellectionem aut volitionem ad illum dirigendo per actum, quo vult ut utraque vel alterutra illi pateat.)
Quæres 5. Quænam Angeli cognoscant? 400
(Cognoscunt: 1° Deum, seipsos et alios Angelos; 2° causas naturales; 3° futura necessaria : futura vero quæ ex causis naturalibus contingere solent, tantum conjecturaliter; 4° non vero futura contingentia libera.)
CAPUT V. De peccato Angelorum et ejusdem pœna. 400
uæres 1. Cujus speciei fuerit primum peccatum Angelorum? — Fuit superbiæ. 400
Quæres 2. Quodnam fuit objectum superbiæ Angelorum apostatarum? 401
(Probabilius desiderium æqualitatis cum Deo non absolute, — sed conditionate.)
Quæres 3. An omnes Angeli apostatæ fuerunt ex uno tantum ordine, vel ex una tantum hierarchia? 401
(Probabiliter ex quolibet et qualibet.)
Quæres 4. Quot Angelos Lucifer in suam partem traxerit? — Probabiliter tertiam partem Angelorum. 401
Quæres 5. Quotuplex pœna consecuta est peccatum dæmonum? 402
(Cæcitas mentis, — obstinatio, — exclusio a gloria, — ignis.)
Quæres 6. Quæ et quanta sit dæmonum cæcitas? 402
(Privantur omni penitus lumine supernaturali, — non vero naturali.)
Quæres 7. An tanta sit in dæmonibus obstinatio, ut nullum possint exercere actum moralem omnino bonum? — Sic. 402

Quæres 8. Utrum detur aliquis locus in terræ visceribus ad cruciatum dæmonum destinatus? 403
(Sic, nam Petr.: *Deus Angelis peccantibus...*)
Quæres 9. An dæmones in inferno torqueantur igne vero et corporeo? 403
(Sic, nam: 1° Deut.: *Ignis succensus...* Isa.: *Quis poterit ex...* Matth.: *Discedite a me...* 2° Est communis Patrum et Ecclesiæ consensus.)
Quæres 10. Quomodo dæmones ab igne corporeo torqueantur? 404
CAPUT VI. De variis Angelorum ordinibus. 404
Nota: (1° Numerus Angelorum est maximus; 2° est ordinatissimus; 3° *Hierarchia* est multitudo ordinata sub unius sacri Principis gubernatione. — *Ordo* est hierarchiæ gradus unus.)
Quæres 1. Quot sunt hierarchiæ Angelorum? 404
(Tres, nempe: *suprema, media, infima.*)
Quæres 2. Quot sunt ordines seu chori Angelorum? 405
(Novem, quorum tres in qualibet hierarchia, nempe: 1° *Seraphini, Cherubini, Throni;* 2° *Dominationes, Virtutes, Potestates;* 3° *Principatus, Archangeli, Angeli.*)
CAPUT VII. De missione, illuminatione, custodia Angelorum. 406
Quæres 1. Utrum et a quo Angeli mittantur? — A Deo. 406
Quæres 2. Utrum Angeli ab aliis Angelis superioris hierarchiæ mitti possint? — Communiter affirmatur. 406
Quæres 3. Utrum Angeli illuminent homines? — Sic, et *est de fide.* 406
Quæres 4. An Angeli deputentur ad custodiam hominum? — Sic, et *est de fide.* 407
Quæres 5. An singuli fideles suum habeant Angelum custodem? 407
(Sic, et quamvis non definitum, est certum contra Calvinum, nam: 1° Matth.: *Videte, ne contemnetis...* 2° Sic SS. Patres.)
Quæres 6. An quilibet homo, etiam reprobus et infidelis, suum habeat Angelum custodem? — Communiter affirmatur. 408
Quæres 7. Utrum singula regna habeant Angelum custodem? 408
(Sic, nam Dan.: *Princeps regni Persarum...* — Imo communiter Patres censent singulas diœceses et communitates suos habere Angelos tutelares.)
Quæres 8. Quænam ministeria circa nos exercent Angeli custodes? 408
(1° A periculis nos liberant; — 2° Obstant dæmoni; — 3° Pias cogitationes suggerunt; — 4° Preces nostras ipsimet precantes Deo offerunt; — 5° Clientum suorum animas in purgatorio consolantur, et purgatas ad cœlum deducunt.)

Quæres 9. Utrum quilibet homo ad pugnam habeat Angelum malum? 409
(Resp. 1° Certe dæmones homini nocere conantur. 2° Non est credendum quod Deus cuilibet homini tentatorem mittat. 3° Valde probabiliter, ipse Lucifer mittit, nam Pet. : *Vigilate, quia...*)
DISSERTATIO 2. De mundo. 410
Nota : (De hac quæstione errarunt Gnostici, Manichæi, Rationalistæ, etc...)
CAPUT I. De mundi creatione ex nihilo. 410
Nota : (1° Nomine mundi intelligitur rerum universalitas quæ præter Deum existunt. Attamen in hac disp. solum de materialibus dicemus. — 2° Creationis vox sumitur vel *late,* vel *æquivoce,* vel *stricte,* id est pro productione totius entis *ex* nihilo, et sic nunc sumitur. — 3° Propositio *ex* non importat ideam *causalitatis affirmativæ,* sed *causæ negativæ.*)
Conclusio. Deus mundum in esse produxit ex nihilo, id est in tempore et cum tempore creavit. — *Est de fide.* 411
(Nam : 1° Symbolo : *Credo in... creatorem...* Conc. Lat. definit : *Unum esse creatorem...* 2° Gen. : *In principio...* Joann. : *Clarifica me...* 3° Sic SS. Patres. 4° Mundus est finitus : ergo non a se. Ergo, etc.)
Objectiones. 412
Quæres 1. Utrum mundus potuerit esse ab æterno? 416
(Sic, si sumatur ex parte principii. — Si ex parte sui, duplex opinio. *Prima* universaliter negat. *Secunda* negat quoad res successivas, affirmat quoad permanentes.)
Quæres 2. Utrum sit solius Dei creare? 417
(Resp. 1° Fide constat solum Deum creasse universum. 2° Certe ipse solus potest creare, ut causa principalis. — Probabilius nulla creatura potest creationis esse causa instrumentalis.)
Quæres 3. Utrum creare sit proprium alicui personæ divinæ? 417
(Non sed in sensu accommodatitio, Pater dicitur creator, Filius per quem creatur, Spiritus Sanctus ex quo creatur.)
CAPUT II. De cosmogonia Mosaica. 418
Conclusio. Admittenda est Mosaica cosmogonia ut sola et unice vera. 418
(Nam nulla valet objectio. Hæc enim sunt)
Objectiones. — 1° Configuratio mundi effecta est per aquæ vel ignis actionem. Atqui... — 2° Si mundus creatus fuerit intra sex dies, impossibile est omnia phænomena telluris explicare. — 3° Cosmogonia Mosaica mythis priscarum gentium

simillima, ex antiquissimis traditionibus videtur esse conflata. — 4° Hæc cosmogonia infantiam redolet astronomiæ, etc. 419
CAPUT III. De chronologia Mosaica, quatenus spectat ad genus hominum. 424
Conclusio. Mosaica chronologia, quantum spectat ad genus humanum, falsitatis argui nequit. 424
(Nam nulla valet objectio. Hæ enim sunt)
Objectiones. — 1° Differentia est inter hebraicam et latinam et samaritanam editionem; diversa est præterea opinio Doctorum. — 2° Pugnat Mosaica cum Manethonis, etc.., chronologia. — 3° Pugnat cum antiquitate Sinensium. — 4° Obstant observationes astronomicæ Indorum. 424
DISSERTATIO 3. De homine. 428
CAPUT I. De primi hominis creatione. 428
Quæres 1. Quinam fuerunt primus homo et prima mulier? 428
(Fuerunt Adamus et Eva. — *Est de fide* contra Præadamitas.)
Quæres 2. Ubinam fuerunt conditi Adamus et Eva?
(Extra paradisum voluptatis, — in quem paulo post translati fuere, nam Gen. : *Tulit ergo Deus...*)
Quæres 3. In quanta magnitudine, — et qua ætate fuerit productus Adam? 429
(Resp. Ad 1. In magnitudine viri perfecti, puta sex pedum circiter. — Ad 2. Triginta aut triginta quinque annorum.)
Quæres 4. Utrum paradisus sit locus corporeus? — Affirmativa est certa et communis. 430
Quæres 5. Quomodo Adam et Eva fuerint producti? 430
(Adam ex limo terræ. — Eva ex costa Adami.)
Quæres 6. Quare Deus fecit mulierem ex viri costa? 430
(Ut significetur: 1° unio amborum; 2° modus eorum societatis; 3° sacramentum Ecclesiæ.
Quæres 7. Quare Scriptura dicit mulierem esse datam viro in adjutorium? — Quia data est ad generationem? 431
Quæres 8. In quo consistit imago et similitudo Dei, ad quam homo factus est. 431
(In eo quod homo intellectu, voluntate libera, et dominio in alias creaturas sit præditus, ut docet S. Aug.)
Quæres 9. In quo statu primus homo fuerit creatus. 431
Nota : (Status naturæ sextuplex potest distingui, quorum tres reales, nempe naturæ : 1° *Innocentis*, 2° *lapsæ*, 3° *per Christum reparatæ*, — et tres possibiles, nempe naturæ : 1° *puræ*, 2° *integræ*, 3° *lapsæ non reparatæ*.)
(Resp. Primus homo creatus fuit in statu naturæ innocentis, nam Eccl. : *Deus fecit hominem rectum.*)

CAPUT II. De dotibus quas homo innocens accepit a suo auctore. 433
Nota : (Hæc sunt : gratia sanctificans, subjectio partis inferioris ad superiorem, immortalitas et immunitas a miseria.)
QUÆSTIO 1. An homo ea in sua creatione a Deo accepit ? 433
Conclusio 1. Homo, in suo ortu, accepit a Deo gratiam sanctificantem. 433
(Nam : 1° Eccl.: *Secundum se...* Unde Eph. : *Renovamini...* 2° Sic S. Aug.)
Quæres : An sit de fide primum hominem, in primo instanti suæ creationis, gratiam habuisse sanctificantem ? — Non. 434
Conclusio 2. Homo, in suo ortu, tantam accepit a Deo scientiam, ut non potuerit esse errori obnoxius. 434
(Nam : 1° Eccl. : *Deus, disciplina intellectus...* 2° Sic S. Aug.)
Conclusio 3. Appetitus sensitivus in Adamo innocente ita perfectæ rationi erat subditus, ut nullis inordinatis concupiscentiæ motibus fuerit obnoxius. — *Est de fide.* 435
(Nam : 1° Eccl. : *Deus fecit...* Unde Trid. definit quod concupiscentia ... *Ex peccato est*, etc. 2° Exorta est concupiscentia quando de nuditate erubuerunt.)
Conclusio 4. Homo innocens fuit conditus immortalis, — et ab omni miseria liber. — *Est de fide* contra Pelagium. 436
(— 1. p. constat, nam : 1° Rom. : *Per unum hominem...* Sap. : *Deus mortem...* 2° Sic Synod. Palest. et Conc. Trid. — 2. p. constat, nam : 1° Sic S. Aug. 2° Beatus erat beatitudine naturali. Atqui...)
Objectiones. 437
QUÆSTIO 2. An justitia originalis, sanctitas, etc., fuerint homini innocenti naturales, vel supernaturales ? 439
Nota : (1° *Naturale* est quod est secundum exigentiam naturæ ipsique debitum ; *supernaturale* quod superat omnem naturæ exigentiam eique plane indebitum.— 2° Est contra Novatores, Baium, etc...)
Conclusio. Justitia originalis, sanctitas et immortalitas in homine innocente fuit supernaturalis, ac consequenter possibilis fuit status naturæ puræ. 440
(Nam: 1° SS. Pontifices huic veritati propositiones Baii oppositas damnarunt. 2° Sic S. Aug. 3° Certe Deus potest hominem creare cum defectibus naturalibus. Atqui mortalitas etc...)
Objectiones. 441
CAPUT III. De peccato hominis. 445
QUÆSTIO 1. De peccato primi hominis. 446
Quæres 1. Quodnam fuerit peccatum protoparentum ? 446
(Superbia, quæ est inobedientiæ origo.)

Quæres 2. Quænam fuit causa peccati primorum parentum? 446
(Extrinseca fuit diabolus, intrinseca eorum voluntas.)
Quæres 3. Quale fuit peccatum primorum parentum? 447
(Fuit mortale, et quidem gravissimum *secundum quid*, nimirum superbia, qua independentiam sibi tribuere concupierunt.)
Quæres 4. Quænam fuerunt pœnæ peccati protoparentum? 447
(— *Quoad corpus* : 1° fuit ejectio a beatitudine ; 2° mors corporalis. — *Quoad animam* : 1° fuit spoliatio donorum supernaturalium ; 2° *vulnus* facultatum naturalium; 3° mortis æternæ debitum morale.)
QUÆSTIO 2. De peccati originalis propagatione. 448
Nota : (Distingue attente quæstionem de existentia et propagatione peccati originalis a quæstione de illius modo ; — item quæstionem de existentia a quæstione de essentia peccati originalis.)
ARTICULUS 1. De existentia peccati originalis. 449
Nota : (1° Peccatum originale est peccatum mortale ab Adamo, etc... 2° Hoc peccatum negarunt Pelagiani, Albanenses, Sociniani, etc...)
Conclusio. Datur peccatum originale, secluso speciali privilegio. — *Est de fide*. 449
(Nam : 1° Sic Script. Job. : *Quis potest facere mundum*... Psal. : *Ecce enim in iniquitatibus*... Rom. : *Sicut per unum hominem*... — 2° Sic SS. PP., v. g. Cypr., Ambr., Chrysost. —3° Sic ratio, nam : 1° necessarius est Baptismus ; 2° Christus mortuus est pro omnibus ; atqui Cor. : *Si unus pro omnibus mortuus*...)
Objectiones. 452
ARTICULUS 2. De natura peccati originalis. 460
Nota : (In peccato originali spectari potest vel *actus* vel *macula*. Hic de macula tantum.)
§ 1. Exponuntur et solvuntur variæ opiniones tum hæreticorum, tum catholicorum, circa naturam peccati originalis. 461
Conclusio 1. Peccatum originale formaliter non est substantia mala a dæmone creata, quæ sit ipsius dæmonis imago. 461
(Nam : 1° omnis substantia est a Deo ; 2° per Baptismum nulla tollitur substantia.)
Conclusio 2. Peccatum originale formaliter non est ipsa concupiscentia, seu fomes, qua ad peccatum trahimur. 461
(Nam : 1° Conc. Trid. definit in renatis tolli per Baptismum totum id quod veram et propriam peccati rationem habet. —2° Rom. : *Nihil damnationis est iis*...)

Conclusio 3. Peccatum originale formaliter non est qualitas morbida quæ ex carne per peccatum infecta derivatur in animam. 463
(Hæc enim qualitas vel est fictitia, vel est concupiscentia. Atqui neutrum.)
Conclusio 4. Peccatum originale formaliter non est ipsum Adæ peccatum nobis extrinsece tantum imputatum. 464
(Nam constat ex Trid. peccatum originale *propagatione transfusum fuisse, omnibus inesse et unicuique proprium.*)
Conclusio 5. Peccatum originale formaliter non est reatus pœnæ. 465
(Nam reatus supponit peccatum.)
Conclusio 6. Peccatum originale formaliter non est complexum ex concupiscentia tanquam parte materiali, et concupiscentiæ reatu tanquam parte formali. 465
(Constat 1. p., nam omne quod habet rationem peccati tollitur per Baptismum; — 2. p., quia per concupiscentiæ reatum intelligitur ipsa culpa.)
§ 2. Statuitur verior sententia circa naturam peccati originalis. 466
Conclusio. Peccatum originale formaliter, quod est mors animæ, est habitualis privatio gratiæ sanctificantis et justitiæ quæ nobis inesse deberet juxta ordinem a Deo institutum.) 466
(Nam: 1° Illud est nobis nascentibus peccatum originale formaliter, quod Adamus in nos vere, proprie et intrinsece transfudit. 2° Ex hac privatione omnia quæ ad peccatum originale pertinent, tanquam a radice promanant. 3° Sic S. Anselm., S. Thomas, etc. — Hinc ex dictis: 1° *Reatus* culpæ quatenus ab Adæ peccato provenit, uniuscujusque fit proprium. 2° Hic reatus est mors animæ. 3° Peccatum istud, ut *actuale* est peccatum Adæ ut naturæ humanæ capitis; ut *habituale* est privatio gratiæ sanctificantis et justitiæ originalis quæ nobis inesse deberet. 4° Ex hac privatione sumus filii iræ..., etc. 5° Homo in statu naturæ puræ et homo lapsus, quantum ad gratiam et dona annexa differunt, sicut nudus a spoliato.)
ARTICULUS 3. De causa proxima transfusionis peccati originalis. 469
Nota: (Certe causa remota est peccatum Adami. — De proxima autem controvertitur: alii eam reponunt in parentum concupiscentia in usu conjugii; alii in decreto Dei, etc.)
Conclusio 1. Causa proxima transfusionis peccati originalis in parvulis non est libido quacum a parentibus generantur. 469
(Nam, ea libidine sublata, potest esse; posita, potest non esse.)
Conclusio 2. Causa proxima transfusionis istius est seminalis gene-

ratio ab Adamo, capite morali — non jure naturæ — nec vi pacti..., sed vi decreti... 470
(1. p. constat : 1° quia defin. a Conc. Trid.; 2° quia evidenter peccatum originale a primo parente traducitur in posteros, in quantum moventur ab ipso per generationem. — 2. p. constat, quia, si de jure naturæ, cur non sic de aliis peccatis. — 3. p. constat, quia, quando Deus dat præceptum, non solet expectare consensum.)
ARTICULUS 4. De subjecto peccati originalis. 474
Conclusio 1. Filii fidelium, non secus ac alii, contrahunt peccatum originale. — *Est de fide* definit. a Trid. 474
(Nam illud contrahunt, qui peccaverunt in Adamo, nisi speciali privilegio a lege eximantur.)
Conclusio 2. Licet B. Virgo debitum habuerit contrahendi peccatum originale, — illud tamen non contraxit. — *Ultima pars est de fide,* definita a Pio IX. 475
(1. p. constat, quia Virgo : 1° inclusa fuit in lege generali...; 2° fuit a Christo redempta. — 2. p. constat : 1° *Ex Script.* Gen. : *Inimicitias ponam...* Cant. : *Tota pulchra es...* 2° *Ex tradit.;* nam sic SS. Patres, v. g. Andreas, Idiota et Aug. præclare et conc. Trid. declarat non esse suæ intentionis, etc. Sic Ecclesia, ab antiquo ad cultum Immaculatæ, ut sic, Virginis invitavit et eum imperavit. Omnes fere Religiosi Ordines hunc propugnarunt, etc...)
Objectiones. 480
QUÆSTIO 3. De pœnis seu effectibus peccati originalis. 483
ARTICULUS 1. De effectibus peccati originalis in hac vita. 483
Quæres 1. Quænam sint pœnæ animæ in hac vita? 483
(1° Mors ; 2° hujus vitæ miseriæ, nempe : morbi, sterilitas terræ, etc.)
Quæres 2. Quænam sint pœnæ animæ in hac vita? 484
(1° Privatio omnium donorum gratuitorum; 2° vulnus quadruplex, nempe : ignorantia, malitia, concupiscentia, infirmitas. —Circa hos effectus erraverunt : 1° Lutherus, Calvinus, Baius, Jansenius ; 2° Rationalistæ. Unde contra primos)
§ 1. De voluntario. 485
Quæres 1. Quid sit voluntarium? 485
(Est id quod est a principio intrinseco, cum cognitione singulorum in quibus est actio.)
Quæres 2. Quotuplex sit voluntarium? 485
(Est : — 1° vel *necessarium* vel *liberum ;* — 2° vel *perfectum* vel *imperfectum ;* — 3° vel *positivum* vel *negativum ;* — 4° vel *expressum* vel *tacitum ;* — 5° vel *directum* vel *indirectum.* Di-

rectum autem est vel *actuale* vel *virtuale*, vel *habituale*. Actuale vero fit per actum vel *signatum* vel *exercitum*.)

§ 2. De voluntario libero, seu de libertate. 487

Nota : (1° Libertas, juxta nomen, est immunitas a servitute. Unde quadruplex, nempe : *a peccato, a miseria, a coactione, a necessitate simplici*. — 2° Necessitas est : 1° vel *consequentis* vel *consequentiæ ;* 2° vel *specificationis* vel *exercitii ;* 3° vel *physica* vel *moralis*. — 3° Indifferentia contrarietatis ad malum pertinet ad defectum libertatis. — Subjectum libertatis aliud est *mediatum*, aliud *immediatum*.)

Conclusio 1. Ad liberum arbitrium non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a simplici necessitate. 491

(Nam : 1° prop. contrarias Baii damnaverunt Pius V, etc...2° Ea sola potentia est libera libertate arbitrii, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere et non agere. 3° Libertas est vis electiva : electio autem objectum plurale importat. 4° Ad libertatem arbitrii requiritur ut agens sit dominus suorum actuum ; nam Ap.: *Non habens necessitatem...*)

Objectiones. 492

Conclusio 2. Ad merendum vel demerendum in præsenti statu naturæ lapsæ, requiritur libertas indifferentiæ, seu a simplici necessitate, nec sufficit libertas a coactione.—*Est de fide*. 498

(Contraria damnata est prop. ut hæretica. — *Prob.* 1° Eccl.: *Beatus... qui potuit transgredi...* 2° Sic SS. Patres, v. g. Aug.: *Liberum arbitrium... ab omni necessitatis vinculo vindicamus.* 3° Sic S. Thomas præclare. 4° Ad meritum vel demeritum requiritur dominium suæ actionis.)

Objectiones. 500

Conclusio 3. Homo lapsus est liber ad bonum et malum, non solum libertate a coactione, sed etiam necessitate simplici antecedente. 504

(*Prob.* 1° Gen.: *Quare iratus es ? et cur...* Eccl.: *Deus ab initio constituit hominem... reliquit illum in...* Deut.: *Testes invoco hodie cœlum...* 2° Sic S. Aug. 3° Sic Trident.: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit...anath. sit.—Confirm.* ex præcedenti conclusione.)

Objectiones. 506

ARTICULUS 2. De effectibus peccati originalis in futura vita. 511

Nota : (1° Pœnæ peccato originali debitæ sunt : 1° exclusio a regno cœlorum ; 2° privatio vitæ æternæ ; 3° dolor internus ; 4° pœna sensus. — 2° Parvulos sine Baptismo decedentes duabus primis affligi *de fide* est. De cæteris pœnis quoad eos est controversia. Unde)

Quæres 1. Utrum parvuli sine Baptismo morientes internum animi dolorem patientur ex sui a vita æterna exclusione? 511
Quæres 2. Utrum parvuli cum solo originali decedentes patientur pœnam sensus seu gehennam ignis? 512
Quæres 3. Utrum parvuli præfati nunquam fruentur beatitudine naturali? 515
CAPUT IV. De futura hominis vita. 515
ARTICULUS 1. De existentia intuitivæ Dei visionis. 516
§ 1. Utrum aliquibus in hac vita concessa fuerit intuitiva Dei visio. 516
Conclusio. Nemini unquam in terris concessa fuit intuitiva Dei visio. — *Est probabilior.* 516
(Nam: 1° Exod.: *Non poteris videre faciem...* Joan.: *Omnis qui audivit a Patre...* 2° Sic SS. Patr., v. g. S. Greg. Mag., S. Bern.
Objectiones. 517
§ 2. Utrum animæ justorum visione intuitiva nunc fruantur in cœlis? 519
Nota: (Circa hoc, duplex fuit error: 1. Est Millenariorum, quorum duplex fuit genus. 2. Est contendentium neminem visione intuitiva frui ante diem judicii generalis. Sic Novatianus, Lutherus..., etc...)
Conclusio 1. Fabulosa ac delira est Millenariorum de regno Christi in terris sententia. — *Est de fide.* 520
(Nam: 1° Sic Script. Etenim: 1° Joan.: *Regnum meum non est...* Luc.: *Regni ejus non...* 2° Matth.: *In resurrectione neque...* Rom.: *Non est regnum...* 2° Sic SS. Patres. — *Confirm.* ex conclusione sequenti.)
Objectiones. 521
Conclusio 2. Animæ justorum, quibus nihil superest expiandum, statim post mortem ad claram Dei visionem in cœlum admittuntur. — *Est de fide* defin. a Conc. Florent. 524
(*Prob.* 1° Ex Script. 2 Corint.: *Scimus quoniam si terrestris...* Et: *Scientes quoniam dum sumus...* 2° Ex SS. Patribus, v. g. Clem. Rom., Ignat., Clem. Alex., Cyprian. 3° Ratione, nam Deus promptior ad remunerandum, quam ad puniendum. — *Confirm.* ex Luc.: *Factum est ut moreretur...*)
Objectiones. 526
ARTICULUS 2. De principiis effectivis visionis Dei intuitivæ. 534
Quæres 1. Quid sit lumen gloriæ? 535
(Est habitus supernaturalis, quo mens creata elevatur ad intuitivam Dei visionem eliciendam.)
Quæres 2. Utrum lumen gloriæ necessarium sit ad Deum intuitive videndum? 535

(Resp. Sic, juxta viam Dei ordinariam, et *est de fide. Prob.* 1° Psalm.: *In lumine tuo...* 2° Nulla est proportio inter actum supernaturalem et facultatem naturalem.)

Quæres 3. Utrum lumen gloriæ possit alicui creaturæ esse connaturale? 537

(Non, quia creatura visione beatifica donata, est necessario beata et impeccabilis. Atqui creatura nequit sua natura esse, etc.)

ARTICULUS 3. De objecto intuitivæ Dei visionis. 539

Nota: (Duplex est, nempe *primarium* et *secundarium.*)

§ 1. De primario visionis intuitivæ objecto. 539

Certe Beati vident: 1° Deum et omnia quæ in Deo sunt formaliter... etiam ea quæ dicunt ordinem ad creaturas, licet hæc ultima non videant nisi secundum primarias et generales rationes. — 2° Clare omnia fidei mysteria, quorum in terris fidem habuerunt. — Restat videnda

Conclusio. Essentia Dei, etiam de potentia absoluta, non potest videri sine attributis, nec una persona sine alia.

(*Prob.* 1° Ex Script. Joan.: *Philippe, qui videt...* 2° Ens maxime simplex non potest videri intuitive, non visis iis quæ sunt de ipsius entitate et natura.)

Objectiones. 541

§ 2. De secundario visionis intuitivæ objecto. 544

Conclusio 1. Beati non vident omnes res in aliqua temporis differentia existentes; — vident tamen aliquas. 544

(1. p. constat, quia horum multa ad ipsas nihil attinent. — 2. p. constat, quia ad horum plura naturalem habent appetitum. — *Hinc* vident: 1° rerum genera et species, et earum rationes; 2° ea quæ ad illos spectant aliquo titulo; 3° preces viventium ad eos directas; 4° sese invicem.)

Conclusio 2. Beati non vident omnia possibilia. 546

(Nam non possunt Deum comprehendere.)

§ 3. De modo quo creaturæ videntur in Verbo divino. 547

Nota: (1° Quæstio est de creaturis secundum esse, non *eminentiale,* sed *reale* et *proprium;* 2° creaturas videri in Verbo est eas in essentia divina videri; 3° videri possunt vel *causaliter* vel *formaliter.*)

Conclusio. Creaturæ, sive possibiles sive existentes, a beatis videntur in Verbo formaliter, — et causaliter. 548

(*Prob.* 1. p. 1° ex Conc. Senon; 2° eo quod Verbum est speculum rerum omnium. — 1. et 2. p. ex S. Aug. distinguente visionem *matutinam* et *vespertinam.*)

Objectiones. 549

ARTICULUS 4. De æqualitate et inæqualitate visionis intuitivæ. 550

Conclusio 1. Inæqualis est visio beatifica. — *Est de fide* contra Jovinian. et Pseudoref. — Defin. in Conc. Florent. et Trid. 551
(Nam : 1° Joan.: *In domo Patris*... Cor.: *Alia claritas solis, alia*... 2° Diversum damnatis supplicium ; atqui eadem ratio...)
Objectiones. 552
Conclusio 2. Inæqualitas visionis intuitivæ lumine gloriæ, tanquam a causa physica totali, repetitur, non vero a majori vel minori perspicacia intellectus. — Est contra Scotum. 553
(Nam facultas visionis est per lumen gloriæ ; luminis autem mensura charitas.)
Objectiones. 554
ARTICULUS 5. De vera hominis beatitudine. 555
Nota : (Beatitudo est : 1° alia *viæ*, alia *patriæ* ; 2° alia *objectiva*, alia *formalis*.)
§ 1. De beatitudine hominis objectiva. 555
Dico : Beatitudo objectiva hominis sive in via, sive in patria, est solus Deus. 555
(Nam : 1° Joann. : *Hæc est vita æterna*... 2° Solus ipse potest animam satiare.)
Objectiones. 556
§ 2. De beatitudine hominis formali. 559
I. De beatitudine formali viæ. 559
Quæres 1. Utrum in via sit aliqua beatitudo ? 559
Quæres 2. In quo consistit viæ beatitudo formalis ? 560
II. De beatitudine formali patriæ. 561
Nota : (Circa illius essentiam triplex erat sententia. *Prima* eam reponit in visione Dei increata homini unita. *Secunda* in illapsu speciali Dei in essentiam animæ... *Tertia* in operatione animæ : sed Thomistæ in visione, Scotistæ in amore, Bonavent. in utroque simul, alii in gaudio, cum quibus
Dico : Beatitudo formalis essentialiter consistit in summo gaudio, quo beati de Deo viso et amato perfunduntur. 562
Objectiones. 562
§ 3. De dotibus animæ beatæ. — Tres sunt. Unde 565
Quæres 1. An beatitudo sit inamissibilis ? — Sic, quia perfecta. 565
Quæres 2. An beati sint impeccabiles ? — Sic, et ab intrinseco. 566
Quæres 3. An beati libere ament Deum ? — Non, sed necessario necessitate tum specificationis, tum exercitii. 566
CAPUT V. De corporum resurrectione et dotibus corporis beati. 568
Dico : 1° Futura est omnium hominum resurrectio. 568
(Nam : 1° Job. : *Scio quod Redemptor*... Cor. : *Canet enim tuba*... 2° Sic symbola fidei.

Objectiones. 568
Dico: 2° Quatuor erunt dotes corporis beati : *impassibilitas, subtilitas, agilitas, claritas.* 570
Quæres : Quid et quotuplex sit aureola? 570
CAPUT VI. De purgatorio. 571
ARTICULUS 1. De existentia purgatorii. 571
Conclusio. Datur purgatorium. — *Est de fide* contra Aerium, Valdenses, Lutherum, Calvinum, etc. 571
(*Prob.* 1° Ex Script. 2 Machab. legitur Judam Machabæum pro militibus mortuis providisse ut sacrificia offerantur, quia *sancta et salubris...* Unde : 1° possunt mortui a peccatis solvi. Matth. : *Qui autem dixerit...* 2° Potest homo sancte mori, habens tamen aliquid solvendum. Cor. : *Ipse autem salvus...* 3° Reliquiæ peccatorum non semper justis in morte condonantur. 4° Sacrificia vivorum possunt prodesse mortuis. — 2° Ex traditione, v. g. S. Greg. Nyss., S. Aug. Hinc Conc. Trid...)
Objectiones. 573
Quæres 1. Ubi sit purgatorii locus? — Quodnam genus pœnæ ibi sustineatur? — Quæ ipsius duratio? — Quis minister? 675
Quæres 2. An animæ in purgatorio sint securæ de sua salute? 576
ARTICULUS 2. De suffragiis. 576
Nota: (Suffragium fit vel per *orationem,* vel per *satisfactionem.*
Conclusio 1. Datur suffragiorum communio inter vivos, hoc sensu quod unus possit orare, — et satisfacere pro alio. 577
(1. p. constat, nam : Job. : *Ite ad servum meum...* Oravit S. Stephanus pro lapidantibus ; Ecclesia pro... — 2. p. constat, nam Coloss. : *Adimpleo ea quæ desunt...* Unde Pius V : *Non est dubitandi locus...*)
Conclusio 2. Inter vivos et defunctos suffragiorum datur communio, hoc sensu quod defuncti orent pro vivis, — et vivorum suffragia prosint defunctis. 577
(1. p. constat, nam 1° Jeremia defunctus multum pro populo oravit ; 2° Petr. : *Dabo autem operam...* — 2. p. constat : 1° ex Conc. Trid.; 2° ex articulo fidei de communione sanctorum, nam omnes unum corpus.)
Quæres 1. An suffragia applicata aliis, prosint offerentibus ? 579
Quæres 2. Quot requirantur conditiones in eo qui offert aliis satisfactiones? 579
(Requiritur : 1° intentio, 2° voluntas, 3° status gratiæ, si opus sit satisfactorium ex opere operantis.)
Quæres 3. Quot requirantur conditiones in eis pro quibus offeruntur suffragia? 579

(Requiritur: 1° status viatoris, 2° status gratiæ, 3° culpæ remissio.)
Quæres 4. An suffragia vivis aut defunctis applicata, iis infallibiliter prosint? — Positis ponendis, sic. 580
CAPUT VII. De inferno. 580
Nota: (1° *De fide* sunt inferni existentia et æternitas tantum. — 2° Existentiam negant increduli: æternitatem Origenistæ, Protestantes, etc...)
Conclusio 1. Pœnæ Dæmonum hominumque damnatorum æternæ sunt. — *Est de fide* defin. in Conc. Œcum. V, et eruitur ex Symb. Ath. 581
(*Prob.* 1° Ex Script. quibus: 1° pœna *æterna* dicitur, nam Dan.: *Multi de his qui dormiunt*... Matth.: *Discedite, maledicti*... Apoc.: *Pars illorum erit*... 2° Æternitas per *negationem finis* evincitur, nam Isa.: *Vermis eorum non*... Matth.: *Congregabit triticum*... Marc.: *Bonum est tibi debilem*... Apoc.: *Fumus tormentorum*... Thess.: *Qui non obediunt*... 3° Dicitur status *immutabilis*, nam Isa.: *Si ceciderit lignum*... Apoc.: *Cruciabuntur die ac*... Matth.: *Quicumque autem dixerit*... Hinc reprobi dicuntur *vasa iræ apta*... — 2° Ex traditione: patet ex damnatione Origeniani erroris, ex SS. Patribus, ex martyribus. — Hinc Conc. Later. IV et Trid...)
Objectiones. 583
Conclusio 2. Dogma de æternitate pœnarum rectæ rationi minime adversatur, imo ipsi ratio adstipulatur. 586
(Nam: 1° Est revelatum. 2° Non repugnant pœnæ *privativæ*, quia visio Dei stare nequit cum peccato. Porro, peccatum post viam est immobile. — Non *positivæ*, sive intrinsecæ, sive extrinsecæ, cum odium, mœror consequentiæ sint, et eorum peccata causæ sint pœnæ privativæ, cum aliunde damnati debent puniri per id per quod peccaverunt. 3° Hoc admiserunt etiam gentiles philosophi: patet etiam ex antiquorum fabulis.)
Objectiones. 588
Quæres 1. Quonam in loco est infernus? 589
Quæres 2. Utrum ignis inferni sit corporeus et materialis? 591
Quæres 3. Quarum rerum recordentur damnati? 592
Quæres 4. Utrum Christianus damnatus qui fidem in vita non amiserit, illam in inferno habeat? 592
Quæres 5. Utrum damnati beatos videant in gloria? 592
Quæres 6. Utrum damnatorum voluntas sit mala? 593
Quæres 7. Utrum reprobi peccent in inferno majoremque mereantur pœnam? 593
CAPUT VIII. De ultimo judicio. 593

Conclusio. Post corporum nostrorum resurrectionem, Christus universale judicium omnium hominum... — *Est de fide* consignata in Symbol. Apost. et Athan. 594

(Nam : 1° Matt.: *Cum venerit Filius...* Cor.: *Omnes enim nos...* Joan. : *Non Deus misit...* et : *Sermo quem locutus...* 2° Homines sunt subjecti *particulares* et partes *totius* communitatis. Unde duplex judicium.)

Quæres 1. Quando et ubinam fiet judicium universale ? 595

Quæres 2 Quale signum erit crucis quod apparebit illa die judicii ? 596

Quæres 3. Utrum Christus in forma humanitatis sit judicaturus ? 596

Quæres 4. An sint et quinam qui sedebunt judicaturi cum Christo ? 597

Quæres 5. Utrum angeli debeant judicare ? 598

Quæres 6. Utrum præludia judicii, seu examen fiet per vocem sensibilem et per modum discussionis ? 599

Quæres 7. Utrum quilibet poterit legere omnia, quæ sunt in conscientia alterius ? 599

Quæres 8. Quid fiet de mundo visibili post judicium finale ? 59

FINIS INDICIS ANALYTICI.

INDEX BREVIS.

TRACTATUS DE REGULIS FIDEI.

DISSERTATIO 1. DE HIS QUÆ FIDEM PRÆCEDERE DEBENT. 1
CAPUT I. *De ratione ante fidem spectata.* 2
Articulus 1. De recto usu rationis ante fidem. 2
Articulus 2. De abusu rationis ante fidem. 8
§ 1. De Pantheismo. 9
§ 2. De Materialismo. 12
§ 3. De Fatalismo et Determinismo. 13
CAPUT II. *De modo quo theologus procedere debet in adstruenda fide.* 14
Articulus 1. De methodologia, et principaliter relative ad munus theologi. 14
Articulus 2. De methodo. 17
DISSERTATIO 2. DE FIDE THEOLOGICA. 19
CAPUT I. *De essentia et divisione fidei.* 19
CAPUT II. *De objecto materiali fidei.* 22
QUÆSTIO 1. Utrum quodlibet objectum materiale fidei æque pertineat ad fidem? 23
QUÆSTIO 2. Utrum articuli fidei successu temporis creverint? 26
QUÆSTIO 3. De symbolis in quibus continentur articuli fidei. 28
QUÆSTIO 4. Utrum ea quæ deducuntur ex veritatibus revelatis sint de objecto materiali fidei, seu de fide? 30
CAPUT III. *De objecto formali fidei.* 33
CAPUT IV. *De subjecto fidei.* 37
CAPUT V. *De proprietatibus fidei.* 40
QUÆSTIO 1. De supernaturalitate fidei (ut actus). 40
QUÆSTIO 2. De certitudine fidei. 43
QUÆSTIO 3. De obscuritate fidei. 49
QUÆSTIO 4. De credibilitate fidei. 52
CAPUT VI. *De vitiis fidei oppositis.* 59
Articulus unicus. De infidelitate. 59

TRACTATUS DE DEO UNO.

DISSERTATIO 1. DE EXISTENTIA UNIUS DEI. 63
CAPUT I. *Utrum existentia Dei possit demonstrari?* 64
CAPUT II. *Quibus argumentis potest demonstrari existentia Dei?* 71
§ 1. Demonstratio ex ente necessario et contingenti. 72
§ 2. Demonstratio ex necessitate primæ causæ effectricis et primi moventis immobilis. 77
§ 3. Demonstratio ex mirabili mundi fabrica et dispositione. 80
§ 4. Demonstratio existentiæ Dei ex communi sensu. 82
CAPUT III. *Utrum Deus possit invincibiliter ignorari?* 82
CAPUT IV. *De unitate Dei.* 85
DISSERTATIO 2. DE NATURA SEU ESSENTIA DEI. 94
DISSERTATIO 3. DE ATTRIBUTIS SEU PERFECTIONIBUS DIVINIS GENERATIM. 102
CAPUT UNICUM. *De distinctione attributorum absolutorum a se invicem, et attributorum tum absolutorum, tum relativorum ab essentia divina.* 103
DISSERTATIO 4. DE ATTRIBUTIS DEI SPECIATIM. 115
CAPUT I. *De attributis Dei negativis.* 115
QUÆSTIO 1. De simplicitate Dei. 115
QUÆSTIO 2. De infinitate et perfectione Dei. 126
Articulus 1. Utrum Deus sit quoad essentiam infinitus? 126
Articulus 2. Utrum et quomodo Deus contineat omnium creaturarum perfectiones? 128
QUÆSTIO 3. De immutabilitate Dei. 131
QUÆSTIO 4. De Dei incomprehensibilitate. 135
QUÆSTIO 5. De ineffabilitate Dei. 138
QUÆSTIO 6. De invisibilitate Dei. 140
Articulus 1. Utrum essentia Dei videri possit ab oculo corporeo? 140
Articulus 2. Utrum essentia divina videri possit ab intellectu creato per solas naturæ vires? 145
CAPUT II. *De attributis Dei positivis.* 148
QUÆSTIO 1. De visibilitate Dei. 148
Articulus unicus. De possibilitate intuitivæ Dei visionis. 148
QUÆSTIO 2. De Dei æternitate. 153
QUÆSTIO 3. De immensitate Dei. 156
QUÆSTIO 4. De bonitate Dei. 163
QUÆSTIO 5. De intellectu et scientia Dei. 166
Articulus 1. De existentia, proprietatibus et divisione scientiæ Dei. 166

Articulus 2. De scientia simplicis intelligentiæ. 169
Articulus 3. De scientia seu objecto visionis. 174
Sectio prima. Utrum Deus videat præsentia et præterita, et in quo medio? 174
Sectio secunda. Utrum Deus videat entia futura, et in quo medio? 177
§ 1. An Deus cognoscat omnia futura libera absoluta? 178
§ 2. In quo medio, seu motivo, Deus videat futura libera absoluta? 184
Articulus 4. De scientia conditionatorum. 185
Sectio prima. Utrum Deus certo videat futura libera conditionata? 185
Sectio secunda. Quo in medio, seu motivo, Deus videat libera sub conditione futura, seu, ut alii loquuntur, futuribilia? 188
Articulus 5. De causalitate scientiæ Dei. 195
Articulus 6. De ideis divinis. 196
QUÆSTIO 6. De voluntate Dei. 198
Articulus 1. De existentia et quidditate divinæ voluntatis. 198
Articulus 2. De divisione divinæ voluntatis. 199
Articulus 3. De proprietatibus divinæ voluntatis. 201
§ 1. De causalitate divinæ voluntatis. 201
§ 2. De efficacia divinæ voluntatis. 203
§ 3. e Dlibertate divinæ voluntatis. 205
§ 4. De omnipotentia divinæ voluntatis. 208
Articulus 4. De objecto divinæ voluntatis. 209
§ 1. Quodnam sit objectum divinæ voluntatis? 210
§ 2. Quomodo Deus amet seipsum et creaturas? 211
§ 3. An Deus vult mala? 213
§ 4. An Deus velit omnium salutem; et an Christus mortuus sit pro salute omnium? 217
CAPUT III. *De attributis positivis, quæ Deo in ordine ad creaturas spectato tribuuntur.* 232
QUÆSTIO 1. De justitia et misericordia Dei. 232
QUÆSTIO 2. De providentia Dei. 235
Articulus 1. De existentia providentiæ divinæ. 235
Articulus 2. De efficacia divinæ providentiæ. 239
QUÆSTIO 3. De prædestinatione. 240
Articulus 1. De existentia prædestinationis. 241
Articulus 2. De causa prædestinationis morali et meritoria. 243
Articulus 3. De effectibus prædestinationis adæquatæ. 261
Articulus 4. De proprietatibus prædestinationis. 265
QUÆSTIO 4. De reprobatione. 271

Articulus 1. De causa reprobationis motiva. 272
Articulus 2. De effectibus reprobationis. 280

TRACTATUS DE DEO TRINO.

DISSERTATIO 1. DE MYSTERIO SS. TRINITATIS IN GENERE. 283
CAPUT I. *De existentia SS. Trinitatis.* 283
QUÆSTIO 1. De trinitate personarum in Deo. 283
QUÆSTIO 2. De divinarum personarum consubstantialitate. 297
Articulus 1. De divinitate Verbi divini. 298
Articulus 2. De divinitate Spiritus Sancti. 315
CAPUT II. *De modo cognoscendi SS. Trinitatem.* 319
CAPUT III. *De processionibus divinis.* 323
QUÆSTIO 1. De existentia et numero divinarum processionum. 324
QUÆSTIO 2. De principiis divinarum processionum. 329
QUÆSTIO 3. De discrimine processionis Filii a processione Spiritus Sancti. 335
QUÆSTIO 4. De ratione discriminis processionis Filii a processione Spiritus Sancti. 337
QUÆSTIO 5. De cognitione, ex qua procedit Filius. 341
QUÆSTIO 6. De personis, ex quibus procedit Spiritus Sanctus. 343
CAPUT IV. *De personalitatibus et relationibus divinis.* 357
QUÆSTIO 1. De personalitatibus, seu subsistentiis divinis. 357
QUÆSTIO 2. De relationibus divinis. 361
Articulus 1. De numero et essentia relationum originis. 362
Articulus 2. De distinctione relationum originis a se invicem. 364
Articulus 3. De munere et officio divinarum relationum. 366
CAPUT V. *De his quæ tribus personis sunt communia.* 367
QUÆSTIO 1. De notionibus divinis. 367
QUÆSTIO. 2. De circuminsessione divinarum personarum. 371
QUÆSTIO 3. De missione divinarum personarum. 372
DISSERTATIO 2. DE PERSONIS DIVINIS IN PARTICULARI. 375
CAPUT I. *De nominibus primæ personæ propriis et appropriatis.* 375
CAPUT II. *De nominibus secundæ personæ propriis et appropriatis.* 377
CAPUT III. *De nominibus tertiæ personæ propriis et appropriatis.* 380
DISSERTATIO 3. DE MODO QUO LOQUENDUM EST DE MYSTERIO SS. TRINITATIS. 382
CAPUT I. *De vocibus quibus unitas naturæ exponitur.* 382
CAPUT II. *De vocibus quæ numerum personarum exprimunt.* 384
CAPUT III. *De vocibus quibus distinctio personarum exprimitur.* 385

CAPUT IV. *De mutua prædicatione nominum absolutorum de relativis, et relativorum de absolutis.* 386
CAPUT V. *De suppositione nominum absolutorum pro personis.* 388

TRACTATUS DE DEO CREATORE.

DISSERTATIO 1. DE ANGELIS. 391
CAPUT I. *De existentia angelorum.* 392
CAPUT II. *De natura angelorum.* 394
CAPUT III. *De statu in quo angeli conditi sunt.* 397
CAPUT IV. *De loco, motu, potentia motrice, et locutione angelorum.* 398
CAPUT V. *De peccato angelorum et ejusdem pœna.* 400
CAPUT VI. *De variis angelorum ordinibus.* 404
CAPUT VII. *De missione, illuminatione et custodia angelorum.* 406
DISSERTATIO 2. DE MUNDO. 410
CAPUT I. *De mundi creatione ex nihilo.* 410
CAPUT II. *De cosmogonia Mosaica.* 418
CAPUT III. *De chronologia Mosaica, quatenus spectat ad genus hominum.* 424
DISSERTATIO 3. DE HOMINE. 428
CAPUT I. *De primi hominis creatione.* 428
CAPUT II. *De dotibus quas homo innocens accepit a suo Creatore.* 433
QUÆSTIO 1. An homo in sua creatione gratiam sanctificantem et dictas alias dotes a Deo acceperit? 433
QUÆSTIO 2. An justitia originalis, sanctitas, immortalitas, etc., fuerint homini innocenti naturales, vel supernaturales? 439
CAPUT III. *De peccato hominis.* 445
QUÆSTIO 1. De peccato primi hominis. 446
QUÆSTIO 2. De peccati originalis propagatione. 448
Articulus 1. De existentia peccati originalis. 449
Articulus 2. De natura peccati originalis. 460
§ 1. Exponuntur et solvuntur variæ opiniones, tum hæreticorum, tum catholicorum, circa naturam peccati originalis. 461
§ 2. Statuitur verior sententia circa naturam peccati originalis. 466
Articulus 3. De causa proxima transfusionis peccati originalis. 469
Articulus 4. De subjecto peccati originalis. 474
QUÆSTIO 3. De pœnis seu effectibus peccati originalis. 483
Articulus 1. De effectibus peccati originalis in hac vita. 483

§ 1. De voluntario. 485
§ 2. De voluntario libero, seu de libertate. 487
Articulus 2. De pœnis peccati originalis in futura vita. 511
CAPUT IV. *De futura hominis vita.* 515
Articulus 1. De existentia intuitivæ Dei visionis. 516
§ 1. Utrum aliquibus in hac vita concessa fuerit intuitiva Dei visio? 516
§ 2. Utrum animæ justorum visione intuitiva nunc fruantur in cœlis? 519
Articulus 2. De principiis effectivis visionis Dei intuitivæ. 534
Articulus 3. De objecto intuitivæ Dei visionis. 539
§ 1. De primario visionis intuitivæ objecto. 539
§ 2. De secundario visionis beatificæ objecto. 544
§ 3. De modo quo creaturæ videntur in Verbo divino. 547
Articulus 4. De æqualitate et inæqualitate visionis Dei intuitivæ. 550
Articulus 5. De vera hominis beatitudine. 555
§ 1. De beatitudine hominis objectiva. 555
§ 2. De beatitudine formali hominis. 559
§ 3. De dotibus animæ beatæ. 565
CAPUT V. *De corporum resurrectione et dotibus corporis beati.* 568
CAPUT VI. *De purgatorio.* 571
Articulus 1. De existentia purgatorii. 571
Articulus 2. De suffragiis. 576
CAPUT VII. *De inferno.* 580
CAPUT VIII. *De ultimo judicio.* 593
Index analyticus. 603
Index brevis.

FINIS INDICIS BREVIS.